






DE RE SACRAMENTARIA

DE RE SACRAMENTARIA

PRÆLECTIONES

SCHOLASTICO-DOGMATICÆ

QUAS

IN COLLEGIO SS. CORDIS JESU AD WOODSTOCK

MAXIMA STUDIORUM DOMO SOC. JESU IN FŒD. AMERICÆ SEPT. STATIBUS

HABEBAT A. D. MDCCCLXXVIII-IX

ÆMILIUS M. DE AUGUSTINIS, S.J.

IN EODEM COLLEGIO THEOL. DOGMATICÆ PROFESSOR

LIBRI DUO POSTERIORES

De Pœnitentia, De Extrema Unctione,
De Ordine, De Matrimonio.




WOODSTOCK MARYLANDIÆ

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA COLLEGII.

NEO-EBORACI, CINCINNATI, S. LUDOVICI: Benziger Fratres.
LONDINI: Burns & Oates—PARISIIS: Bloud & Barral.

1879.





BREVE DATUM A SSMO DNO NOSTRO PAPA LEONE XIII.

RR. PP. CAMILLO MAZZELLA ET ÆMILIO M. DE AUGUSTINIS SOC. JESU, CIRCA THEOLOGICAS TRACTATIONES — De Deo Creante; De Gratia Christi; De Re Sacramentaria — TRADITAS ET TYPIS MANDATAS IN COLLEGIO WOODSTOCKIANO MARYLANDIÆ.

Dilectis in Christo Filiis CAMILLO MAZZELLA *et* ÆMILIO M. DE AUGUSTINIS, *Professoribus Theol. Dogm. in Collegio SS. Cordis Jesu ad Woodstock, in Fœderatis Americæ Sept. Statibus.*

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM:

Prælectiones theologicas, quas hactenus edidistis, libenter accepimus, gratasque habuimus, tamquam vestræ in Nos et in hanc Apostolicam Sedem voluntatis significationem, et observantiæ testimonium. Maximi momenti est, nostris præsertim temporibus, Clerum solidis sincerisque doctrinis alte imbuere. Quod certe fiet, si doctrina S. Thomæ in scholis vestris floreat, prout Nobis non sine magna animi lætitia nunciatum est. Hoc autem maxime decet homines, quibus præcipitur, ut "sequantur omnino in scholastica theologia doctrinam S. Thomæ, eumque ut doctorem proprium habeant, ponantque omnem operam ut auditores erga illum quam optime afficiantur." Itaque addant vobis animum in opere tam præclaro regulæ officium, mens et jussa legiferi Patris Ignatii, decreta Congregationum vestrarum, necnon desideria et hortationes hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ, quæ hanc doctrinam insigni elogiorum singularitate probavit. Nec dubitamus, quin vestigiis tanti doctoris fideliter insistentes, lætissimos et uberes pro religione et animarum salute fructus percepturi sitis. Ab hac palæstra expectat Ecclesia Dei fortissimos milites ad profligandos errores, ad rem catholicam defendendam. Quod ut vobis Deus copiose concedat, auspicem divinæ gratiæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 27 *Septembris* 1878, *Pontificatus Nostri anno primo.*

LEO PP. XIII.

ROBERTUS BRADY

PRÆPOSITUS PROVINCIÆ MARYLANDIÆ SOC. JESU.

Cum librum, cui titulus DE RE SACRAMENTARIA, PRÆLECTIONES etc., a P. ÆMILIO DE AUGUSTINIS nostræ Societatis Sacerdote conscriptum recognoverint et in lucem edi posse probaverint quatuor ejusdem Societatis theologi, quibus id commisimus ; potestate ab A. R. P. N. PETRO BECKX Præposito Generali nobis facta, concedimus facultatem ut idem liber typis mandetur, si illis ad quos pertinet, ita videbitur.

In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo officii munitas dedimus.

ROBERTUS BRADY, S. J.,

L. S.

PRÆPOSITUS PROV. MARYLAND.

Baltimoræ die 19 *Junii* 1879.

Imprimatur

✠ JACOBUS, *Archiep. Baltimorensis.*

Baltimoræ die 22 Junii 1879.

LIBER TERTIUS

De Pœnitentia

De Extrema Unctione.

DE POENITENTIA

NOTIONES PRÆVIÆ.

Pœnitentia apud Latinos, et μετάνοια apud Græcos auctores, non tantum prioris voluntatis retractationem, vel erroris agnitionem significant, ut Lutherus cum Erasmo asseruit; sed sæpissime detestationem præteritæ culpæ et vindictam, quam quis ob eam culpam sponte assumit.

Et sane Tullius (Tusculan. lib. 4. cap. 37.) ait: "Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi." Quo loco vox pœnitendi evidenter afflictionem animi, et detestationem facti significat cum desiderio illud puniendi.—Juxta eamdem vocis significationem libro 1. ex Ponto, (Epist. 1. v. 59.) Ovidius cecinit:

"Pœnitet: O! si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet; et facto torqueor ipse meo!
Cumque sit exilium, magis est mihi culpa, dolori;
Estque pati pœna, quam meruisse minus."

Ausonius (Epigram. 11.), sic Pœnitentiam loquentem inducit:

"Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor."

Et Lactantius (Instit. div. l. 6. c. 24.): "Is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci melius et significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos possimus resipiscentiam dicere; resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur."

Nec aliter pœnitentiæ nomen adhibitum invenitur in Scripturis inspiratis aut in scriptis Patrum:—immo ex apertis eorum testimoniis deduci debet pœnitentiam, stricto sensu acceptam, semper includere et significare dolorem animi de peccato commisso, et congruam ejus expiationem.

Etenim, ut, ad exemplum, unum et aliud testimonium ex Scripturis proferam,—Job (c. ult. v. 6.) ait: "Ipse me reprehendo et ago pœnitentiam in favilla et cinere;"—et Christus Dominus (Luc. x. 13.) ait: "Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere sedentes pœniterent (μετενόησαν)."

Quoad Patres, audiatur pro omnibus S. Augustinus, qui (serm. 351. n. 12.) dicit: "Non sufficit [ad pœnitentiam] mores in melius mutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis."

Pœnitentia sic descripta,—quatenus nempe detestationem includit peccati commissi, firmum melioris vitæ propositum, et vindictam quamdam ejusdem peccati sponte assumptam,—fuit semper, ut Tridentina Synodus docet (sess. 14. c. 1.), "universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria." Sed ante adventum Christi pœnitentia non erat sacramentum, nunc vero in nova lege, est etiam sacramentum; ideoque virtus et sacramentum pœnitentiæ comparantur tamquam totum et pars ejus: nam virtus pœnitentiæ per actus suos est pars sacramenti, quod componitur ex actibus pœnitentis et sacerdotis absolutione.

Cum igitur in lege evangelica virtus et sacramentum pœnitentiæ adeo conjungantur, ut nec virtus prodesse sine sacramento, vel ordine ad sacramentum, nec sacramentum sine virtute consistere valeat; pœnitentiam, sub utraque ratione spectabimus;—et tractationem nostram ordine et claritatis causa dividentes in duas partes, in primis de pœnitentia, prout est virtus, deinde de sacramento pœnitentiæ agemus.

PARS PRIMA

DE PŒNITENTIA PROUT EST VIRTUS

ARTICULUS PRIMUS

An et qualis virtus sit pœnitentia.

Pœnitentiæ nomen tum actum tum habitum ad pœnitentiæ actus eliciendos significat;—et hic quæritur an habitus iste sit virtus quædam specialis, ab omnibus aliis distincta, quæ ad actus pœnitentiæ ex motivo sibi proprio inclinet. Olim id negaverunt Altisiodorensis et Franciscus Maironis, contendentes pœnitentiam esse *virtutem generalem*, id est, pœnitentiam omnes virtutes sub ea ratione generica complecti, qua ex peculiari suo motivo quælibet ad odium peccati movet; nam unaquæque virtus ex motivo proprio peccata quæ illi opponuntur detestatur. Verum contrariam sententiam communiter docent theologi cum S. Thoma, qui egregie, his verbis, refutat rationem allatam ab adversariis.

"Quælibet virtus specialis," ait Angelicus (3. q. 85. a. 2. ad 3.), "*formaliter* expellit habitum vitii oppositi, sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto; sed pœnitentia expellit omne peccatum *effective*, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante."—Et in 4. sent. (dist. 14. q. 1. a. 1. quæst. 3. ad 1.): "Omnis virtus expellit peccatum oppositum formaliter quantum ad suum actum primum, qui est informare subjectum; sed actus secundus in aliis virtutibus, qui est operatio, non ordinatur principaliter ad repellendum peccatum, sicut est in pœnitentia; et ideo pœnitentia non formaliter, sed quasi effective peccatum expellit; habet enim peccatum expellendum pro materia, et operatur contra ipsum ut expellatur; unde non opponitur omni peccato formaliter, sed alicui tantum, quod est impœnitentia; et propter hoc non oportet quod sit generalis virtus."

Hanc virtutem pœnitentiæ ab omni alia distinctam, supernaturalem esse, a Deo voluntati infusam, non theologicam, sed moralem, sequenti thesi demonstrabimus.

THESIS I.

Pœnitentia est virtus specialis, supernaturalis, a Deo voluntati infusa, non theologica, sed moralis.

I. Dicimus primo in thesi *pœnitentiam esse virtutem;* et hoc enunciatum cum Gregorio de Valentia (disp. 7. q. 2. puncto 1.) tenemus certum esse ex fide.—Etenim nonnisi actus virtutum a Deo præcipiuntur: sed in Scriptura Deus præcipit actus pœnitentiæ:—ergo pœnitentia est virtus.—Minor patet ex Ezech. (XVIII. 30.) ubi legitur: "Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas." Similiter ex verbis Joannis Baptistæ apud Matt. (III. 2.): "Pœnitentiam agite" et ex testimonio ipsius Christi (Luc. XIII. 3.): "Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis."

Præterea hanc rationem optimam in confirmationem addit Angelicus (3. q. 85. a. 1.): "Sicut ex dictis patet, pœnitere est de aliquo prius a se facto dolere. Dictum est autem supra, quæst. præc., art. 9., quod dolor vel tristitia dupliciter dicitur: uno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi, et quantum ad hoc pœnitentia non est virtus, sed passio; alio modo secundum quod consistit in voluntate, et hoc modo est cum quadam electione: quæ quidem si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis. Dicitur enim in 2. Ethic. cap. 6. quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est; quod quidem observatur in pœnitentia de qua nunc loquimur; nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod pœnitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis."

His verbis, "pœnitens assumit *moderatum* dolorem de peccatis præteritis," S. Thomas innuit pœnitentiam, sicut virtutes morales omnes, *in medio* esse:—cum pœnitens non minus ab illis recedat qui vel "lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis" (Prov. II. 14.), vel peccata non deflent et expiant; quam ab aliis qui immoderato dolore arrepti in desperationis barathrum se præcipitant.

II. *Specialem virtutem esse pœnitentiam* idem S. Thomas (l. c. a. 2.) demonstrat hoc argumento: "Species habituum distinguuntur secundum

species actuum; et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod pœnitentia est specialis virtus."

Eadem conclusio aperte eruitur ex modo loquendi Patrum et Conciliorum, nam et pœnitentiæ speciale motivum vindicant, de pœnitentia proprios actus commemorant, et eam inter alias virtutes sejunctim enumerant. Hinc, ex. gr., Tertullianus scribit "pœnitentiam passionem esse norunt, quæ venit ex offensa sententiæ prioris;" et addit illam se prodere lacrymis ac corporis maceratione:—"de ipso enim habitu et victu," ait (de pœnit. c. 9.), "mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare . . . jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire ad Dominum Deum dies noctesque, presbyteris advolvi et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ adjungere."—Et S. Ambrosius (in Ps. XXXVII. n. 2.) inquit: "Plena est definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua veluti quodam quotidiani sermonis flagello castiget, et commissa sibi flagitia condemnet."—S. Isidorus Hispalensis (lib. 2. sent. cap. 13.) dicit: "Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet et deflendo, quæ egit."—Et Concilium Tridentinum (sess. 6. c. 3.) definivit: "Si quis dixerit sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit."

Præterea, conclusionem nostram sequenti pacto confirmamus. Si pœnitentia specialis virtus non esset, sed generalis, sensu superius explicato, qui pœnitentiam agere vellet de pluribus diversisque peccatis, deberet speciatim meminisse eorum omnium et ex peculiari cujusque virtutis motivo singula quæque detestari. Hoc autem præceptum non est;—et in multis casibus, præsertim pro rudibus, impossibile. Ergo.

Insuper, si pœnitentia esset generalis virtus, quæ ex virtutibus omnibus coalesceret, non posset homo pœnitens peccata virtutibus multis adversa, unico actu elicito abhorrere et retractare; ac proinde numquam

posset fieri, ut unico unius momenti actu elicito justificaretur homo, sed ei necessario eliciendi essent multarum, vel etiam omnium virtutum actus. Id vero constat esse falsum.

III. *Habitum pœnitentiæ in voluntate inveniri*, ut in subjecto proximo, doctores omnes docent qui hunc specialem habitum admittunt; et patet ex pœnitentiæ actibus, qui a voluntate eliciuntur, ac proinde in eadem potentia habitum postulant.

Porro hunc habitum dicimus esse *supernaturalem* et *per se* infusum a Deo, quia per naturæ vires acquiri non potest, et a Deo solo, ut habeatur, infundi debet.

Et demonstratur 1. Ex Scripturis. Nam apud Jeremiam (XXXI. 18. 19.) legimus: "Converte me et convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam."—Et S. Paulus in II. ad Tim. (II. 25. 26.) loquens de virtutibus quas in episcopo requirit, ait eum velle mansuetum, patientem, "cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem." Vult ergo Apostolus episcopum esse talem qui cum mansuetudine doctrinam salutarem, adhibita etiam correptione paterna, impendat eis qui veritatem resistunt, quia tentandum est si forte *Deus*, ministerio illo præstito, in cordibus eorum *pœnitentiam inspirando operari dignetur.*

Aliud egregium testimonium ex Scripturis desumptum habetur in verbis Petri (Act. V. 31.): "Hunc [Jesum] principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, et remissionem peccatorum." Utrumque ergo est donum Dei, quod nobis per merita Christi conceditur.—Et hoc ipsum est quod in prophetia Ezechielis (XXXVI. 26.) promissum legitur: "Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum."

2. Apertissima documenta quæ in scriptis Patrum invenimus confirmant thesim. Speciminis gratia pauca seligam.

S. Joannes Chrysostomus in Epist. 2. ad Tim. (Hom. 6. n. 2.) ait: "Vide quomodo doceat modeste sentire. Non dixit, Ne forte possint; sed, *Ne forte det illis Deus resipiscere.* Et si quid fiat, totum Dei est: tu plantas, tu irrigas; ille seminat et fructus parere curat."—Et in

Hom. 7. de pœnitentia (edit. Migne, tom. 49. pag. 323.): "Remedium quippe," inquit, "est pœnitentia, quod peccatum tollit: donum cœleste, virtus admirabilis, gratia, legum cursum superans. Quamobrem non fornicatorem renuit, non mœchum abigit, non ebriosum aversatur, non idololatram detestatur, non maledicum repellit, non blasphemum persequitur, non arrogantem; sed omnes immutat, peccati enim conflatorium est pœnitentia."

S. Augustinus (de gratia et libero arbitrio, c. 14. n. 30.) postquam dixerit: "Cum [Deus] semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Domini profanaverunt;" ita prosequitur c. 15.: "Ne autem putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: *Nolite obdurare corda vestra.* Et per ipsum Ezechielem, *Projicite a vobis omnes impietates vestras . . . et facite vobis cor novum et spiritum novum . . . et convertimini et vivetis* (Ezech. XVIII. 31. 32.). Meminerimus eum dicere, *et convertimini et vivetis;* cui dicitur, *Converte nos Deus* (Psal. LXXIX. 4. et LXXXIV. 5.). Meminerimus eum dicere, *Projicite a vobis omnes impietates vestras;* cum ipse justificet impium (Rom. IV. 5.). Meminerimus ipsum dicere, *Facite vobis cor novum et spiritum novum;* qui dicit, *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo in vobis.* Quomodo ergo qui dicit, *Facite vobis;* hoc dicit, *Dabo vobis?* Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala: aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ."—Et libro de corrept. et gratia (c. 5. n. 7.): "Hæc est correptionis utilitas," inquit, "quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur; et tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, et fecit flentem (Luc. XXII. 61. 62.)? Unde et Apostolus Paulus posteaquam dixit, cum modestia corripiendos esse diversa sentientes, protinus addidit, *Nequando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis.*"

Et S. Ambrosius (in Lucam lib. 10. num. 89.) "Bonæ lacrymæ," dicit, "quæ lavant culpam. . . . Quos Jesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et non flevit; quia non respexerat Dominus. Negavit secundo, non flevit; quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime flevit. Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum."

3. Concilia ipsa veritatem, quam propugnamus, diserte ostendunt. Nam Concilium Arausicanum 2. can. 4. inquit: "Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino."—Et Concilium Tridentinum, in canone 3. sessionis 6. superius citato, definit hominem pœnitere, sicut oportet, non posse, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, ejusque adjutorio.

Nec dicat quis, canonem istum et alia quæ commoravimus testimonia spectare actus pœnitentiæ, non habitum:—nam hi actus si supernaturales sunt *non quoad modum*, sed *in sua substantia et entitate,* eo ipso ostendunt habitum ad eosdem actus eliciendos esse *entitative* supernaturalem, ideoque *per se* a Deo infusum; cum proportio adesse debeat inter habitum et actus illos ad quos eliciendos ordinatur habitus.

Quapropter S. Thomas juxta Scripturarum et Patrum doctrinam mox a nobis traditam, concludit (3. q. 85. a. 5.): "De pœnitentia loqui possumus dupliciter: uno modo quantum ad habitum, et sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur; quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult., 21.: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*"

4. Demum ratione theologica probamus virtutem pœnitentiæ infundi *per se* a Deo. Etenim omnes virtutes *per se* divinitus infunduntur cum charitate, quæ de se perficiunt hominem non secundum statum vitæ naturalis, sed secundum statum gratiæ. Atqui pœnitentiæ virtus est hujusmodi. Ergo.—*Major* constat ex alio Tractatu, et primo intuitu manifesta apparet,—quia ad perfectionem divini operis pertinet ut quem-

admodum Deus naturalem rem producit omnibus naturalibus suis potentiis præditam; ita etiam hominem, secundum esse gratiæ, simul cum omnibus virtutibus, quæ respondent statui gratiæ, perficiat.—*Minor* facili negotio sic evincitur:—Virtus cujus objectum formale sine lumine fidei attingi nequit, minime perficit hominem secundum statum vitæ naturalis, sed secundum statum gratiæ. Atqui hujusmodi est objectum formale pœnitentiæ, nam spectat peccatum ut est offensa Dei quæ a Christianis cognoscitur, nimirum prout est offensa quæ privat hominem gratia, et reum reddit æternæ mortis; sub qua ratione peccatum non cognoscitur nisi per fidem. Ergo.—Unde etiam patet, potuisse quidem philosophos per naturæ vires cognoscere peccatum ut est contra dictamen rectæ rationis, et contra voluntatem Dei naturæ auctoris, ideoque potuisse per vires naturæ secundum quamdam rationem esse pœnitentiam; at non illam pœnitentiam de qua loquimur, quæ illustrationem fidei præsupponit.—Confer, si lubet, hac in re Suarez, de pœnitentia, disp. 3. sect. 7.

Et si quærat aliquis, num præter virtutem pœnitentiæ *per se infusam*, alia detur virtus pœnitentiæ *acquisita* per actus pœnitentiæ quam diximus haberi posse naturaliter de peccato ut rectæ rationi repugnat, et Deo naturæ auctori, quæstioni huic respondet Gregorius de Valentia (disp. 7. q. 2. p. 3.):—

"Videtur talis virtus naturalis, præter illam per se infusam, ita esse posse sicut præter virtutes morales per se infusas ut, e. g., temperantiam (quæ scilicet perficit hominem in materia temperantiæ in ordine ad finem supernaturalem juxta doctrinam D. Thomæ, 1. 2. q. 63. art. 3.) sunt aliæ virtutes morales acquisitæ; ut, ex. gr., virtus temperantiæ, quatenus perficit hominem in materia temperantiæ convenienter naturæ et naturali rationi in ordine ad naturalem finem, ut scilicet recte secundum rationem agatur; atque ita hujusmodi virtutem pœnitentiæ acquisitam admisit Richardus in 4. dist. 14. art. 4.

Sed rectius illam negant Sotus d. 14. q. 2. a. 3. et Canus in rel. de pœnit. punct. 2. Ratio autem quæ me movet, ut his assentiar est; nam de ratione virtutis est, ut sit habitus perficiens hominem ad actum perfectum et optimum, spectata ratione objecti, et facultate quam ad eum actum habet vel potest habere homo secumdum legem ordinariam Dei: juxta ea quæ de ratione virtutis tradidimus t. 2. disp. 5. q. 1. punct. 2.

Ex sententia etiam Philosophi qui libro 7. Physic. text. 17. virtutem definit esse *dispositionem perfecti ad optimum*, et 2. Ethic. cap. 6. ubi absolute ait virtutem esse quæ *bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum*, nimirum absolute et perfecte. Non est autem perfectus et optimus actus illius pœnitentiæ naturalis de peccato, ut tanquam offensa Dei auctoris naturæ deleri secundum affectum possit ad reconciliandum Deum homini.

Quocirca, licet per frequentes actus talis pœnitentiæ naturalis, possint, saltem gentiles, acquirere habitum aliquem ejusmodi pœnitentiæ, tamen is habitus minime habebit rationem veram virtutis, hoc est perfecti et optimi habitus: Et dico *saltem gentiles*, nam in Christianis, qui rationem offensæ Dei plene noverunt, ut is scilicet etiam auctor est rerum supernaturalium, vix puto habere ullum usum pœnitentiam illam naturalem. Christiani enim qui pœnitent, ita ordinarie affecti sunt, ut in pœnitendo neque formaliter, neque virtualiter habeant pro motivo reconciliationem cum Deo naturalem præcise, sed reconciliationem simpliciter et absolute, qualem obtineri posse cognoscitur per fidem.

Virtutes autem alias morales acquisitas, Christiani etiam maxime per frequentes actus consequi solent. Nam ratio objecti cujuscumque in ordine ad finem naturalem, ut scilicet convenienter rationi in unaquaque virtutis materia agatur, est perfecta, et ab ea quoque formaliter vel virtualiter Christiani moventur."

IV. Ultima pars thesis vindicanda superest, in qua pœnitentiam dicimus *virtutem esse moralem, non theologicam*.—Id autem manifestum apparet ex Tractatu *de Virtutibus Theologicis*, ubi tres tantum demonstrantur esse virtutes theologicæ, fides, spes, caritas; et ostenditur objectum formale virtutis theologicæ esse perfectionem aliquam Dei quam immediate attingit. Pœnitentiæ vero formale objectum est honestas actionis, qua peccator divina gratia adjutus, adversus peccatum movetur, illud retractat, de eo pro viribus dolet, et sic in se vindicat offensam Deo illatam. Quod quidem motivum, cum creatum sit, ad moralem virtutem pertinet, non theologicam.—Sicut Religio, quia non movetur ab excellentia Dei, sed ab honestate cultus erga Deum, ideo est virtus moralis; ita pariter pœnitentia, quia ad detestandum peccatum non movetur a bonitate divina, sed a motivo honestatis, quæ invenitur in detestatione et vindicatione offensæ Deo illatæ, ideo inter morales virtutes adnumeratur.

Adversus thesim, quam demonstravimus, sequentes occurrunt difficultates.

1. Verecundia non est virtus, quia supponit turpe factum. Ergo et pœnitentia, quæ peccatum supponit, non est virtus.

Resp. *D. Ant.* Verecundia ideo non est virtus quia supponit turpe factum *N.* Ideo non est virtus quia est passio, et turpitudinem efficaciter non aversatur *C.;* et *N. Cons.*—Verecundia, quæ est timor turpitudinis et exprobationis, "non nominat habitum," inquit S. Th. (2. 2. q. 144. a. 1. ad 1.), "sed passionem; neque motus ejus est ex electione, sed ex impetu quodam passionis. Unde deficit a ratione virtutis."—Præterea, verecundia, ratione sui, non modo malum culpæ non detestatur, neque expellit, sed cum eo componi potest. Pœnitentia vero ratione sui peccatum aversatur, illudque destruit.

2. Omnis virtus per se expetenda est, non per accidens.—Atqui pœnitentia non per se, sed per accidens expetitur: præsupponit enim peccatum.—Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Expetenda est *per se,* id est *gratia sui C. per se,* id est *nulla facta suppositione N.—Ad min. Dist.* pœnitentia non expetenda est per se, idest gratia sui *N.* Non expetenda est nisi facta aliqua suppositione *C.*—Insuper, etsi pœnitentia secundum actus suos,—qui sunt odium peccati in Deum commissi, de eodem peccato dolor et propositum illud emendandi et vindicandi,—præsupponat peccatum a pœnitente commissum; secundum habitum tamen non necessario supponit peccatum commissum, sed quod committi possit: quam ob rem S. Thomas docet (1. q. 95. art. 3.) in Adamo innocente fuisse pœnitentiam secundum habitum, quo erat sic animo dispositus ut si peccatum præcessisset, doleret.—Pœnitentia ergo secundum se bona est, et per se expetenda, *quoad habitum,* ab omnibus qui peccati sint capaces et deinde resurgere valeant a peccato; *quoad actum* vero per se etiam bona et expetenda est, sed ab illis qui peccaverunt.—Similiter et justitiæ vindicativæ actus non fiunt nisi præcesserit culpa, quæ tamen non debuit necessario præcedere ut ejusdem justitiæ vindicativæ virtus adsit.

3. Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Atqui pœnitentia non est dispositi perfecti, cum supponat peccatum in subjecto. Ergo.

Resp. *Neg. min.*—Sensus effati est, virtutem quamlibet facultatem perficere ut disponat eam ad operandum optimum in suo genere:—et

pœnitentia perfectionem suam voluntati communicat, eamque disponit ad actus in suo genere optimos eliciendos.

4. Virtus cum delectatione exercetur. Atqui non ita res se habet in pœnitentia, quæ cum cordis compunctione, tristitia et luctu actus suos elicit. Ergo.

Resp. Juxta P. de Lugo (disp. 1. sect. 1. n. 7.) *D. Maj.*—Virtus, immo omnis habitus, operatur cum delectatione, ut delectatio significat *alacritatem et facilitatem,* ac proinde opponitur labori et difficultati *C.* Ut opponitur tristitiæ *N.*—Sed insuper adnota, pœnitentem etsi doleat de peccato quod commissit, gaudere tamen de dolore quem experitur: quare S. Augustinus dicere potuit: *dulciores sunt lacrymæ pœnitentium quam gaudia theatrorum.*

5. Nulla virtus versatur circa impossibile. Atqui pœnitentia circa objectum impossibile versatur: nam pœnitens vult non peccasse, quod impossibile prorsus est.—Ergo.

Resp. *N. min.*—Pœnitens enim non absolute vult infectum esse id quod factum est, sed ita dispositus est ut si res adhuc integra esset, non peccaret, et intendit, ut præcedens peccatum jam non supersit in ratione offensæ Dei, illudque pœna plectat:—quod sane non est impossibile.

6. Dolor pro peccato commisso et pœna debentur a peccatore ratione cultus, quo Deum tenetur prosequi. Ergo pœnitentia est actus *religionis,* quæ pro objecto habet cultum divinum.

Resp. *N. Conseq.*—Potest quidem actus pœnitentiæ imperari a virtute religionis; ab ea tamen non elicitur, cum religio circa cultum Dei versetur, pœnitentia vero circa peccatum; et præterea pœnitentia circa peccatum ita versatur ut illud retractet et vindicet, non *directe* ut, detestatione peccati, colat Deum.

7. Pœnitentia peccatum odit. Atqui caritas idipsum præstat. Ergo pœnitentia non distinguitur a caritate.

Resp. *Dist. maj.*—Ex eodem motivo et eodem modo ac caritas *N.* Secus *C.*—Et ideo *dist.* pariter *Min.* et *N. Cons.* Caritas enim peccatum odit tamquam malum Deo amato, et in ejus vindicationem ac destructionem non tendit; dum pœnitentia circa peccatum retractandum et expiandum versatur, idque non ex motivo caritatis, seu quia peccatum

est malum Dei summe boni, sed ex motivo creato, seu propter honestatem quæ relucet in retractandis et vindicandis offensis Deo illatis.

8. Qui caritatis perfectæ actum eliceret, vel de peccato doleret, *præcise* ut est malum Dei summe boni, summeque propter se dilecti, omnino et absolute peccatum destrueret.—Ergo pœnitentia ut distincta virtus videtur superflua.

Resp. *N. Cons.*—Quia perfectus ille caritatis actus virtualiter et eminenter includeret pœnitentiæ actum, in quantum caritas peccatum ex altiori motivo detestatur; qui tamen actus pœnitentiæ formalis et proprius elici deberet, si præceptum urgeret et facultas adesset. Profecto, licet caritas virtualiter legem totam adimpleat, superfluæ tamen non sunt virtutes aliæ morales, quæ ex specialibus motivis specialia præcepta adimplent.

Scholion. Hic quæri possent tria. 1. Quandonam pœnitentiæ virtus infundatur;—2. in quibus inveniatur;—3. quomodo amittatur. His quæstionibus ex modo dictis respondemus:—

1. Pœnitentia infunditur cum gratia sanctificante. Etenim pœnitentia est virtus moralis: sed morales virtutes infunduntur simul cum gratia sanctificante;—ergo et pœnitentiæ virtus tunc infunditur. Major probata fuit in thesi præcedenti: Minor in Tractatu *de Virtutibus Infusis.*

2. Pœnitentia est in parvulis baptizatis, et manet in beatis. Non fuit, nec est, in Angelis, juxta doctrinam S. Thomæ. "Peccatum Angeli," inquit S. Doctor (in 4. dist. 14. q. 1. a. 3. quæst. 4.), "est irremissibile. Et quia peccatum, ut est remissibile, vel expiabile, est propria materia istius virtutis quæ pœnitentia dicitur; ideo, cum materia non potest eis competere, non adest eis potentia exeundi in actu; et ideo nec habitus eis convenit; et ideo Angeli susceptivi pœnitentiæ virtutis esse non possunt."

3. Pœnitentia non fuit in Christo, in quo peccatum omnino et absolute adesse non poterat. In Beatissima Virgine Maria pœnitentiam fuisse quidam affirmant, quia licet Sanctissima Virgo ex privilegio numquam peccaverit, tamen absque tali privilegio deficere potuisset, attenta ratione status viatoris et conditione libertatis creatæ.—Alii vero, et ut videtur rectius, habitum pœnitentiæ Mariam non habuisse tenent;

quia, inquiunt, habitus non dantur ad actus absolute impossibiles, undequaque impossibilitas hæc tandem oriatur.

4. Demum pœnitentia, sicut ceteræ virtutes morales per se infusæ, amittitur, deperdita gratia sanctificante. Confer ea quæ circa harum virtutum amissionem traduntur in Tractatu *de Virtutibus Infusis.*

ARTICULUS SECUNDUS

De objecto formali pœnitentiæ.

Objectum formale cujuscumque virtutis illud dicitur quod est proximum et intrinsecum ejus *motivum,* seu *propria ratio* propter quam fertur in objectum materiale, et juxta quam a virtutibus reliquis discernitur.

Superiori articulo demonstravimus pœnitentiam esse specialem virtutem ; ideoque pœnitentia habet objectum suum formale proprium, quo ab aliis virtutibus distinguatur : quodnam est illud ?—Multum inter se theologi, dum huic quæsito respondent, discrepare videntur ; at potius quam doctrina, verbis dissentiunt. Quin ergo singulorum placita referamus, hic animadvertisse sufficiat, omnes, non utique eodem loquendi modo sed re, statuere pœnitentia attingi divinum jus peccato læsum ut reparabile per aliquam compensationem.—Id apertissime tenuit Angelicus (3. q. 85. a. 3.), propter quod et docuit pœnitentiam esse justitiæ partem.

Porro virtus quæ sit alterius virtutis pars, dupliciter nominatur ; nam sub aliquo virtutis genere inferiores virtutes dupliciter inveniri possunt. Quædam sunt quæ plene participant rationem illius generis ; et hæ ejusdem virtutis species, vel *partes subjectivæ* vocantur ; ut, ex. gr., justitia commutativa est species et pars subjectiva justitiæ, quia tota justitiæ ratio, quæ postulat ut unicuique quod suum est reddatur, in ea reperitur.—*Partes* vero *potentiales* alicujus virtutis sunt, ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 48. a. unico), "quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis," adeoque, ut idem Doctor alibi adnotat (in 3. sent. dist. 33. q. 3. a. 1. sol. 1.) sunt illæ quæ *participant aliquid* de modo qui principaliter et perfecte invenitur in aliqua virtute."—Inter *potentiales partes justitiæ*

adnumeranda est *pœnitentia,* quæ ad reparandam injuriam per peccatum Deo illatam pœnitentem inclinat.

Itaque sit

THESIS II.

Objectum formale pœnitentiæ est honestas quæ reperitur in reparatione juris divini per peccatum læsi; ideoque pœnitentia, ut pars potentialis, reducitur ad justitiam commutativam.

Ut 1ª *pars* thesis vindicetur, demonstrari debet pœnitentiam tamquam finem sibi primarium et intrinsecum intendere reparationem juris divini per peccatum læsi; ac proinde pœnitentiam esse quandam justitiam ad Deum.—Id autem sponte veluti sua fluit ex thesi præcedenti; et dilucide ab Angelico (3. q. 85. a. 3.) ita ostenditur:

"Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est, art. præc., ad 2., pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret caritas, sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ; sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte ejus qui offendit, utpote cum satisfacit; retributio autem est ex parte ejus in quem est offensa commissa. Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet, quia utrumque est commutatio quædam. Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiæ."

In 2ª *parte* thesis dicimus pœnitentiam *ad justitiam commutativam* reduci:—idque ex præcedentibus manifeste sequitur: pœnitentia enim commutationem quandam exhibet, dum pro offensa Deo illata, offert ut potest, compensationem aliquam et satisfactionem.

Addimus tamen pœnitentiam ad justitiam commutativam reduci, *ut pars quædam potentialis;*—et hoc verbis Doctoris Angelici demonstramus (in 4. dist. 14. q. 1. a. solut. 1. 5.):

"Dicendum quod quia justitia æqualitas quædam est; ideo non potest esse vera adæquatio ubi non est perfecta ratio justitiæ, sed aliquis justitiæ modus; sicut dicit Philosophus in 5. Ethic. (cap. 11.), quod domini

ad servum non est simpliciter justum, sed dominativum justum. Cum ergo inter hominem et Deum sit maxima distantia, non poterit ibi esse proprie dicta justitia hominis ad Deum, sed aliquis justitiæ modus quasi per similitudinem. Homo autem efficitur debitor alteri homini dupliciter. Uno modo per hoc quod ab eo sibi est datum, sicut in voluntariis communicationibus, puta in emptionibus et venditionibus. Alio modo per hoc quod ei subtraxit, sicut est in involuntariis communicationibus, ut est furtum, percussio, et hujusmodi. Et similiter aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit; et hac ratione Deo reddit debitum honorem latria, sive religio. Alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit; et sic reddit Deo debitum pœnitentia. Unde sicut religio ponitur pars justitiæ a Tullio, non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, inquantum aliquem modum justitiæ participat; ita etiam pœnitentia pars justitiæ poni debet."

Nec dicas,—pœnitens Deo satisfacturus seipsum affligit et cruciat; ergo pœnitentiæ habitus pertinet ad justitiam vindicativam.—Illatio est falsa; audiatur iterum S. Thomas (l. c. sol. 6.): "Pœnitentia et vindicativa justitia circa idem aliquo modo sunt, scilicet circa punitionem offensæ; sed differunt in duobus. Primo, quia vindicativa proprie inest in judice poenam infligente, quam reus quandoque invite sustinet; sed poenitentia est in ipso reo, qui voluntarius poenam sustinet pro culpa commissa. Secundo, quia vindicativa respicit offensam communiter; sed poenitentiæ virtus respicit offensam Dei; unde oportet quod poenitentia consistat in emendatione offensæ voluntarie assumpta, et talis qualis Deo competit. Sicut autem hominibus, qui vident ea quæ foris parent, fit offensæ recompensatio per aliqua exteriora; ita Deo, qui intuetur cor, oportet quod incipiat recompensatio fieri in ipso cordis affectu. Fit autem bene recompensatio præcedentis offensæ exterius in duobus. Primo in hoc quod aliquis exterius poenam subit pro offensa quam fecit; secundo in hoc quod cavet in futurum ne similis offensa ab eo fiat; et hæc duo oportet quod homo in corde exhibeat per poenitentiam: primo dolorem cordis pro malis quæ fecit; secundo propositum de cetero talia non committendi."

ARTICULUS TERTIUS

De objecto materiali pœnitentiæ.

Peccatum, seu libera transgressio præcepti in conscientia obligantis, dividitur, ut notissimum est, in peccatum mortale et veniale, prout vel amicitiam divinam solvit, vel eam non solvens, Deum transgressione quadam offendit, quæ veniam facile mereri potest. Actualis transgressio præcepti est *peccatum actuale;* hoc autem si mortale fuit, et moraliter perseveret, *peccatum habituale* constituit.

Ut clarius et penitius id intelligatur, pauca hæc subjungimus. Duo in peccato consideranda sunt, actus et malitia. Actus gignit habitum vitiosum inclinantem ad actus similes: malitia post se relinquit culpam habitualem, et reatum poenæ. Culpa autem habitualis complectitur maculam, offensam, et injuriam. Et macula quidem est animæ peccatricis duplex deformitas: una, quæ consistit in respectu ad actum peccati præteritum moraliter permanentem; altera quæ est in privatione gratiæ, ut docet S. Thomas, 1. 2. q. 86. a. 1. Offensa vero in eo sita est, quod homo per voluntariam defectionem a Deo, ipsi displiceat, et amicitia ipsius indignum se reddat. Injuria demum, quod violetur jus divinum, quo homo tenetur Deo fini ultimo plus adhærere, quam creaturis. Denique reatus est ortum ex peccato actuali debitum morale subeundi poenam. Ex hisce habitus vitiosus physice hæret in peccatore, cetera moraliter.

Jam vero ex superius disputatis perspicue constat:

1. Peccatum poenitentis tum actuale, tum habituale esse objectum materiale poenitentiæ:—nam objectum materiale cujusque virtutis illud dicitur circa quod immediate ejusdem virtutis actus versantur; et peccatum actuale, præsertim mortale, necnon peccatum habituale, poenitentiæ actus spectant; cum poenitentia peccatum, quod jus divinum lædit, detestetur, ac vindicet.

2. Peccatum, quod aliquando a poenitente commissum fuit, et jam est remissum, objectum etiam esse materiale poenitentiæ:—offensam enim a se per peccatum Deo illatam poenitens odit, de ea dolet, et optat numquam illam admisisse.

3. Ejusdem virtutis poenitentiæ objectum materiale proximum ac directum est peccatum omne, quod committi adhuc potest. Nam actus poenitentis præcipui sunt tristitia de peccato commisso, ejusque detestatio; et hi actus oriuntur ex odio, qui affectus malum secundum se respicit, præscindendo, præsensne illud sit, an absens. Ergo sicut odium in poenitente tristitiam ciet de peccato præsenti ejusque abominationem: ita in eodem excitat aversionem et fugam a peccatis absentibus sed quasi ingruentibus.

4. Peccatum originale non est objectum poenitentiæ proprie sumptæ, sed solum latiori sensu acceptæ;—etenim peccatum originale non oritur *ex actu pœnitentis,* per quem sit ei voluntarium; id tamen omnino requiritur ad pœnitentiam stricte acceptam. "De peccato originali pœnitentia," ait S. Th. (3. q. 84. a. 2. ad 3.); "nec principaliter est . . . nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi quo Apostolus dicit (Rom. v. 12.): 'In quo omnes peccaverunt.' In quantum tamen large accipitur poenitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici poenitentia de peccato originali, sicut loquitur Augustinus in lib. de Poenitentia [alius auctor, de vera et falsa Poenit. cap. 8.]."

5. Peccata aliena, propter rationem mox allatam, non comprehenduntur in objecto materiali poenitentiæ stricte sumptæ, quamvis de iis dolere possimus et debeamus.

6. Actus exterior peccati comprehenditur sub adæquato objecto poenitentiæ; non quasi ab interiori actu distinctus, sed ut est informatus actu interiori et quatenus cum eo constituit unum actum moraliter malum.

His breviter adnotatis, quæ objectum materiale poenitentiæ ostendunt, inquirendum superest, an virtus hæc ad omnia omnino peccata mortalia sese extendat, ita ut nullum prorsus peccatum sit quod per poenitentiam remitti non possit. Et ad verum quæstionis statum intelligendum, animadvertatur, in præsenti non quæri an ob multitudinem et maximam malitiam peccatorum quidam ita deserantur, ut numquam auxilium gratiæ ad poenitendum habituri sint: hac de re egimus in Tractatu *de Gratia.* Nunc solum quæritur, an multitudo aut enormitas talis detur peccatorum, ut licet poenitentiam agat, peccata hæc ab eo

commisa expiare et Deo per poenitentiam reconciliari peccator pœnitens jam non valeat?

Montanistæ et Novatiani aiebant graviora Christianorum peccata, ut idololatriæ, homicidii et adulterii, remitti non posse per poenitentiam; loquebantur tamen, ut videtur de sacramentali poenitentia, non de poenitentiæ virtute.—Richardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus, sæc. XV., in lib. 9. adversus errores Armenorum, talia scripsit ut nonnulli putaverint eum, tamquam probabilem sententiam, docuisse peccata quædam nulla omnino poenitentia posse dilui.—Joannes Morinus, Commentario de Disciplina in administratione sacramenti poenitentiæ, lib. 9. c. 28. hæc habet: "Antiqui Patres plerique crimen unicum adeo execrabile judicarunt, ut illius reis veniam neque ad Ecclesia, neque a Deo unquam esse concedendam dixerint." Sed addit: "Hæc quæstio ad theoriam pertinet, non ad praxim; cum dato tale esse posse crimen, vix unquam homines illud dignoscere possint."

Quid circa rem præsentem, catholica veritas, in Scripturis et in Patrum traditione evidenter expressa, doceat, aperiet

THESIS III.

Omnia peccata, utut multa aut atrocia sint, expiari in hac vita possunt per pœnitentiam.

Prob. thesis 1. *Ex Scripturis.* Nam sine exceptione pro numero et malitia peccatorum docent Deum hominibus peccata remittere si agunt poenitentiam.—Sic, ex. gr., in lib. Sapientiæ (XI. 24.) dicitur: "Misereris omnium . . . et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam;" idest patienter agis ut homines, quantumvis pravos, ad poenitentiam pro peccatis ab eis commissis provoces, qua misericordiam consequantur. —In Prophetia Ezech. (XVIII. 21–23.): "Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam: vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et

vivat."—Et (XXXIII. 14–16.): "Si autem dixero impio: Morte morieris: et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum: vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei: judicium et justitiam fecit, vita vivet."—Et ut evidenter appareat, testimonia citata spectare omnes peccatores, etiam illos qui post baptismi gratiam delinquunt, in II. Pet. (III. 9.), legimus: "Patienter [Deus] agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti."

In aliis Scripturarum locis poenitentiæ promittitur remissio peccatorum, utut multa sint aut gravissima. Ita apud Isaiam, (I. 16–18.), Dominus ait: "Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse. . . . . . Et venite, et arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt."—Et in Prophetia Jeremiæ (III. 1.): "Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te."

Præterea in N. T. legimus Christum, citra restrictionem ullam, vocasse peccatores omnes ad poenitendum, eisque, si poenitentiam agerent, veniam spopondisse. "Venite ad me omnes, inquit, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos" (Matt. XI. 28.). Similiter illimitatam potestatem remittendi poenitentibus peccata concessit Apostolis, eorumque in hoc ministerio successoribus, his verbis: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" (Joan. XX. 23.).

Demum exempla, in Scripturis N. T. relata, veritatem, quam defendimus, clare confirmant. Nam (Act. VIII. 22.) Simonem magum jam baptizatum ad poenitentiam Petrus hortatur, eique spem veniæ exhibet his verbis: "Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui." Ubi illud *forte* non dubium de sufficientia poenitentiæ ad remissionem peccati insinuat, sed humanæ voluntatis arbitrium et difficultatem quæ est in vera poenitentia agenda.—Et Apostolus Galatas post baptismum lapsos, et Corinthios itidem baptizatos, ac præsertim illum incestu foedissimo

coinquinatum ad poenitentiam provocat, priore Epistola; eumque, Epistola 2. cap. 2. veniam criminis ob poenitentiam declarat obtinuisse.

Prob. thesis 2. *Ex perpetua Ecclesiæ Traditione;* hæc enim in testimoniis mox citandis clarissima fulget.

Tertullianus in lib. de poenit. (c. 4.) fatetur: "Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit [Deus], idem et veniam per poenitentiam spopondit."

S. Pacianus, Ep. 1. ad Sempronianum (n. 5.) ex parabolis evangelicis probat omnia peccata poenitentibus condonari. "Quid," inquit, "illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, et gratulatur inventam; quod pastor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti, post prodacta omnia bona, et cum meretricibus et fornicariis nepotata, pater blandus occurrit, et invidum fratrem ostensa ratione castigat? 'Filius,' inquiens, 'meus hic mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est' (Luc. xv. 32.). Quid ille in via vulneratus, a Levita et sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis (Apocal. II.): Ephesios desertæ dilectionis accusat: stuprum Thyatirenis imputat; Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit; Laodicenorum divitias inurit; et tamen omnes ad poenitentiam satisfactionis invitat."

S. Joan. Chrysost. (ad Theod. lapsum paraen. 1. n. 4. et 6.) eamdem doctrinam docet et confirmat pulcherrime: "Nec dicas hæc ad eos qui modice deliquerunt pertinere: sed pone quempiam omni flagitio plenum, qui nihil non egerit, quod a regno illo excludat, qui a principio, non ex infidelium, sed ex fidelium, eorumque qui Deo placuerant numero fuerit, deinde vero, scortator, mœchus, mollis, fur, ebriosus, pæderastes, calumniator evaserit, et alia id genus crimina admiserit: ne hunc quidem si desperet approbaturus sum, etiamsi ad extremam usque senectam in nefariis illis atrocibusque flagitiis perseveraverit.... Hujusmodi quippe est Dei erga homines clementia: numquam aversatur sinceram poenitentiam; sed etiamsi quis in extremum improbitatis pertigerit, et hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit et amplexatur, nihilque non agit ut eum in pristinum statum restituat."

S. Epiphanius (hæres. 59. n. 2.), comparatione quadam veritatem, quam tuemur, illustrat. Hæc sunt ejus verba: "Ut enim is, qui virgi-

nitatem amisit, quod ad corpus attinet, repræsentare illam non potest, cum id minime natura patiatur; ita qui post baptismum in majora quædam crimina prolapsus est: perinde ac qui virginitate excidit secundum habet in continentia commendationis gradum; sic ille post baptismum graviore obstrictus scelere secundum habet sanitatis genus. Quod tametsi cum tanta, quanta prius, virtute minime conjunctum sit, non est tamen a consequendæ vitæ spe ac salutis alienum. Igitur eorum, qui in capessenda pœnitentia laborant, fructum ac præmium divinus sermo non rejicit."

S. Paulinus egregie canit (carm. 6. de S. Joan. Bapt.):

"O Pater, o hominum rerumque æterne Creator
Quot gradibus parcit pictas tua! quis pater unquam
Sustinet erranti toties ignoscere nato?
, ...
Quamquam jam nimius longe processerit error,
Desinat, et redeat: cum se damnaverit ipse,
Absolvi meruit: si pœnitet; irrita culpa est."

Et S. Augustinus, qui prius dixerat esse peccatum quod remitti non possit, sententiam suam sic declarat, et corrigit in lib. 1. Retract. (c. 19. num. 7.): "Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur."

Hinc Conc. Lateranense IV. (c. 1.) definivit: "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam *semper* potest reparari."

3. *Ex Ratione Theologica* confirmatur thesis. Nam si homo in hac vita *semper* est in statu viæ, semper profecto habet unde veniam peccatorum consequi valeat: ac proinde semper potest per pœnitentiam in viam redire justitiæ. Et quamvis verum sit actus pœnitentiæ in N. T. non remittere peccata post baptismum commissa, nisi cum voto sacramenti et in ordine ad illud; nihilominus, ut patebit inferius, habita vera contritione, peccata statim remittuntur.

Quædam Scripturarum loca, quæ difficultatem facessunt, declaranda sunt.

1. In lib. Prov. (I. 28.), ait Deus: "Invocabunt me et non exaudiam: mane consurgent et non invenient me."

Resp.—Loquitur hic Deus non de pœnitentia quam *in hac vita* agit peccator pœnitens ad obtinendam veniam peccatorum; sed de ea quam, *post hanc vitam*, in die judicii et in inferno impii acturi sunt:—nam in eodem capite (vers. 23.) peccatores Deus invitat ad pœnitentiam: "Convertimini ad correptionem meam: en, proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea." Et continuo de illis loquens qui *toto tempore vitæ* adhortationes et comminationes Dei despexerant, addit (v. 24–28.): "Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam," etc.

2. In Psal. (XVII. 42.) legitur: "Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos."—Et apud Jeremiam (XIV. 12.): "Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum."

Resp.—In his locis, sicut in aliis similibus, non agitur de pœnitentia *ad obtinendam peccatorum remissionem*, sed de invocatione Dei *ad arcendas calamitates temporales*, et pœnas pro delictis jam patratis. Id ex contextu patet. Etenim in Psal. XVII., ante verba objecta legitur (v. 41.): "Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti:"—et subjungitur (ver. 43.): "Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti; ut lutum platearum delebo eos."—Verba vero Jeremiæ, apertam præseferunt significationem, quam exposuimus: sic enim habent in contextu (v. 12.): "Cum jejunaverint non exaudiam preces eorum, et si obtulerint holocautomata et victimas, non suscipiam ea; *quoniam gladio et fame et peste* consumam eos."

3. Apud Matth. (XII. 31. 32.), Christus ait: "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro."

Resp.—Blasphemia in Spiritum Sanctum non dicitur irremissibilis quia *numquam* remititur; sed quia *secundum suam naturam* excludit ea per quæ remissio peccatorum habetur;—quamvis non præcludat viam omni-

potentiæ Dei, ut misericorditer vincat peccatoris malitiam, eumque ad veram poenitentiam adducat. Itaque peccatum illud irremissibile dicitur, quia *difficillime* de eo poenitentia habetur, propter pessimam peccatoris dispositionem; qui obstinatissima pervicacia Deo resistit, et gratiam ejus repudiat. Simili modo *incurabilis* dicitur morbus illius, qui pharmacum quo curari posset respuit.

Et hæc solutio difficultatis evidens apparet attenta natura peccati in Spiritum Sanctum. Etenim juxta communiorem Patrum expositionem dicendum est, illos in Spiritum Sanctum blasphemare, qui cognitam, Spiritu Sancto illustrante, veritatem, ex malitia improbant; et opera manifeste divina, Spiritus Sancti virtute patrata, dæmoni tribuunt.—Jam vero ille qui veritati et gratiæ ita resistit, profecto peccatum committit quod *ex se* præcludit viam ad poenitentiam agendam et salutem consequendam, licet aliquando *quasi miraculose*, ut ait S. Th. (2. 2. q. 14. a. 3.), per misericordiam Dei sanetur.—Et hic S. Athanasii animadversionem aptissimam referre juvat, quæ legitur in *Fragm.* in Matth. (Migne, t. 27. p. 1386.). "Observandum porro est," inquit, "non dixisse Christum, blasphemanti ac postea poenitenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, sive in blasphemia perseveranti: siquidem condigna pœnitentia peccata omnia eluit."

Præterea, ut idem S. Thomas adnotat (l. c.), peccatum in Spiritum Sanctum dicitur etiam alia de causa irremissibile, nimirum ex eo quod *de se* "habet meritum ut non remittatur" quantum ad poenam. "Qui enim," ait Sanctus Doctor, "ex ignorantia vel infirmitate peccat minorem poenam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat; et sic minorem poenam merebatur. Sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritus Sancti diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus poena diminueretur. Et ideo dicitur secundum expositionem Chrysostomi, Hom. 42. in Matth., a med., hoc peccatum Judæis non remitti, neque in hoc sæculo neque in futuro, quia pro eo passi sunt poenam et in præsenti vita per Romanos, et in futura vita in poena inferni; sicut etiam Athanasius, in tract. sup. illud Matth. 12.: 'Quicumque dixerit verbum,'

etc., inducit exemplum de eorum parentibus, qui primo quidem contra Moysem contenderunt propter defectum aquæ et panis; et hoc Dominus sustinuit patienter; habebant enim excusationem ex infirmitate carnis; sed postmodum gravius peccaverunt, quasi blasphemantes in Spiritum Sanctum, beneficia Dei, qui eos de Ægypto eduxerat, idolo attribuentes, cum dixerunt: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et ideo Dominus et temporaliter fecit eos puniri, quia ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum; et in futuro eis poenam comminatur, dicens: *Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum.*"

4. S. Paulus ad Hebræos (VI. 4.) scribit esse "impossibile eos qui semel sunt illuminati [idest baptizati sunt] et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam."

Resp.—1. Juxta S. Hieronymum (l. 2. adv. Jovinianum):—lapsos post baptismum in peccata enormia rursus renovari ad justitiam per poenitentiam est impossibile, quia *absolute* id fieri nequit *N.* Quia *difficillimum C.*—Reapse impossibile interdum in Sacris Scripturis idem est ac perquam difficile. Matth. XIX. 24. ait Christus: 'Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum:' qui tamen modo ante dixerat: 'Dives difficile intrabit in regnum coelorum:' et mox discipulis mirantibus, 'apud homines," inquit, "hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt." Et licet Jer. XIII. 23., sicut æthiops colorem cutis suæ mutare nequit, ita Judæos non posse mores suos malos mutare, Deus dicat eo quod male factis assueverint; tamen toto illo libro eos ad poenitentiam hortatur, et veniam eis pollicetur.

Resp.—2. Cum communiori Patrum interpretatione:—Impossibile est lapsos post baptismum renovari, iterato baptismo, et consequi liberalem remissionem culpæ et poenæ, eo modo, quo in baptismo habetur *C.* Impossibile est, eos per virtutem et sacramentum poenitentiæ veniam peccatorum obtinere et salutem consequi *N.* Sensum istum ipsa Pauli verba nobis aperiunt: *Qui semel sunt illuminati,* i. e. baptizati: illuminari enim veteribus, baptizari est. *Rursus renovari:* renovamur per baptismum. *Rursum crucifigentes:* baptismum esse symbolum mortis Domini, ait Apostolus Rom. VI. 3. Et idem Hebr. X. 26. docens dicit: "voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veri-

totis, jam non relinquitur pro peccatis hostia," i. e. non alia mors Christi, quæ iterato baptismate repræsentetur.—Egregie interpretationem hanc confirmat scopus Apostoli; qui, ut scite adnotat S. Athanasius (Epistola 4. ad Serapionem num. 13.), "Hebræis scripsit, et ne illi poenitentiæ obtentu existimarent, juxta legis consuetudinem multa esse et quotidiana baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur; unamque esse *per baptismum* renovationem, nec secundam superesse affirmat."

5. Apostolus in eadem Epistola ad Heb. (XII. 16. 17.) ait: "Ne quis [sit] fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua: scitote enim, quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit poenitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam."

Resp.—Sensus horum verborum est, Esau impetrare non potuisse ut Isaacum poeniteret quod Jacobo dederit benedictionem:—ideoque nullam difficultatem præseferunt contra thesim nostram. Ad exemplum autem Esau provocat Apostolus, ut ostendat inutilem fore poenitentiam post hujus vitæ tempus a Deo concessum ad veniam impetrandam et consequendam.—"Propter quod," ait Apostolus in eodem contextu (v. 12.), "remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur."

6. In I. Joan. (v. 16.) legimus: "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis."

Resp.—In his verbis Apostolus Joannes non affirmat impossibilitatem veniæ obtinendæ ab eo qui peccavit peccato ad mortem, si postea vera poenitentia convertatur ad Deum; sed solum *non promittit* alios fideles posse suis precibus conversionem hujus peccatoris ita confidenter petere et impetrare, ut poenitentiam et veniam impetrant pro illis qui levioribus delictis coninquinati sunt.—Quodnam vero sit illud peccatum quod dicitur hic *ad mortem*, certo non constat. Probabiliter affirmari potest, illud esse a Christi fide apostasiam, per reditum sive ad Judaicas superstitiones, sive præsertim ad idololatriam.

In confirmationem solutionis allatæ audiatur S. Ambrosius (de poenit. l. 1. c. 10. et 11.): "Tales igitur deprecatores [sanctitate eminentes] in delictis maximis sunt requirendi, nam si quicunque de populo

orent, non exaudiuntur. Unde nec illa quæstio vestra quidquam poterit afferre ponderis, quam sumitis de Epistola Joannis dicentis: 'Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit illi vitam Deus, quia non peccat ad mortem. Est peccatum ad mortem, non de illo dico, ut oret,' (I. Joan. v. 16.); non enim ad Moysen et Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium peccatorem deberet adhibere: cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam justorum orationibus reservandam putet. . . . . Quia de Joannis generali epistola sermo est, ipsius Joannis in Evangelio scripta interrogemus, utrum cum vestra interpretatione conveniant. Scribit enim dixisse Dominum: 'Quia sic dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,' (Joan. III. 16.). Si quem ergo lapsum revocare cupias; ut credat, an ut non credat, hortaris? Utique ut credat. Sed qui credit juxta Domini sententiam, habebit vitam æternam. Quomodo ergo prohibebis orare pro eo, cui æterna vita debetur? . . . . *Omnis*, inquit, *qui credit in eum, non pereat.* Cum omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur; non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat."

Ut difficultates, quæ ex quibusdam Patrum locutionibus desumuntur, solvi possint, sequentia præ oculis habenda sunt:

1. Patres dum aiunt quædam peccata non remitti, non docent ea per poenitentiam expiari non posse, sed referunt id quod sæpissime, ex culpa hominis, qui ad veram poenitentiam convertere se non vult, contingit.

2. Patres affirmant peccata quædam esse irremissibilia, non absolute, sed quia *secundum se* nullam excusationem ex infirmitate carnis habent; ac proinde nullam, *inspecta eorum malitia,* veniam merentur.

3. Patres difficultatem veniæ consequendæ pro gravioribus delictis urgent, ut ab illis committendis homines deterreant; at *omnimodam impossibilitatem* remissionis obtinendæ per poenitentiam *numquam adstruunt.*

ARTICULUS QUARTUS

De actibus pœnitentiæ elicitis.

Duæ sunt justitiæ partes, declinare a malo et facere bonum, quæ non modo in justitia particulari, seu in ea quæ specialis est virtus, sed etiam in justitia, universaliter sumpta, ac proinde in omni virtute inveniuntur. Cum igitur poenitentia sit virtus, et pars justitiæ, pœnitentiæ erit non modo declinare a malo, id est a peccato; sed etiam facere bonum, idest id velle.—Quinam vero sint actus, quos pœnitentia elicit, tendendi in bonum et a malo recedendi breviter hic declarabimus.

Et primo ad *actus tendendi in bonum* quod attinet, pœnitentia omnes actus elicere potest, quibus voluntas in bonum tendit. Hinc pœnitentia potest habere *simplicem voluntatem,* seu *amorem* circa honestatem justitiæ ad Deum ; deinde actus *desiderii* operandi hujusmodi justitiam ; *intentionis* destruendi peccatum, non amplius peccandi, satisfaciendi Deo, et utendi mediis ad hunc finem accomodatis; demum, *gaudere* potest de tali justitia ad Deum, vel etiam de satisfactione exhibita pro peccatis.

Quoad *actus pœnitentiæ circa malum* dicimus eam illos omnes contra peccatum elicere, quibus voluntas malum refugit:—hinc peccati *odium, detestatio* et *dolor. Odium* est a peccato simplex aversio ; *detestatio* addit odio desiderium, quo cupimus peccatum numquam a nobis fuisse admissum: et ex detestatione peccati oritur *dolor,* seu afflictio et lucta quædam animi conantis malum excutere.—Quod autem dolor peccati *physice* sit actus a detestatione distinctus, licet *moraliter* ita in homine viatore conjuncti sint, ut per modum unius reputentur; patet ex communi sententia Philosophorum et Theologorum de actibus humanis tractantium ;—amorem enim a gaudio et gaudium a desiderio distinguunt, et eadem ratione dolorem ab odio et a desiderio fugiendi malum. Porro in pœnitentia dolor ad detestationem comparatur tamquam ad desiderium fugiendi malum peccati. Insuper distinctum esse dolorem a detestatione peccati intelligimus ex eo quod hanc detestationem habent Beati absque dolore, cujus sunt incapaces ;—et desumimus etiam ex

descriptione doloris, quam S. Augustinus tradidit (de Civ. Dei, lib. 14. c. 15.) : "*Dolor est displicentia de his, quœ nobis nolentibus accidunt:*"—nam in ea S. Doctor evidenter docet dolorem supponere alium actum quo peccator nollet peccasse, et hic actus detestatio est peccati. Quocirca, animadvertit Suarez (disp. 3. sect. 4. n. 3.), "cum dolor dicitur displicentia, vel hæc vox sumitur in quadam generali significatione, qua dicitur de omni actu voluntatis circa malum . . . . vel effectui tribuitur nomen causæ."

Quomodo in vera pœnitentia detestatio peccati sit absoluta, efficax et universalis, declarabit breviter

THESIS IV.

Detestatio prout respicit actum peccati commissi est efficax et absoluta ex parte subjecti; quamvis sit sub conditione afficiente objectum;—sed prout spectat habituale peccatum est efficax et absoluta tum ex parte subjecti, tum ex parte objecti. Si vero ratio detestandi omnibus peccatis mortalibus sit communis, tametsi detestatio formaliter et inspecto objecto materiali unius tantum peccati esset; virtualiter tamen universalis erit, et absolute ab affectu omnis peccati mortalis voluntatem avertet;—Quapropter actus virtutis pœnitentiœ, ut est quœdam justitia ad Deum, si sit perfectus, absolutus et efficax, est virtualis detestatio peccatorum mortalium, etiamsi circa unum tantum expresse versetur.

Prob. 1[ma] *pars thesis.* Detestatio relate ad *actum peccati prœteritum,* quamvis non valeat efficere quominus illud peccatum factum non fuerit; valet tamen absolute et efficaciter ad avertendam voluntatem ab affectu peccati; nequit enim esse simul cum tali voluntatis actu amor peccati.—Ergo detestatio hæc, *ex parte objecti,* relate ad actum peccati commissi, est efficax et absoluta.—Nihilominus quia hæc ipsa detestatio non caret conditione *ex parte objecti,* et efficaciam non habet circa actum peccati præteritum ut illud destruat;—nam per eam detestationem abominatur homo peccatum commissum ita ut vellet, *si posset,* facere illud non fuisse;—ideo detestatio peccati dici debet esse *sub conditione afficiente objectum.*

Prob. 2da *pars thesis.* Ex modo probatis: peccator enim pœnitens non tantum odit *peccatum habituale,* sed absolute illud retractat, et destruere intendit et uti vult mediis efficacibus quibus ab illo se expediat; ideoque detestatio, quatenus respicit *peccatum habituale,* est omnino efficax et absoluta.

Prob. 3tia *pars thesis.* Actus qui prorsus repugnat adhæsioni voluntatis cuicumque peccato mortali, est *virtualiter* detestatio, quæ absolute ab affectu omnis peccati mortalis voluntatem avertit.—At si ratio detestandi unum peccatum mortale, omnibus peccatis mortalibus sit communis, actus detestationis, qui *formaliter* spectat illud unum peccatum mortale, repugnantiam perfectam habebit cum adhæsione voluntatis cuicumque peccato mortali.—Ergo actus ille detestationis qui formaliter unum peccatum mortale respicit, erit *virtualiter* detestatio, quæ absolute ab affectu omnis peccati mortalis voluntatem avertet.

Minor argumenti constat. Cum enim adæquata ratio pro detestatione unius peccati mortalis omnino eadem sit ac pro detestatione omnium peccatorum mortalium, non potest voluntas eodem tempore unum odio et aliud amore prosequi.

Demonstratio hæc illustrari potest exemplis:—nam qui detestatur unum peccatum mortale propter timorem æternæ damnationis, necesse est ut virtute omnia peccata mortalia detestetur; quia per quodlibet æternæ pœnæ reatus incurritur: et similiter qui unum peccatum mortale odit quia hominis amicitiam cum Deo dissolvit, impossibile est ut omnia peccata odio virtualiter non prosequatur, cum quodlibet eorum eamdem malitiam contineat et eumdem producat effectum.

Confirmatur adhuc conclusio a simili ex assensu fidei. Hic enim assensus licet interdum versetur circa definitum quoddam dogma, puta Incarnationem Verbi, Trinitatem, Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ Conceptionem, semper tamen est universalis virtualiter, quatenus nempe ille qui talem actum fidei elicuit ita est dispositus ut quamcumque aliam veritatem fidei credere velit, si hæc ei rite proponatur.

Prob. 4ta *pars thesis.* Ex demonstratione tertii enunciati recte infertur quod ultimo in thesi statuitur; nempe actum pœnitentiæ, si sit perfectus, absolutus et efficax, esse *virtualem* detestationem omnium peccatorum mortalium, etiamsi *formaliter* circa unum tantum versetur.

Etenim, motivum hujus virtutis, ut plane constat ex dictis, universale est et respiciens omnia peccata gravia, cum omnia et singula eorum malitiam injuriæ Deo illatæ contineant, quam pœnitentiæ virtus detestatur :—igitur detestando unum peccatum ad hanc injuriam vitandam ; *virtualiter* omnia alia detestari, quæ eamdem injuriam involvunt, necesse est.—Quod optime P. Suarez (disp. 3. sect. 8. assert. 4.) exemplo pœnitentis confirmat, qui "non doleat expresse de omnibus peccatis, nec materialiter de uno, vel alio, sed indefinite doleat solum quod offenderit Deum, propter malitiam talis offensionis ;—ille virtute dolet de qualibet offensione, quia non est minor ratio de una, quam de alia ;—ergo qui detestatur aliquod peccatum, propter divinam offensionem præcise, virtute detestatur omnia, quia per illum actum simpliciter et absolute dolet de ipsa divina offensione."

Neque dicas, 1.—voluntas est libera ; ergo, etiam ex motivo universali, potest unum peccatum detestari quin detestetur alia.

Resp.—Voluntas, prout libera est, potest detestari vel non detestari peccata, aut unum *formaliter* detestari, et non alia ; sed nequit, dum unum propter universale motivum detestatur, alia *virtualiter* eodem tempore non detestari. "Quamvis libertas voluntatis," ait Suarez (l. c. n. 10.), "possit conferre ad volendum formaliter unum objectum et non aliud, *non tamen potest separare virtualem inclusionem unius in alio ;* et consequenter nec separare potest virtualem volitionem unius a formali volitione alterius, quam habere supponitur ex libertate sua."

Neque dicas, 2.—Potest voluntas, ex pœnitentiæ motivo, immo etiam ex motivo caritatis, peccatum aliquod gravissimum detestari ob talem malitiæ gradum quem exhibet ; et virtualiter leviora peccata tunc non detestatur, quia non habent eumdem malitiæ gradum.—Ergo.

Resp. — Nego assertum ; nequit enim dari actus pœnitentiæ, aut caritatis, qui peccatum mortale detestetur propter *gradum malitiæ* quem exhibet ; et non etiam, immo principalius, propter *ipsam injuriam* Deo illatam, aut propterea quod *amicitiam cum Deo* dissolvit. Quare si detestatio *illius gradus* malitiæ, quæ in aliquo peccato mortali gravissimo invenitur, procedat ex virtute pœnitentiæ aut caritatis, necesse est ut actus harum virtutum,—peccato repugnantium prout est injuria Deo illata, et malum Dei summe propter se dilecti,—non modo *gradum* malitiæ, sed ipsam *malitiam* detestetur ; ac proinde debet ipse actus

virtualiter detestationem includere omnium peccatorum mortalium, in quibus, etsi non in eodem gradu, malitia tamen eadem invenitur.

Neque dicas, 3.—Qui ex motivo universali detestatur peccatum mortale, non detestatur semper omnia venialia; ergo non semper detestabitur simul omnia mortalia.

Resp. *N. Cons.*—Venialia peccata non semper continent motivum peccatorum mortalium: nam pœnitentia odit ac detestatur peccatum mortale, quia ita injuriosum Deo est, ut ei tollat rationem finis ultimi; caritas peccatum aversatur, quia dissolvit Dei amicitiam; spes a peccato abhorret, quia privat divina gratia, et pœnas sempiternas accersit; et motiva isthæc, peccatis mortalibus propria, minime venialibus sunt communia; ad quæ retinere potest affectum, qui peccata mortalia efficaciter detestatur.

Scholion. Ad complementum doctrinæ, præstat cum Suaresio (disp. 3. sect. 8. assert. 6. num. 16.) hic animadvertere, pœnitentiam peccati venialis, ex eo præcise quod offensa Dei est, *virtualiter* pœnitentiam mortalium continere; cum nequeat ille, qui *ita* detestatur venialem Dei offensam, retinere *actualem* complacentiam in mortali peccato.

Profecto, ut recte adnotat eximius doctor, ille "qui efficaciter vult non retardari a fine consequendo, a fortiori implicite vult non averti a tali fine: sicut qui efficaciter fugit ægritudinem, a fortiori fugit mortem, quantum est ex vi illius actus. Et qui efficaciter odio habet pœnam temporalem, multo magis æternam; et qui odio habet remissionem virtutis, multo magis amissionem: peccatum autem veniale impedit fervorem caritatis: mortale autem tollit caritatem; ergo. Dices. Malitia vel offensio venialis peccati est diversæ rationis a malitia mortalis; ergo non est cur detestatio unius virtute contineat detestationem alterius. Respondetur, negando consequentiam, quia illa duo habent inter se subordinationem quandam, et analogiam, ita ut veniale in ordine ad mortale, vel per quandam participationem ejus habeat rationem offensionis: et ideo in detestatione illius a fortiori continetur implicite seu virtualiter detestatio alterius."

ARTICULUS QUINTUS

De natura contritionis perfectæ.

Contritio *generice* significat, juxta Concilium Tridentinum (sess. 14. c. 4.), "dolorem animi et detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero." Hoc sensu sub se comprehendit *contritionem perfectam* et *attritionem*. Nomine autem *contritionis perfectæ*, vel *contritionis stricte acceptæ*, intelligitur, usu theologico, non quælibet detestatio peccati qua pœnitens viam sibi parat ad justificationem consequendam, ex se quidem remote et insufficienter, cum sacramento tamen sufficienter—hæc enim detestatio vocatur *attritio*;—sed illa quæ tam excellens sit ut, *extra sacramentum*, quamvis non *sine voto* sacramenti, disponat *ultimo* ad gratiam justificationis. Hanc esse contritionis perfectæ excellentiam negaverunt Jansenius, Baius, aliique, asserentes peccata cum perfecta cordis contritione consistere posse, eamque, *ordinarie*, extra casus necessitatis, non reconciliare hominem Deo, statim, ante acceptam sacerdotis absolutionem:—at erroneam hanc doctrinam Ecclesia censura proscripsit, ut inferius demonstrabimus.

Diximus contritionem perfectam non reconciliare hominem Deo *sine voto* sacramenti; sed non contendimus *votum* sacramenti *explicitum* esse necessarium:—etenim hac in re eædem rationes militant ad ostendendam sufficientiam *voti impliciti sacramenti pœnitentiæ*, quæ valent ad excludendam necessitatem *voti expliciti sacramenti baptismi* in eo qui per baptismum flaminis, idest per actum caritatis perfectæ vel perfectæ contritionis, remissionem originalis peccati consequitur, et actualium quæ cum eo conjuncta fuerint.—Confer ea quæ ex doctrina Suaresii tradidimus, libro 1. harum prælectionum, de Baptismo, art. 5. § 2.

Præterea idipsum constare videtur ex ipsis Concilii Tridentini verbis, quæ non modo nihil statuunt circa necessitatem voti expliciti quod respectu sacramenti elici debeat simul cum actu contritionis perfectæ ad obtinendam justificationem; sed aperte docent *votum* sacramenti in contritione includi. "Docet præterea," ait Concilium (l. c.), "etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat,

hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti *voto, quod in illa includitur,* non esse adscribendam."

At ex quonam motivo elici debet contritio ut sit perfecta et extra sacramentum ad obtinendam valeat peccatori justificationem?—Sufficitne ut ex solo motivo pœnitentiæ concipiatur, aut imperetur ab aliqua virtute quæ non spectet præmium nobis promissum, aut comminatam pœnam, sed ipsum Deum; aliis verbis, sufficitne ut detestationem habeamus de peccato commisso, quia est, e. g., contra præceptum Dei, jus ejus aut ejus cultum?—Quidam theologi hanc opinionem tamquam probabilem propugnaverunt;—communis tamen et certa sententia docet contritionem ad justificationem sufficientem oriri debere ex motivo caritatis, seu supernaturalis amoris Dei super omnia propter se dilecti. Hæc conclusio, ait de Lugo (disp. 5. sect. 1. num. 10.), omnino tenenda est, et pro se habet "auctoritatem fere omnium theologorum, a quibus in re tanti momenti non est facile discedendum."

Neque a communi sententia recessit Suaresius. Utique aliquando putavit detestationem universalem, *ex motivo pœnitentiæ* elicitam, "*per se, et sine formali amore, sufficere ad rationem contritionis;*" hanc enim detestationem censuit "continere *virtualiter* amorem Dei:"—sed re melius perpensa, opinionem istam Suarez rejecit; ut evidenter patet ex ejus verbis:—"Superest," inquit Suarez (disput. 4. sect. 2. assert. 2. num. 14.), "alia detestatio peccati quatenus est contra bonum Dei in se, ejusque dissolvit amicitiam. Hæc igitur erit propria, et per se contritio. Et hanc assertionem intendit D. Thomas ubicunque docet veram displicentiam peccati esse actum elicitum caritatis, ut artic. sequent. ad 1. et 1. 2. quæst. 1. 13. artic. 5. ad 1. et sæpe alias: loquitur enim de displicentia-remissiva, et per se expulsiva peccati in ratione dispositionis. Deinde illa displicentia vere dici potest esse propter Deum summe dilectum, quia est elicita ex caritate ejus, et respiciendo solum ad bonitatem, et amicitiam ejus. In quo differt multum a præcedente detestatione, de qua proxime dictum est; illa enim non respicit bonitatem Dei in se, sed solum conformitatem ad rationem in servanda æquitate justitiæ: et ideo etiam non est simpliciter super omnia, quia non est ex supremo motivo, sicut hæc detestatio, de qua nunc agimus. Quare etiam illa non continet virtualem amorem, sicut hæc, quia est inferioris rationis, et virtutis."

Unum igitur contendit Suarez, nimirum non requiri *formalem actum amoris,* cum detestatione peccati elicitum, ut contritio perfecta habeatur, quæ hominem peccatorem ultimo disponat ad justificationem extra sacramentum; sed sufficere detestationem peccati, quæ et *virtualiter,* et *voto amorem includat.* "Dico secundo," ait (num. 9.), "fieri posse, ut peccator justificetur *absque proprio et formali actu* amoris Dei *in re ipsa tunc elicito,* per detestationem peccati, quæ *et virtualiter et voto amorem includat.*"—Et alio in loco, differentiam inter contritionem et attritionem assignans, ait (disp. 5. sect. 1. num. 10.): "contritio *ex propria ratione includit formaliter vel virtute dilectionem Dei* super omnia, attritio vero minime; et inde habet unde non sit ex se sufficiens dispositio."

His præmissis statuitur

THESIS V.

Contritio perfecta, quæ et contritio simpliciter appellari consuevit, etiam extra casum necessitatis, Deo peccatorem pœnitentem reconciliat, ante usum sacramenti, sed non citra sacramenti votum, quod in contritione ipsa includitur.—Hæc autem contritio, qua extra sacramentum, quamvis non sine sacramenti voto justificamur, concipi debet ex motivo caritatis, seu supernaturalis amoris Dei super omnia propter se dilecti.

I. Veritas quæ 1ma *parte thesis* proponitur inter dogmata fidei, expresse definita, accenseri nequit; attamen tam certa est, ut propositio contradictoria saltem hæresi proxima dicenda sit.—Et probatur

1. *Ex aperta declaratione Concilii Tridentini,* superius citata:—docet enim Concilium (sess. 14. cap. 4.), "etsi contritionem hanc [generice a Concilio ibi descriptam] aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam"—Porro hæc verba, obvio sensu intellecta, docent *contritionem,* semper ac *perfectam* eam esse contingit, *hominem* ante usum sacramenti *Deo reconciliare;* non autem eum *in quibusdam* casibus *tantummodo* reconciliare.—Quin etiam ita persuasum fuerat Tridentinæ Synodi Patribus nullam esse perfectam contritionem quæ, ante sacramentum, statim, peccatorem Deo non reconciliet; ut "canon quoque paratus fuerit," teste Pallavicino (Hist.

Concil. Trident. l. 12. c. 10. n. 27.) "ubi damnabatur quisque negaret contritione, qua pœnitens, divina gratia per Christum cooperante, dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi et satisfaciendi, remitti peccata."—Ab hac tamen definitione abstinuere Patres, ne expresse *anathemate damnarent* opinionem quam nonnulli theologi antiquiores propugnaverunt.

2. *Ex damnatione propositionis* 71., inter 79. *Michaelis Baii* damnatas a S. Pio V., Bulla "Ex omnibus afflictionibus" etc. data 1. Octobris 1567, necnon a Gregorio XIII., Bulla "Provisionis nostræ" etc., die 29. Jan. 1579., et ab Urbano VIII., Bulla "In eminenti" etc., die 6. Martii 1641.

Propositio vero 71. damnata, ita habet: "Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti."

Et hic referre etiam juvat S. Facultatem Parisiensem, ab Episcopis Belgii consultam, anno 1560., die 7 Junii, inter alias propositiones, hanc undecimam, tamquam *hæreticam* et *schismaticam*, damnasse: "Per contritionem, non adhibito realiter sacramento baptismi aut Pœnitentiæ, non dimittitur peccatum, extra casum martyrii, aut necessitatis."

3. *Ex Scripturis.* Etenim Deus remissionem peccatorum et gratiam justificationis generatim pollicetur omnibus peccatoribus perfecte contritis. Ergo.—*Ant.* constat, nam apud Ezechielem (XVIII. 27. 28.) legimus: "Cum converterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam; ipse animam suam vivificabit. Considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur."—Et ibidem (XXX. 12.): "Impietas impii non nocebit ei, *in quacumque die* conversus fuerit ab impietate sua." Hic autem *dies*, Hebraica phrasi, ponitur pro *momento temporis*, perinde ac in Genesi (II. 17.): "In quacumque die comederis ex eo, morte morieris."

4. *Ex efficacitate contritionis perfectæ ante sacramenti pœnitentiæ institutionem.* Et sane, in Vetere Testamento, contritio perfecta continuo hominem Deo reconciliabat.—Sed dignitas contritionis in Novo Testamento imminuta non fuit; nec, per sacramenti pœnitentiæ institutionem, aucta difficultas obtinendæ veniæ a Deo;—nam, e contra, per illud via

reconciliationis facilior aperta fuit peccatoribus; dispositio enim quæ in veteri lege sufficiens non erat ad obtinendam peccatorum remissionem, in nova lege, mediante sacramento, sufficiens fit.—Ergo in Novo etiam Testamento perfecta contritio, ante sacramenti usum, Deo hominem reconciliat.

5. *Ex doctrina Patrum*, quorum selecta, speciminis gratia, testimonia hic adjiciam.

Tertullianus (de Pœnit. c. 4.) ait: "Omnibus ergo delictis . . . veniam per pœnitentiam spopondit [Deus], dicens ad populum: '*Pœnitere, et salvum faciam te*' (Ezechiel. XVIII. 21. 23.). Et iterum, *Vivo*, inquit Dominus, *et pœnitentiam malo quam mortem.* Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imo me minor, ego enim præstantiam in delictis meam agnosco), ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum, prolevabit et in portum divinæ clementiæ protelabit. . . . . . Bonum est pœnitere, annon? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat (Ezechiel. XXXIII. 11.) præmio salutis; jurans, etiam *Vivo* dicens, cupit credi sibi. O beatos nos quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus."

S. Joannes Chrysostomus (ad Theod. lapsum l. 1. nn. 6. 7.) inquit: "Non ex temporis longitudine, sed ex *animi affectu* pœnitentia æstimatur. Ninivitæ siquidem non multis diebus opus habuerunt, ut peccatum delerent suum, sed exiguum diei tempus potuit universam eorum abolere iniquitatem: et latro non multo tempore paradisi ingressum impetravit, sed eo spatio quo verbum unum profertur, eo momento abstersis totius vitæ suæ peccatis, etiam ante Apostolos probationis præmium accepit. . . . Quapropter ubique nobis alacritate, seduloque animi affectu est opus: quod si ita paremus conscientiam, ut tanta vehementia pristinam malitiam detestemur, et contrariam viam deligamus, quantam Deus imperat ac requirit, nihil ob temporis brevitatem habebimus minus, quandoquidem multi novissimi primos longe antecesserunt."

S. Ambrosius (in Apol. David, c. 7. n. 39.) in verba Ps. (XXXI. 5. 6.): "Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remi-

sisti impietatem peccati mei," hæc habet: "Dixit, *Pronuntiabo,* et veniam meruit antequam pronuntiaret: quanto magis ubi de se pronuntiavit dicens, *Iniquitatem meam ego agnosco* (Ps. L. 5.), remissum est ei omne peccatum."

Et S. Augustinus in eadem verba Davidis egregie adnotat (Enar. 2. in Ps. XXXI. 15.): "Quid dixisti? Non jam pronuntiat, promittit se pronuntiaturum; et ille jam dimittit. Attendite, fratres; magna res: dixit, *Pronuntiabo:* non dixit, Pronuntiavi, et tu dimisisti; dixit, *Pronuntiabo et tu dimisisti:* quia eo ipso quod dixit, *Pronuntiabo,* ostendit quia nondum ore pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere *Pronuntiabo,* pronuntiare est: ideo *et tu dimisisti impietatem cordis mei.* Confessio ergo mea ad os nondum venerat; dixeram enim, *Pronuntiabo adversum me:* verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. *Tu dimisisti impietatem cordis mei;* quia dixi, *Pronuntiabo.*"

S. Gregorius Magnus (Hom. 33. in Evang. n. 8.) postquam exposuerit verba Salvatoris de Maria Magdalena Simoni Pharisæo dicentis, "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum," addit: "Ad vos ergo, fratres carissimi, ad vos oculos mentis reducite, et pœnitentem peccatricem mulierem in exemplum vobis imitationis anteferte; quæque ... in juventute deliquisse meministis, deflete; morum operumque maculas lacrymis tergite. Amemus jam Redemptoris nostri vestigia, quæ peccando contempsimus. Ecce, ut diximus, ad recipiendos nos supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis vita contemnitur. Per hoc quod inquinationem nostram perhorrescimus, internæ jam munditiæ concordamus. Revertentes nos Dominus clementer amplectitur, quia peccatorum vita ei esse indigna jam non potest, quæ fletibus lavatur in Christo Jesu Domino nostro."

Denique S. Fulgentius (de Remis. Peccat. lib. 1. cc. 11. 12.) ait: "Dicitur *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris;* ostendit ex conversionis conditione promissionem salutis omnino pendere. Hæc est igitur inter Deum hominemque conditio, id est, inter præcipientem Dominum servumque poscentem, inter judicem qui sine justitia misericordiam prærogat, et peccatorem qui misericordiam juste judicantis expectat. Dicit igitur iste Dominus, misericors et justus, severus et pius: Si hoc feceris, hoc habebis; si quod dico custodieris, dabo quod

poscis; ego tibi præcipio conversionem, tu poscis a me salutem; si parueris præcepto, potieris beneficio; si jussa fieri videam, postulata concedam: *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.* . . . . . Apud Deum quippe severum et bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poscentis fletus attenditur, tunc flenti conceditur salus, si fuerit ad Deum contriti cordis humilitate conversus. Necesse est enim ut Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conversus agnoscat. . . . . . . Agnoscebat [David] iniquitatem suam, non ut peccando magis augeret, sed ut pœnitendo dilueret; atque ita dominationem peccati, quam delectatio culpabilis invexit, conversio vera submovit. Et quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuo salvus est factus, atque ita in eo completum est quod per prophetam præcipitur: *Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.*"

6. Et inde est ut eamdem doctrinam populo fideli tradendam docens atque inculcans *Catechismus Concilii Tridentini* (p. 2. n. 42.) dicit:

"Cum pleraque alia pietatis studia, veluti beneficia in pauperes, jejunia, preces et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiscuntur, a Deo interdum repudientur: ipsa certe contritio nunquam illi grata et accepta esse non potest. Nam, inquit Propheta (Psal. L. 19.): 'Cor contritum et humilitatum, Deus, non despicies.' Quin etiam statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco ejusdem Prophetæ verba illa declarant (Ps. XXXI. 5.): 'Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.' Atque ejus rei figuram in decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, *veræ contritionis*, de qua supra dictum est, *eam vim esse*, ut illius beneficio *omnium delictorum veniam statim a Deo impetremus.*"

At si in nova etiam lege contritionem perfectam valere ad reconciliandum illico peccatorem pœnitentem Deo contendimus; hoc tamen intelligimus juxta Tridentinæ Synodi declarationem, quæ monet "*ipsam reconciliationem contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*"

Quapropter dicimus contritionem *ultimo* ad justificationem disponere, ita ut peccator pœnitens, actu contritionis elicito, Deo reconcilietur

antequam per potestatem clavium absolvatur ;—sed addimus id non fieri *citra votum* recurrendi ad illam potestatem, et recipiendi absolutionem sacramentalem ; quod votum in contritione perfecta semper includitur. Hinc, ante Concilii Tridentini ætatem, a Sixto IV. a. 1479. hæc Petri Oxumensis propositio damnata fuit : "Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claves."

Ratio autem istius ordinis ad Ecclesiæ claves aperta est. Etenim, juxta catholicam fidem, ut inferius demonstrabimus, sacramentum pœnitentiæ est, ex institutione Christi, *medium* omnino *necessarium* ad remissionem consequendam peccatorum mortalium, quæ post susceptionem baptismi commissa fuerunt :—nequit ergo homo baptizatus veniam obtinere pro peccatis post baptismum ab eo patratis, sine relatione saltem aliqua ad illud medium, et dependentia quadam ab illo.—Porro contritio perfecta, quæ ex caritate concipitur, ut mox patebit, ordinem *implicite saltem* ad claves, seu *votum sacramenti pœnitentiæ,* tamquam *medii necessarii* pro remissione peccatorum mortalium baptizatorum, *semper includit;* nam *caritas* est *plenitudo legis,* et votum habet implendi omnia quæ a Deo statuta sunt. Deus autem ex infinita bonitate sua, in actu contritionis perfectæ, tam bonam voluntatem interim acceptat pro ipso opere, et peccata remittit.

II. *Partem* 2am *thesis* propugnamus *ut certam,* et in ea statuimus *contritionem perfectam,* qua, extra sacramentum, quamvis non sine sacramenti voto, justificamur, *eliciendam esse ex motivo caritatis, seu supernaturalis amoris Dei super omnia propter se dilecti.*

Probatur hæc pars thesis 1. *Ex Scripturis.* Etenim Sacræ Litteræ docent hominem sine caritate non justificari, hac vero accedente remissionem accipere peccatorum et gratiam sanctificantem.—Sic, ad ex., in I. Joan. (III. 14.) legimus : "Qui non diligit manet in morte ;"—et in ead. Epist. (IV. 7.) : "Omnis qui diligit ex Deo natus est."—Similiter in libro Prov. (VIII. 17.) increata sapientia dicit : "Ego diligentes me diligo ;"—et in Novo Testamento Christus declarat (Joan. XIV. 21.) : Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum :"—Apostolus vero inclamat (I. ad Cor. XIII. 3.) : "Si caritatem non habuero *nihil* mihi prodest."

Aliud etiam argumentum Scripturæ suppeditant in locis ubi de pœ-

nitentia loquuntur, qua extra sacramentum justificationem consequi possumus:—nam contritionem hanc salutarem concipiendam esse docent *ex toto corde;* et concipi *ex toto corde* non potest, nisi ex caritate concipiatur.

Major constat, e. g., ex Deut. (IV. 29.): "Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen *toto corde quæsieris,* et tota tribulatione animæ tuæ;"—et ex Proph. Joel. (II. 12.): "Convertimini ad me *in toto corde vestro* . . . et scindite corda vestra."

Minor evincitur ex eo quod contritio ex aliis motivis concepta odio peccatum non prosequitur *quantum odibile* est, ideoque non detestatur illud *ex toto corde.* Profecto odibilius est peccatum ut malum est Dei, ac proinde prout caritati opponitur, quam ut opponitur aliis virtutibus:—et sicut motivum caritatis motiva aliarum virtutum superat quibus detestatio peccati concipi posset; ita hæc alia motiva gignere detestationem peccati *ex toto corde* nequeunt prout ex caritate gignitur;—quæ detestando peccatum *ut malum* Dei, seu ut malum superans omnia mala omnibus modis considerata, gignit *summam omnino* peccati *detestationem.*

Accedit quod in locis Scripturarum modo citatis, indicatur *conversio perfecta* hominis ad Deum:—et hæc conversio perfecta tantummodo habetur per *caritatem,* qua homo diligit Deum ut *finem ultimun qui* et *cui.*

Insuper, argumentari etiam licet ex verbis Christi, qui de Maria pœnitente dixit (Luc. VII. 47.): "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit."—Hic enim Christus vim, quam pœnitentia habet ad delenda peccata, caritati tribuit.

2. *Ex doctrina Patrum* probationes, quas ex Scripturis desumpsimus, confirmantur.

S. Augustinus lib. 2. contra Cresconium (cap. 12.) ait: "Mundantur [peccata] sacrificio contriti cordis . . . mundantur ipsa quæ supereminet omnibus caritate . . . . . . quæ una si adsit, omnia recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt." Et Serm. 7. de temp. (al. in appendice Ser. 117. in natali Dom. 1. n. 2.). "Pœnitentiam," inquit, "certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei." Et (l. 21. c. 27. de Civ. n. 2.): "Si pro uno scelere omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi,

nisi desisterent a talibus factis [peccatis], habendo caritatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodesse posset."

S. Joannes Chrysostomus, Hom. 7. in 2. Tim. (n. 3.): "Sicut ignis," inquit, "in silvam ingressus omnia purgare solet: sic dilectionis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et excindit quæ divino semini nocere possint, et terram mundam efficit ad excipienda semina. Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala."

S. Gregorius Magnus (Hom. 33. in Evang. n. 4.) in verba Redemptoris: "Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum," hæc habet: "Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem? et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ac si aperte diceretur: Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur."

S. Petrus Chrysologus (Serm. 94.) inquit: "Absolvi vis? Ama. Caritas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? Et tamen Petrus solo amore valuit hoc delere."

3. *Ex Concilio Tridentino* (sess. 14. c. 4.) invicte demonstratur quod ex modo loquendi Scripturarum et Patrum hucusque ostendimus. Concilium enim differentiam assignat contritionis perfectæ ab imperfecta, quæ vocatur attritio, et extra sacramentum non sufficit ad justificationem; et ita loquitur: "Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat . . . donum Dei esse," etc.

Jam vero his verbis Concilium declarat motivum propter quod contritio tam perfecta efficitur ut extra sacramentum ad justificationem ultimo disponat, eamque infallibiliter consequatur;—et dicit contritionem habere perfectionem hanc a *caritate actuali*, seu a supernaturali amore Dei super omnia propter se dilecti; nam hæc est caritas. Ergo. —Audiatur ea de re P. de Lugo. Ex loc. cit. Conc. Tridentini, ait (de

Pœnit. disp. 5. sect. 1. n. 13.), "apparet in primis contritionem perfectam, qua extra sacramentum homo justificatur, esse illam, quæ caritate perfecta est: ubi nomine caritatis non potest intelligi caritas habitualis, sed dilectio actualis; tum quia non omnis detestatio peccati, quæ cum habitu caritatis conjungitur, est contritio perfecta, ut constat in illo, qui cum sola attritione justificatur in martyrio: tum etiam quia esset ridicula distinctio contritionis perfectæ ab imperfecta per hoc, quod Deo reconciliet, quando caritate perficitur: hoc enim esset dicere, reconciliare Deo, quando reconciliat, si *caritatis* nomine sola habitualis intelligeretur. Cum ergo Concilium intendat assignare differentiam unius contritionis ab alia; debuit explicare perfectionem unius, quam habet ex se, ratione cujus afferat justificationem extra sacramentum: quam perfectionem solum explicat per hoc, quod sit caritate perfecta."

Sed insuper ex iisdem Concilii verbis aliud argumentum pro re nostra recte deducitur. Etenim Concilium distinguit a contritione perfecta attritionem, quia hæc "vel *ex turpitudinis peccati consideratione*, vel *ex gehennæ et pœnarum metu* concipitur.—Atqui hac divisione omnia omnino motiva, ex quibus detestatio peccati concipi potest, una charitate excepta, Concilium complectitur.—Ergo *sola detestatio peccati, quæ ex caritate concipitur*, sub nomine attritionis non significatur, et ab ea distinguitur, utpote quæ *non est attritio, sed contritio.*

Minor hujus argumenti sic evolvitur. Duplex tantum est malum, *pœnale* scilicet, vel *morale:* aut ergo detestatio peccati est propter *malum pœnæ*, et constituit unum *genus* attritionis quæ indicatur a Concilio, ejus nempe quæ "*ex gehennæ vel pœnarum metu concipitur;*"—aut detestatio peccati est propter *malum morale*, seu *culpæ;* et tunc vel illa detestatio habetur, quia malum morale opponitur *bono divino secundum se, et amori ejus*, ac proinde *ex motivo caritatis culpa detestatur;*—vel detestatio peccati est *propter quamlibet aliam moralem malitiam* quæ invenitur in peccato; et tunc peccatum detestatur "*propter ejus turpitudinem;*"—quod est aliud genus attritionis, de quo Concilium loquitur.—*Omnia igitur motiva*, propter quæ detestatio peccati concipi potest, si motivum *caritatis* excipiatur, pertinent *ad attritionem.* Quamobrem merito ex doctrina Conc. Tridentini deducimus *solam detestationem peccati, quæ ex motivo caritatis* oritur, attritionem non esse, sed *contritionem.*

4. Totam rem absolvam proponendo *optimam quamdam congruentiam* in confirmationem thesis.

"Ratio a priori," inquit Cardinalis de Lugo (disp. 5. sect. 1. n. 15.), cur Deus dolorem ex motivo dilectionis, ut dispositionem unicam acceptavit, ea videtur fuisse, quia per peccatum mortale expellitur caritas, et per justificationem restituitur; non debuit autem restitui, nisi præcedente aliquo actu caritatis. Sicut fides, quæ per hæresim expellitur, non restituitur, nisi pæcedat aliquis actus fidei; et spes, quæ per peccatum desperationis expellitur, non restituitur, nisi exerceatur aliquis actus spei: sic etiam caritas, quæ per quodlibet peccatum mortale expellitur, (quodlibet enim peccatum mortale opponitur caritati Dei) non debuit restitui, nisi præcedente exercitio ipsius dilectionis, ut congrue restitueretur: homo enim per peccatum voluntarie discessit ab amicitia Dei, et factus est inimicus. Quare ut redeat in eamdem amicitiam, necesse est, ut diligat eum, quem vult habere amicum: nulla enim melior, et aptior dispositio est ad amicitiam alicujus captandam, quam amare, ut dixit ille: *Vis ut ameris? ama;* et quandiu hæc dispositio non ponitur, non est homo sufficienter dispositus, ut iterum recipiatur in Dei amicitiam: loquimur autem semper secluso privilegio sacramentorum, et martyrii."

Nec quidquam valet contra hoc argumentum, objectio quæ desumitur ex recuperatione virtutum moralium supernaturaliter infusarum, quas homo per peccatum mortale ab eo commissum amiserat.

"Dices," prosequitur de Lugo (loc. cit.), "quando homo justificatur, recuperat etiam habitus infusos aliarum virtutum, ex. gr., temperantiæ, misericordiæ, justitiæ, etc. et licet contra eas peccaverit mortaliter, non est necessarius aliquis earum actus ut homo disponatur ad earum recuperationem: ergo nec erit necessarius actus ex motivo formali dilectionis ad recuperandam caritatem, contra quam peccavit. Respondeo negando consequentiam. Ratio vero discriminis est, quod per actum dilectionis disponitur homo ad habitum charitatis, qui propter suam perfectionem continet virtualiter et eminenter perfectionem aliarum virtutum inferiorum, quas secum affert. Sufficit ergo disponi ad caritatem, ut eo ipso intelligatur homo disponi ad alias virtutes recuperandas: e contra vero, quando exercet actum solum religionis, vel obedientiæ, non exercet aliquid, in quo virtualiter contineatur perfectio

caritatis, vel ejus motivi. Cum ergo aliqua dispositio ab homine exigenda esset, congruentissimum fuit, illam exigi, quæ perfectissima erat omnium, ut sic videretur jam homo facere aliquo modo, quantum ex se poterat, ut se ad gratiam, et amicitiam Dei disponeret."

Contra thesim modo probatam objici potest

1. Verba Christi (Luc. VII. 47.): "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum," ostendunt peccatorum remissionem per contritionem perfectam *statim* non obtineri. Etenim Maria Magdalena non *illico*, quando contritionem de peccatis suis concepit, justificata fuit; sed quando Dominus dixit: '*remittuntur ei peccata;*' nam hæc verba præsentem absolutionem significant, non præteritam.—Idem constat ex illo inciso "quoniam *dilexit* multum:" si enim non cœpit tunc primum diligere, sed dilexerat antea, et tamen remissionem peccatorum suorum non adhuc acceperat; certe per contritionem, caritate perfectam, non *illico* fuit justificata.

Resp.—Verba illa "Remittuntur ei peccata multa" non ostendunt eo tempore fuisse Mariæ Magdalenæ pœnitenti peccata dimissa, quo Dominus illa verba pronuntiavit:— nam postea, interjecto aliquo temporis spatio, iterum Christus ait: "Remittuntur tibi peccata tua."—Verba igitur Domini: "*Remittuntur* ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum" nihil aliud significant, ut recte adnotat Bellarminus (de Pœnit. l. 2. c. 14.), "nisi magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ: et ut S. Gregorius explicat in Hom. 33. magnam rubiginem peccati magno caritatis igne purgatam. Illa autem verba: *Remittuntur tibi peccata tua,* quæ magis præseferunt formam præsentis absolutionis, partim absolvunt exterius et coram hominibus eam, quæ jam intus a Deo absoluta erat; partim etiam confirmant absolutionem invisibiliter datam. Nam simile quid legimus Marci v. ubi Dominus mulieri, quam jam sanaverat a fluxu sanguinis, ait: *Esto sana a plaga tua;* quo verbo non eam curavit, sed curationem jam factam confirmavit."

2. Ex verbis Christi, quæ mox citavimus, deduci nequit multa peccata Magdalenæ pœnitenti fuisse remissa *quia* multum *dilexit;* ideoque nihil valet argumentum ex his verbis desumptum ad probandam efficacitatem contritionis quæ ex *caritate,* seu ex *supernaturali dilectione Dei,* concipitur.—Probatur autem assumptum ex parabola quam Chri-

stus tunc proposuit de fœneratore qui duos debitores habebat. "Non habentibus illis," ait Dominus (Luc. VII. 42. 43.), "unde redderent, donavit [fœnerator] utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille [Christus] dixit ei: Recte judicasti. Et conversus ad mulierem dixit Simoni" etc.—Porro ex hac parabola colligi debet peccata multa non fuisse remissa mulieri pœnitenti quia dilexit multum; sed e contra, propterea multum eum dilexisse, quia multa peccata dimissa ei fuerant.

Resp.—Interpretatio hæc verborum Christi prorsus est rejicienda; repugnat enim

a) Aliis Sacrarum Scripturarum versionibus. In Syriaca namque legimus: "Propterea dico tibi remissa esse ei scelera ejus multa, *eo quod* multum dilexerit."—In versione Persica sic habetur: "Dico tibi: pro hoc quod fecit, peccata ejus multa remissa sunt, *ea de causa* quod multum digna fuit."—In Versione Arabica: "Peccata ejus multa remissa sunt illi, *quoniam* dilexit multum."—In Æthiopica: "*Propterea* remittuntur ei peccata ejus multa, *quia* multum dilexit me."—V. Walton Bibl. Sacr. t. 5. p. 290.

b) Repugnat communi Patrum interpretationi, nam ii generatim intelligunt verba Christi prout defendimus in thesi, idest affirmant Magdalenam, quia vehementissima caritate flagrabat, obtinuisse peccatorum suorum remissionem. Si qui sunt pauci asserentes Mariam Magdalenam Christum multum dilexisse, quia ab eo remissionem multorum delictorum acceperat; in hac explicatione, aliam, quam supponunt, non excludunt.—"Dicitur," inquit S. Greg. Magnus, et post eum Beda (in Luc. l. 3. cap. 28.), "*Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ac si aperte diceretur: Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur."—Et S. Paulinus (Ep. 4. al. 23. ad Severum): "Non unguentum in illa Dominus sed caritatem dilexit, qua pudenter impudens, et pie improba, sine opprobrii et repulsæ metu, extraneam sibi domum Pharisæi, non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cœlorum, et tantum verbi cœlestis esuriens, non ad dapes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit et cibavit, atque ipsos sibi pedes sacrarium (ut ita dixerim) et altare constituit. In quibus libavit fletu, litavit unguento, sa-

crificavit affectu. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Quem illa immolans Deo, non solum remissionem delictorum, sed et gloriam prædicandi cum Evangelio nominis meruit."

c) Repugnat contextui,—quia Maria Magdalena, licet pœnitens et contrita, nesciebat tamen sibi remissa esse peccata, donec a Christo audivit "*Remittuntur ei peccata;*" ac proinde non poterat signa dilectionis, quæ exhibuit antequam Christus illa verba pronuntiaverit, ex gratitudine promere, ut scilicet gratam Christo, quia peccata illa remiserat, se ostenderet.

d) Repugnat etiam contextui,—quia Christus non dixit Simoni: Cognosce remissa esse Magdalenæ peccata ex hoc quod tanta dilectionis signa erga me ostendat; sed vice versa ait: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum," idest, remittuntur ei peccata hac de causa, quod ipsa me diligat, ideoque summe de peccatis, quibus me offendit, doleat.

e) Denique interpretationem, quæ in objectione proponitur, non exigit parabola fœneratoris. Etenim, ut egregie exponunt Maldonatus, a Lapide, aliique, verba illa, quibus Dominus Simonem Pharisæum interrogat: "Quis ergo eum [fœneratorem] plus diligit," significant: quis plus eum dilexisse judicabitur;—et sensus totius phrasis hic est: Sicut is qui cum plura deberet creditori suo, plurium ab eo accepit remissionem; passim a prudentibus judicabitur, *ideo* majorem hanc remissionem accepisse, quia magis eum dilexerat, ac plura ei dilectionis signa exhibuerat, propter quæ creditor plura ei vicissim remisit et condonavit:—simili modo tu, o Simon, prudenter judicare debes, Mariam Magdalenam multum me dilexisse, Messiam Dei Filium; et ob multam dilectionem, quam apertissimis signis ostendit, obtinuisse peccatorum multorum remissionem.

3. Paulus etsi perfectam contritionem habuerit cum in via Damasci divina voce prostratus fuit, remissionem tamen peccatorum suorum non accepit ante baptismi susceptionem;—dicit enim Ananias (Act. XXII. 16.): "Exurge, et baptizare et ablue peccata tua;" et S. Augustinus adnotat (Serm. 1. et 25. de Sanctis, n. 3.): "Ananias baptizavit lupum et fecit agnum."—Ergo.

Resp. *Neg. Ant.*—Paulus eo instanti quo, divina voce percussus,

simulque ineffabili gratia præventus, exclamavit dicens: "Domine quid me vis facere?" justificationis gratiam adeptus est. Id passim docent Patres, et Theologi. "Contingit autem," ait Angelicus (1. 2. qu. 112. a. 2. ad 2.), "quandoque quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, et talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque statim perfecte movet ipsum ad bonum, et subito gratiam homo accipit. . . . . Et ita contigit Paulo, quia subito cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo, audiendo, addiscendo et veniendo; et ideo subito est gratiam consecutus."

Verba Ananiæ solum ostendunt baptismum esse medium omnino necessarium ad salutem, et Paulum non fuisse justificatum nisi per contritionem quæ includebat sacramenti votum. Ceterum potest etiam dici Ananiam internam Pauli dispositionem, qua justificatus jam fuerat, ignorasse.

S. Augustinus, verbis objectis, non affirmat Paulum *usque ad baptismi susceptionem* fuisse *lupum;* sed, per baptismi susceptionem, implevisse votum quod cum contritione habuit, quodque nisi implevisset *agnus* esse non potuisset.—Hanc fuisse mentem S. Augustini patet ex Sermone 175. (alias 9. de verbis Apostoli n. 8.), ubi aperte dicit Paulum Apostolum ante baptismum fuisse justificatum. "Ananias," inquit, "ovis interpretatur . . . loquebatur ovi Pastor Christus. . . . . Respondit Pastori ovis Ananias: Quo me mittis, ovem ad lupum? Sed ille non audivit hanc excusationem. . . . Si missæ sunt oves in medio luporum, quare trepidas ire Anania ad eum qui jam non est lupus? Lupum timebas, sed respondet tibi Dominus Deus tuus; de lupo ovem feci."

4. S. Augustinus sæpe de baptismi susceptione ita loquitur ut asserat, sine illa, *neminem*, quantumcumque proficiat, communiter loquendo justificari. Ergo.—*Ant. prob.* Tract. 13. in Jo., n. 7., ait: "Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat; non ei dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum." Et Tract. 4. n. 13.: "Omnia peccata super illum sunt, et nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non potest intrare in regnum cœlorum."

Resp. *N. Ant.*—Ad prob. *Dist.* Catechumenus, quantumcumque sibi proficere videatur, sarcinam iniquitatis portat, si vel contemnat, vel ex gravi negligentia baptismum omittat;—et tunc caritatem et perfectam

contritionem non habet *C.* Iniquitatis sarcinam portat si ex vera caritate contritionem eliciat *N.*—Non de omnibus universim catechumenis loquitur Sanctus Doctor, sed de illis qui sua contenti sanctitate, quam plurium baptizatorum sanctitate majorem sibi gratulabantur, baptismi susceptionem ex culpabili negligentia differebant. Id constat ex ipso Tract. 13. n. 6. in Joannem. "Quare," ait, "oportebat ut Dominus baptizaretur? quia multi contempturi erant baptismum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderant alios fideles; ex. gr., jam continenter vivens catechumenus contemneret conjugatum, et diceret se meliorem quam ille sit fidelis: ille catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est baptismum accipere, ut hoc habeam quod est iste, quo jam melior sum?"—Hujusmodi igitur homines, qui in se confidebant tamquam justi, et despiciebant sacramentum, S. Augustinus reprehendit, atque eos portare peccatorum suorum sarcinam affirmat: "neque enim," ut ipse loquitur (l. 4. de Bapt. c. 25.), "ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur."

5. Concilium Tridentinum (sess. 13. cap. 7.) prohibet peccatores, sacramento pœnitentiæ non absolutos, ad Eucharistiam accedere, quantumvis contriti sibi videantur. Ergo juxta Concilium contritio ante sacramenti usum non justificat.

Resp. *N. Cons.*—Ad sacram Synaxim accessuris, aut etiam sacerdotibus sacrificaturis, si peccati conscii fuerint, Concilium præcipit ut prius *sacramento pœnitentiæ*, juxta monitum Apostoli (I. ad Cor. xi. 28.), seipsos probent, ob reverentiam, quæ Augustissimo Sacramento Altaris exhiberi debet:—nemo enim est, qui citra revelationem, de sua contritione certus sit; et facilior justificationis via patet omnibus in sacramento pœnitentiæ.

Insuper, argumentum quod ex confessione præmittenda ante SS. Eucharistiæ susceptionem desumunt fautores sententiæ quam impugnamus, contra ipsos egregie retorqueri potest. Nam si contritio perfecta non sufficit ad obtinendam, extra sacramentum, justificationem; sacramentum etiam suscipere, ideoque confessionem sacramentalem semper præmittere *deberet* qui ad alia sacramenta *vivorum* accedere vellet, quæ *statum gratiæ requirunt* in suscipiente. Id autem repugnat doctrinæ omnium theologorum et Ecclesiæ sensui.—Etenim, juxta omnes, potest

quis cum contritione sola, quin ex præcepto confessionem præmittere teneatur, ordinari, confirmari, matrimonio conjungi, suscipere extremam unctionem:—et in Pontificale Romano, jussu Romanorum Pontificum edito, ubi de confirmandis est sermo, dicitur: "Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, *vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.*"

6. Si contritio, caritate perfecta, ante usum sacramenti justificat, inaniter, post elicitum actum contritionis, absolutio a pœnitente petitur; et falso a sacerdote dicitur: "Ego te absolvo."—Sed hæc admitti nequeunt. Ergo.

Resp. *N. Maj.*—*a*) Non petit inaniter in sacramento pœnitentiæ absolutionem a peccatis, ille qui nonnisi contritione, quæ hujus sacramenti votum includebat, ac proinde nonnisi cum dependentia quadam ab hoc sacramento, justificatus fuit.—*b*) Et præterea non petit inaniter a peccatis absolutionem ille qui, etsi elicuerit prout potuit contritionis actum, nescit tamen *certe* se *veram, supernaturalem* habuisse contritionem, qua sola poterat ante sacramenti susceptionem justificari.—*c*) Hinc falsa non est absolutionis forma, quæ a sacerdote profertur.—*d*) Insuper illa verba "Ego te absolvo," hanc significationem præferunt: "Ego sacramentum absolutionis tibi impendo," ac proinde significant exhibitionem sacramenti ex se peccatorum remissivi;—quæ significatio integra manet etiamsi sacerdos det absolutionem ei qui actu contritionis perfectæ jam fuerat Deo reconciliatus.—"Quamvis verbum *absolvo* solum videatur significare," inquit Suarez (disp. 19. sect. 2. n. 19.), "vinculi solutionem; tamen quia non dissolvitur, nisi per informationem gratiæ, ideo juxta subjectam materiam, ex vi ejusdem verbi significatur gratiæ infusio ordinata ad peccati remissionem." Cum autem sacramenta, ex opere operato, gratiam non ponenti obicem conferant; et contritus nullum obicem opponat gratiæ; absolutione sacerdotis contrito confertur gratia, quæ peccata delevisset si jam deleta non fuissent per contritionem, et nunc, quia jam deleta fuerunt, valet ad augendam contriti hominis justitiam; seu ad augendam illam gratiam, quæ inhæsione sua omnem peccati mortalis maculam excludit.—Ceterum de his fortasse inferius sermo redibit.

ARTICULUS SEXTUS

De quantitate contritionis.

Naturam contritionis perfectæ declaravimus; nunc quantitas ejus exponenda manet:—quæ vel est intensiva, vel extensiva; et hæc vel in duratione consistit vel in objecto: de his ergo breviter dicendum erit.

I. Ad *intensionem contritionis* quod attinet, quorumdam sententia fuit veram contritionem necessario intensionem maximam actus postulare, quam homo, toto conatu suo, obtinere potest. Opinio hæc Adriano tribuitur;—sed communiter, ut falsa, repudiatur.—Docuerunt alii necessariam ad contritionem esse intensionem maximam, non quidem *absolute,* sed *comparative;* ita ut homo *majori intensione* doleat de peccato et majori caritatis ardore feratur in Deum, quam quodvis aliud malum horreat, aut erga bonum creatum quodlibet amore afficiatur. Id Petrus Soto tenuit, lect. 14. et 15. de pœnitentia.—Tertia sententia affirmat *certum aliquem gradum* intensionis in contritione requiri, quem Deus novit.—Sed non minus improbabiles hæ duæ posteriores sententiæ sunt, quam prima:—et tam concors hac in re semper celebriorum theologorum doctrina fuit, ut Sanctus Alphonsus de Liguori (Theolog. Mor. de Pœnit. lib. 6. tract. 4. num. 441.) affirmare non dubitaverit, *communiter* docere doctores dolorem *omnem* peccati, qui proficiscitur ex amore Dei prædominante super omnia, *etiam remissum,* justificare hominem extra sacramentum.

Hanc igitur doctrinam amplectentes, dicimus nullum modum seu gradum intensionis determinatum ad perfectam contritionem requiri, sed quamcumque actus intensionem sufficere;—ac proinde contritionem *appretiative,* non *intensive* summam esse necessariam. Quod, ut perspicue intelligatur, declarabimus verbis S. Thomæ. In Suppl. 3. p. (q. 5. a. 3.) Angelicus Doctor ait: "Contritio ut sæpe dictum est, nempe q. 1. a. 2. ad 1., et q. 3., et 4. a. 1., habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est displicentia peccati commissi, et hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiet ad rationem contritionis; ut si minus displiceret ei peccatum quam debeat displicere separatio a fine: sicut etiam amor potest esse

ita remissus quod non sufficit ad rationem caritatis. Alium dolorem habet in sensu, et parvitas hujus non impedit rationem contritionis, quia non se habet per se essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidente ei adjungitur; et iterum non est in potentia nostra. Sic ergo dicendum quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet."

Et S. Bonaventura,—qui ab adversariis nostris citatur immerito,—eamdem doctrinam tradit, dilucideque explicat, sequenti pacto:—

"Dicendum," inquit (in 4. sect. dist. 16. part. 1. art. 2. q. 1.), "quod cum quæritur de quantitate doloris, dolor potest dici displicentia rationis, vel passio ex hac resultans in sensualitate. Si hoc secundo modo accipiatur, dico quod non est necesse magis dolere de peccato, quam de re temporali; nec etiam necesse est dolere, quia non est in potestate cujuslibet: talis enim dolor non consequitur amorem, sed consequitur ipsam affectionem, et affectio experimentalem cognitionem; et quia non omnes habent experientiam divinæ dilectionis, ideo non omnes ita sensibiliter dolent de peccatis; tamen quod magis etiam sensibiliter doleat aliquis de peccato, quam de aliquo damno, hoc est perfectionis, et congruum, non necessarium. Sed in quantum dolor dicitur displicentia rationis, sic dico quod displicentia mensuratur secundum quantitatem caritatis. Quantitas autem caritatis dupliciter potest accipi: vel in se, vel in comparatione ad alios amores: in se, sic dico quod est parva, et major, et maxima; in comparatione ad alios, sic dico quod vindicat sibi dominium in corde, quandiu est; nec unquam ibi est, nisi sit domina: unde dico quod ad hoc quod aliquis habeat caritatem, necesse est quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo, velit offendere Deum: sic intelligendum est de displicentia contritionis. Unde dico, quod peccatum debet tantum displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo, velit in ipsum consentire, vel consensisse."

At unum diligenter hic animadvertatur, nempe ad contritionem perfectam, quæ *appretiative* summa est, requiri ut peccatum detestemur ob supremam rationem mali, quæ in illo est, ac proinde super omne malum pœnæ, et cum absoluto proposito nunquam peccandi, saltem mortaliter;—sed necessarium non esse ut *formali et expressa comparatione* peccatum cum aliquo malo sensibili conferamus, ex. gr., cum morte, aut injuria

gravissima, aut alia re a qua maxime abhorrent homines. Etenim sicut dilectio Dei, ut sit super omnia, non requirit *formalem et expressam* comparationem boni divini cum bonis creatis; sicut religio colit Deum super omne adorabile, et fides divina credit super omne credibile, *sine formali comparatione;* idem omnino dicendum est de contritione perfecta, quæ super omnia mala pœnæ peccatum odit et detestatur.—Quinimmo communiter doctores tradunt, has formales comparationes inter peccatum, et mala omnia sensibilia, quæ ad vitandum peccatum tolerari deberent, non facile peccatoribus proponendas esse; ne his comparationibus in novo periculo peccandi constituantur.

II. Hæc de intensione contritionis prænotasse sufficiat;—quod autem *durationem ejus* spectat, Scotus putavit (in 4. dist. 14. q. 2.) contritionem non dari, nisi aliquo tempore duret, quod statuit Deus. Hanc opinionem Almainus probabilem esse censuit; et Cajetanus ex parte saltem adoptavit, dicens (Opusc. t. 1. tract. 4. q. 1.), Deum aliquando expectare hujusmodi durationem, antequam acceptet actum in ratione contritionis et dispositionis ultimæ ad gratiam sanctificantem.—Sed hæc sententia "nec fundamentum habet," inquit Suarez (disp. 4. sect. 5. n. 3.), "nec probabilitatem;" quapropter indubitanter asserimus actum contritionis nulla temporis duratione indigere, ut sit contritio; ideoque simul ac fit, veram esse contritionem.

III. Denique circa *quantitatem extensivam* contritionis, *ratione objecti,* certum est: 1.—Contritionem natura sua esse universalem, seu de peccatis omnibus. 2.—Ad contritionem requiri memoriam et considerationem aliquam de peccatis commissis; quamobrem satis non esse ut peccator consideret peccatum et malitiam ejus, sed necessarium esse ut agnoscat se illud peccatum commisisse, et malitiam peccati, ut a se commissi, detestetur.

Sed ulterius quæritur a theologis, utrum ad veram contritionem concipiendam requiratur ut cadat in omnia peccata *distincte* recogitata?—Et circa hanc quæstionem in duas oppositas sententias abeunt. Quidam dicunt necessarium per se esse ut peccator pœnitens distincte omnia peccata sua recogitet, tum quoad species singulas, tum quoad numerum eorum; et ita de illis doleat. Alii vero doctores distinctam recogitationem omnium peccatorum, neque ad contritionem, neque ad justificationem necessariam esse statuunt. — Hanc secundam sententiam,

quam P. Suarez (disp. 4. sect. 6. num. 8.) absolute veram esse affirmat, tuemur;—et paulisper in antecessum hic declaramus.

Tribus modis, ut ipse Suarez (loc. cit.) adnotat, recogitatio distincta omnium peccatorum de qua loquimur intelligi posset. "Primo quod tota actualis consideratio et distincta de singulis peccatis sit in intellectu in eo instanti, in quo voluntas elicit contritionem. Secundo quod saltem ipsa præcesserit antequam eliciatur contritio. Tertio, quod si non præcessit, saltem post contritionem facienda sit, et consequenter quod de hoc habeatur votum, seu propositum in contritione ipsa inclusum. Rursus hinc fit, ut tribus modis possit intelligi peccator se habere ex parte intellectus in eo instanti, quo elicit contritionem. Primo, actu, et distincte recogitans omnia peccata quæ commisit. Secundo, solum confuse recogitans se sæpius offendisse Deum, et per voluntatem omnia peccata detestans. Tertio, ut sit actu considerans de uno, vel altero peccato commisso in particulari, non vero universe de omnibus, nec distincte nec confuse."—Porro dicimus: ut quis veram contritionem de peccatis a se commissis concipiat, non requiritur ut ea omnia prius distincte recogitaverit; nec ut ea, dum contritionis actum elicit, recogitet; nec, per se, ut recogitationem illam *voto* proponat simul ac contritionem de peccatis habet, et deinde post elicitam contritionem *re* impleat.

His ad claram quæstionis intelligentiam præmissis, proponitur

THESIS VI.

Ad veram contritionem, extra sacramentum justificantem, nullus definitus intensionis gradus requiritur; sed sufficit substantia actus, quacumque intensitate fiat. Item, ut contritio perfecta eliciatur, nec determinata temporis duratio necessaria est, nec distincta omnium peccatorum recogitatio.

I. Prob. 1[ma] *pars thesis.* 1. *Ex Scripturis;* nam nullibi in Sacris Litteris certus ac determinatus intensionis gradus, tamquam necessarius, ut contritio perfecta sit, statuitur.—Testimonia quæ afferuntur ex Deut. (VI. 5.) et ex Matt. (XXII. 37.), in quibus præcipitur ut Deum diligamus ex *toto* corde, ex *tota mente,* ex *tota anima,* ex *tota virtute,* seu ex *omnibus viribus;* sicut verba, quæ apud Joel. Proph. (II. 12.) legimus: "Conver-

timini ad me *in toto corde vestro;*" et alia in Deut. (IV. 29.): "Cumque quæsieris ... Dominum ... invenies eum; si tamen *toto corde* quæsieris:" nullatenus necessarium esse in contritione aliquem intensionis gradum ostendunt.

Etenim his Sacrarum Scripturarum locutionibus non significatur Deum esse diligendum omnibus viribus *intensive,* sed *appretiative:*—non præcipitur *totalitas intensionis* in conversione hominis ad Deum, sed *totalitas ipsius conversionis.*"—Hoc loco docemur," ait Theodoretus (q. 3. in Deut.) "dilectionem non partiri inter Deum et aurum, inter Deum et uxorem, inter Deum et liberos, inter Deum et amicos: sed totam dilectionis vim Deo creatori consecrare; deinde post Creatorem quæ unicuique conveniant tribuere, et parentibus et uxori, et liberis et fratribus et amicis. Siquidem pertinet ad dilectionem Dei hæc etiam præstare. 'Qui enim diligit me,' inquit (Joan. XIV. 15.), 'mandata mea servabit.' Mandata vero Dei ista præcipiunt."

Et S. Thomas optime declarat vim illorum quatuor, quæ sejunctim in præcepto caritatis commemorantur, cum dicitur: "diliges *ex toto corde,* ex *tota mente,* ex *tota anima,* ex *tota virtute* tua." Audiamus Doctorem Angelicum:—"Horum quatuor," dicit (2. 2. qu. 44. art. 5.), "est ratio assignanda; nam quod alicubi unum horum omittitur, hoc est quia unum intelligitur ex aliis. Est ergo considerandum quod dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur per *cor;* nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, et maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui est objectum caritatis, est principium omnium spiritualium motuum. Tria autem sunt principia actuum, quæ moventur a voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per *mentem;* vis appetitiva inferior, quæ significatur per *animam;* et vis executiva exterior, quæ significatur per *fortitudinem,* seu *virtutem,* sive vires. Præcipitur ergo nobis ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est *ex toto corde;* et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est *ex tota mente;* et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est *ex tota anima;* et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est *ex tota fortitudine,* vel *virtute,* vel *viribus* Deum diligere."

Præterea ad refutandam ex Scripturis sententiam illorum, qui contendunt determinatam quamdam intensionem in actu contritionis et

caritatis esse necessariam, ut justificatio extra sacramentum obtineatur ; argumentamur non modo *negative* ostendendo, ut fecimus, Scripturas intensionem istam actus, tamquam necessario ad justificationem requisitam, non præcipere ; sed etiam *positive,* arguendo ex locis in quibus justificatio promittitur peccatoribus a peccato aversis, qui supernaturali caritate Deum jam diligunt. Loca hæc superius (p. 46. et 50.) commemoravimus : modo, ad exemplum, in memoriam revocamus illud (Ez. XVIII. 27.) : "Cum converterit se impius ab impietate sua . . . ipse animam suam vivificabit :"—et quod in I. Joannis Epist. (IV. 7.) legimus : "Omnis qui diligit, ex Deo natus est :"—et ex his locis, ita ratiocinamur : Is qui contritionem perfectam, quocumque intensionis gradu, habet ; profecto ab impietate sua ad Deum convertitur ; et qui caritatis actum elicit, etiamsi sit in gradu remisso, diligit Deum ;—sed in locis mox citatis iis qui ab impietate sua ad Deum convertuntur, et caritate Deum diligunt, promittitur infallibiliter justificatio :—ergo in his locis justificatio etiam iis promittitur infallibiliter, qui contritionem cum caritate supernaturali habent in gradu remisso : ac proinde ex illis locis recte arguimus nullum in contritione determinatum intensionis gradum requiri ut justificatio extra sacramentum obtineatur.

2. Eamdem omnino doctrinam tradunt *Patres,* et signanter S. Augustinus. In Serm. 35. de Proverbiis c. 3. (alias, de diversis 2.) inquit : "Deum non vides, ama et habes. Quam multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, et non habentur . . . . . Deus nobis de compendio se offert. Clamat nobis : Amate me et habebitis me."—In opere contra Cresconium (l. 2. c. 12.), ait : "Mundantur [peccata] sacrificio contriti cordis . . . mundantur . . . . caritate . . . . quæ una si adsit, omnia recte fiunt."—Tract. 5. in Ep. Joan. (n. 9.) ita loquitur : "Si quis in corde suo invenerit caritatem, securus sit, quia transiit de morte ad vitam. Jam in dextera est." Certe de caritate habituali non diceret, "si quis eam in corde suo invenerit" quia habitum non experimur, nisi per actus ; loquitur ergo de dilectione actuali, quam qui habet *transiit,*—non dixit *transibit,*—sed *transiit* jam de morte ad vitam.—Tract. 9. (n. 9.) in illa verba "*nos diligamus, quia ipse prior nos dilexit :*" ait : "Unde diligeremus, nisi prior ille dilexisset nos ? Diligendo amici facti sumus, etc." et postea subdit : "Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur ;" et infra : "Quomodo erimus pulchri ? amando eum, qui

semper est pulcher: quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo."—Denique Tr. 9. in Jo. Ev. (n. 9.) de caritate dicit: "Quam cum habere cœperit [homo], Spiritum Sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu Sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu Sancto, idest, sine caritate, si fuerit, mortua deputabitur."

3. Probatio firmatur ex *declaratione Concilii Tridentini*, quam in præcedenti articulo frequenter citavimus. Ait enim Concilium *contritionem, caritate perfectam, hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiatur;* et hanc contritionem, ratione caritatis qua perficitur, a contritione imperfecta, seu ab attritione distingui, quæ extra sacramentum pœnitentem hominem Deo non reconciliat. Ergo ad contritionem perfectam, extra sacramentum justificantem, Tridentina Synodus nihil præter caritatem requirit; sine qua contritio ipsa perfecta nequit haberi.

4. Similiter pro veritate quam defendimus faciunt damnationes a Romanis Pontificibus Pio V., Gregorio XIII., et Urbano VIII., editæ contra propositiones Baii. Inter eas enim, 31. 32. et 70. sic enuntiantur:—31. "Caritas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum."—32. "Caritas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum."—70. "Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem: et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis." Porro sermonem esse in propositionibus istis *de caritate actuali,* non habituali, patet quia in eis agitur de caritate, quæ *ex corde puro et conscientia bona, ac fide non ficta* elicitur ab eis qui adhuc justitificati non sunt:—et Baium nomine caritatis intellexisse non caritatem *intensam,* sed caritatem veram, in quocumque intensionis gradu, constat—tum quia de caritate generatim loquitur, non de aliquo gradu caritatis intensæ—tum quia non negaverat caritatem intensam, etiam extra casum necessitatis et actualem sacramenti susceptionem, hominem justificare.

5. Denique nullum determinatum gradum intensionis necessarium esse ad contritionem veram concipiendam, *theologicæ rationes* aperte ostendunt.—Et sane contritio, quæ extra sacramentum justificet, maxima

secundum intensionem actus esse non debet, neque *absolute*, neque *comparative.* Ergo.—Prob. *Ant.* 1. Non debet esse *absolute* maxima secundum intensionem, quia dilectio Dei secundum intensionem absolute summa est impossibilis; actus enim caritatis infusæ versus maximum in intensione non habet terminum ; cum voluntas possit, divinæ gratiæ cooperando, semper majori cum fervore adhærere Deo per caritatem.—2. Non debet esse contritio secundum intensionem actus *comparative* maxima, *inspecto actualis gratiæ auxilio,* quia juxta hanc doctrinam, peccator eliciens contritionem intensam ut duo cum auxilio ut duo justificaretur: alius e contra, concipiens dolorem intensum ut quatuor cum auxilio intenso ut quinque, maneret in statu peccati; quod est absurdum.—3. Non debet esse contritio *comparative* maxima, *inspecto dolore præsenti quem de aliis malis experimur,* quia, in hac sententia, absurdum etiam sequitur, nimirum evenire potest, ut contritio minus intensa quandoque justificet, cum alias magis intensa non justificaret: quia minus intensa excedere facile potest dolores de malis aliis admodum remissos; dum vicissim intensior contritio crebro ne attingit quidem vehementiam gravissimorum dolorum de malis aliis.

II. Prob. 2[da] *pars thesis.* 1. *Ex Scripturis,* quæ pœnitenti ratione conversionis suæ, absque ulla mora temporis, promittunt remissionem peccatorum et justificationem. Id declarant locis pluries jam citatis. Ezech. (XVIII. 21.): "Si impius egerit pœnitentiam . . . vita vivet;" et (v. 27.): "Cum averterit se impius ab impietate sua . . . . ipse animam suam vivificabit;" et (XXXIII. 12.): "Impietas impii non nocebit ei in quacumque die [idest, in quocumque momento] conversus fuerit ab impietate sua."

Et argumentum evidentius evadit si hæc verba ex cap. 33. Ezechielis in contextu inspiciantur. Etenim post citata verba, eadem prorsus locutione, continuo additur: "Et justus non poterit vivere in justitia sua, *in quacumque die peccaverit.*"—Sicut ergo consensus in peccatum mortale, statim ac elicitur, est peccatum mortale et destruit gratiam; ita e converso, actus contritionis, statim ac elicitur, habet esse contritionis, seu dispositionis ultimæ ad gratiam, quam infallibiliter statim consequitur.

Veritas hæc manifeste exprimitur verbis Isaiæ (XXX. 15.), si legantur juxta 70. interpretum versionem, quæ ita habet: "Cum ingemueris,

tunc salvus eris." Sensum autem lectione hac expressum, confirmat ipsa Vulgata versio, in eodem capite (ver. 19.), ubi dicitur: "Miserans [Dominus] miserebitur tui: ad vocem clamoris tui *statim* ut audierit, respondebit tibi."

2. *Ex Patribus,* quorum testimonia dedimus in thesi præcedenti (p. 47–49.): "*Non ex temporis longitudine, sed ex animi affectu,* ait Chrysostomus, "*pœnitentia æstimatur.*"—"*Vox mea in ore nondum erat,*" inquit Augustinus, "*sed auris Dei jam in corde erat; Tu dimisisti impietatem cordis mei; quia dixi, Pronuntiabo.*"—"*Dominationem peccati,*" dicit Fulgentius, "*quam delectatio culpabilis invexit, conversio vera submovit. . . . David ex toto corde conversus, continuo salvus factus est.*"—His testimoniis addidisse unum sufficiat, illud nempe Celestini Papæ (Ep. ad Episcopos Prov. Viennensis et Narbonensis). "*Vera ad Deum conversio in ultimis positorum,*" inquit, "*mente potius est æstimanda, non tempore, Propheta hoc taliter asserente: 'Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.'* "

3. *Ex ratione theologica.* Peccator lege naturali et positiva tenetur aliquando Deum super omnia diligere, et ex caritatis motivo, actu contritionis perfectæ, peccata detestari. At certa temporis mora, actum contritionis protrahere non tenetur. — Ergo ad veram contritionem habendam, certa duratio temporis non requiritur.—Prob. *Min.* Ad illud nec jure naturæ, nec positivo, ac proinde nullo jure, tenetur. Non tenetur jure naturæ, nam id dictat diligendum esse super omnia Deum, et detestandum peccatum; quod vero actus amoris erga Deum et contritionis duret per quadrantem, aut per dimidium horæ, aut per aliam determinatam temporis partem profecto non dictat, cum in nullo naturali principio id contineatur.—Non tenetur jure aliquo positivo, nam istud jus ostendi nequit: immo documenta Scripturarum et Patrum, quæ supra attulimus, aperte docent moram aliquam temporis pro contritione perfecta elicienda non fuisse præscriptam.

Præterea, ut recte arguunt Wirceburgenses (de virt. pœnit. c. 3. a. 2. dico 2.), actus fidei et spei supernaturalis sunt veri et perfecti actus virtutum theologicarum, licet non sint admodum intensi et vehementes, aut prolixi, dummodo ex motivo sibi proprio concipiantur; ergo etiam actus caritatis ex motivo proprio conceptus, vere erit actus virtutis theologicæ; et detestatio peccati ex ejusdem motivo profecta, erit vera

contritio, quin certa intensio, aut prolixitas ad pias hasce affectiones requiratur.

Denique, si duratio aliqua temporis determinata requireretur ad obtinendam, actu contritionis perfectæ, justificationem; peccator in eum statum redigi posset, in quo per verum pœnitentiæ actum remissionem peccatorum suorum consequi nequiret. Atqui istud, ut erroneum, damnatum est. Ergo.—Prob. *Maj.* Quia homo posset in fine vitæ elicere actum pœnitentiæ, quando non superesset ei tantum vitæ spatium, quantum requireretur, ut ille actus, ex motivo caritatis elicitus, esset contritio.

Ad eludendam vim hujus argumenti, quidam dixerunt, necessariam esse, per se loquendo, aliquam moram temporis, ut in fine ejus contritio perficiatur; sed in extremo vitæ termino, propter urgentem necessitatem, minorem durationem acceptari a Deo:—alii asseruerunt in urgenti illa necessitate durationem temporis posse intensione actus compensari. Verum utraque responsio nullo prorsus fundamento nititur; et insuper positive refutatur:

1. Quia argumenta superius adducta non spectant solum casum necessitatis et articulum mortis, sed generatim actum quemlibet contritionis, in quacumque die aut momento elicitum.

2. Quia lex, quæ veram pœnitentiam interiorem requirit, eadem est pro articulo mortis ac pro quocumque tempore. Immo, adnotat hic Suarez (disp. 4. sect. 5. n. 7.), "pro articulo mortis magis obligat, sive consideretur pœnitentia ut medium necessarium est ad salutem, sive ut est actus cadens sub præceptum affirmativum, quod pro articulo necessitatis maxime obligat; nec dispensatio in illa lege admittenda est, nisi expresse ostendatur; alias pari ratione dici posset, dolorem propter solum timorem inferni tunc sufficere, licet alias non sufficiat."

3. Quia nequit dici hominem in articulo mortis quamcumque temporis durationem, quæ in contritione requireretur, compensare posse majori intensione actus contritionis; nam intensio ipsa actus ad veram contritionem constituendam non requiritur.

Concludamus igitur verbis S. Thomæ (3. q. 84. a. 8. ad 1.): "Homo *in primo instanti* veræ pœnitentiæ remissionem consequitur præteritorum peccatorum;" et (1. 2. q. 113. a. 7. ad 1.): "Motus liberi arbitrii qui concurrit ad justificationem impii, est consensus ad detestandum peccatum et ad accedendum ad Deum; qui quidem consensus *subito* fit."

III. Prob. 3tia *pars thesis*, qua defendimus ad veram contritionem habendam, et per eam ad justificationem extra sacramentum, necessariam non esse peccatorum omnium distinctam recogitationem.—Porro si hoc enunciatum de actuali peccatorum cogitatione, in eodem momento quo contritio elicitur, intelligatur, aliis argumentis prætermissis quæ mox proponam, vel ex hoc uno evidens erit, quod sæpissime propter multitudinem et varietatem criminum, de quibus homo dolet, impossibile sit ut intellectus ejus ad omnia, ipso contritionis actu, distincte attendat.

Quod autem neque recogitatio distincta omnium et singulorum peccatorum mortalium necessario præcedere debeat actum contritionis ut per eam quis justificetur, rationibus sequentibus demonstramus.

1. Quia si secus esset, magnis peccatoribus impossibile foret statim converti ad Deum, cum plane impossibile eis foret omnia peccata quæ commiserant, in memoriam statim revocare ac detestari. Id autem admitti non posse, manifeste apparet.

2. Quia si necessaria esset cogitatio distincta omnium peccatorum, non posset quis contritionis actu a peccatis mundari, si post diligentem peccatorum recogitationem, quædam ab eo olim commissa ei in memoriam non redirent: — id autem repugnare videtur doctrinæ Concilii Tridentini (sess. 14. cap. 5.), statuentis: "Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: 'Ab occultis meis munda me, Domine.'"—"Si dolor universalis," merito interrogat S. Alphonsus de Liguori (Theol. Mor. l. 6. tract. 4. c. 1. q. 4.), "valet delere peccata occulta, cur non delebit etiam peccata non singulatim detestata?"

3. Quia cum peccator de peccatis suis ex motivo universali dolet, ut facit per actum contritionis, virtualiter peccata sua singula detestatur; actus enim ille doloris ad omnia peccata et singula se extendit.

Demum, neque recogitatio subsequens justificationem necessaria est *per se* ad contritionem eliciendam, ita ut hæc vera non sit nisi talem recogitationem *in voto* contineat. — Dicimus recogitationem peccatorum distinctam *in voto* non requiri, quia, ut demonstravimus, contritionem neque natura sua, neque positivo præcepto distinctam considerationem peccatorum quæ a pœnitente commissa fuerunt, postulat:—ideoque sine ulla prorsus ratione necessitas, saltem *in voto*, istius recogitationis

assereretur.—Dicimus autem *per se* non requiri, quia alia de causa sane recogitatio illa requiritur, nimirum ratione confessionis :—nam post elicitam contritionem, et acceptam gratiam justificationis, manet obligatio confitendi peccata ; et hæc, sine recogitatione distincta peccatorum, in confessione sacramentali, nequit impleri.

De necessitate hujus recogitationis, quæ non oritur ex natura contritionis, sed ex obligatione confessionis, loquitur S. Thomas cum (de Verit. q. 28. art. 5, ad 4.) ait : "Omnia peccata conveniunt in aversione a Deo, ratione cujus gratiam impediunt ; unde ad justificationem non requiritur quod in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet ; sed sufficit quod cogitet de hoc quod per culpam suam est aversus a Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum, debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem."

Adversus thesim vindicatam objicies :—

1. Scripturæ et Patres requirunt ut magno conatu contritionem pro peccatis admissis eliciamus. Sic, ex. gr., apud Prophetam Michæam (IV. 10.) legimus : "Dole et satage quasi parturiens ;" et in Apoc. (III. 16.) reprehenduntur tepidi : hi autem sunt qui remisse operantur.—S. Cyprianus (de lapsis, c. 35.) ait : "Quam magna deliquimus ; tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit : pœnitentia crimine minor non sit." S. Cæsarius Arelatensis Hom. 8., "non putemus," inquit, "tam facile remitti posse admissa semel crimina, et profundo vulnere in animæ impressa visceribus. Multum opus est fletus, multus gemitus, multæ contritiones corporis ad sanandos ipsos dolores cordis."—S. Chrysostomus (Hom. 12. in Ep. ad Heb. n. 3.) : "Melius est," dicit, "immundo luto pollui quam peccatis. Nam qui illo est inquinatus, brevi tempore abluitur. . . . . Qui autem cecidit in barathrum peccati, accepit inquinamentum, quod aqua non mundatur, sed multo tempore, perfectaque pœnitentia, lacrymis ac planctibus, majorique ac vehementiori lamentatione, quam quæ propter carissimos ostenditis."

Resp.—Scriptura et Patres locis objectis docent

a) quid fieri deceat : optima enim est maximeque optanda contritio intensa ; nec ullus potest dari excessus in amore Dei, aut in peccati detestatione :

b) peccatum *appretiative* deberi supra omnia mala detestari :

c) magnos conatus sæpe requiri ut voluntas inclinetur ad detestandum peccatum, cujus amore tantopere primo exarserat.

Præterea Scriptura et Patres loquuntur, ut plurimum, de remissione peccati quoad reatum: nam pœna temporalis post culpam condonatam residua non remittitur, nisi in hac vita numero et gravitati peccatorum satisfactio adæquetur.—Et insuper, Patres antiquiores sæpe, in verbis ab adversariis nostris commemoratis, de pœnitentia solemni agunt, quæ in Ecclesia, juxta disciplinam illius ætatis, solebat fieri.

2. Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. de Pœnit. num. 46.) ait: "Quis ignorat illam [contritionem] adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit."—Et S. Thomas (in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. quæst. 3.) docet dolorem voluntatis de peccato adeo remissum esse posse ut non sufficiat ad rationem contritionis.

Resp.—Verba Catechismi spectant contritionem *appretiative* summam, et ostendunt quam difficile sit peccatoribus, præsertim post longam peccati consuetudinem, illam concipere: at necessariam non dicunt intensionem actus in contritione. Immo Catechismus Concilii Tridentini *generatim* declarat: "*veræ contritionis* eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam *statim* a Deo impetremus."—S. Thomas tunc solum ait contritionem minus intensam non sufficere ad justificationem, cum caret intensione, ut ita dicam, essentiali, objectiva, seu, quod idem valet, appretiativa; scilicet quando non est verus Dei amor, nec inducit ad detestandum peccatum super omnia. Etenim ibidem manifeste doctrinam, quam defendimus, tradit, et ita concludit: "Quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet."

3. Actus contritionis est dispositio ad gratiam: atqui dispositio debet antecedere formam; ergo contritio duratione saltem aliqua temporis eget.

Resp. *D. Maj.*—Contritio est dispositio ad gratiam qualiscumque *N.* Est dispositio ad gratiam perfecta et ultima *C.* Hujusmodi dispositio non antecedit formam tempore, sed natura.

ARTICULUS SEPTIMUS

De remissione peccati per contritionem.

Contritionem perfectam, etiam remissam, absque ulla determinata mora temporis, reconciliare Deo peccatorem pœnitentem demonstravimus :—quomodo id contritio præstet nunc inquirimus. Et certum quidem est ex catholica fide impium formaliter per donum supernaturale animæ infusum, eique intrinsece inhærens, idest, per gratiam sanctificantem, seu habitualem, justificari :—sed quæri ulterius potest utrum, præter hanc gratiam, contritio perfecta vim etiam de se habeat justificandi hominem et delendi peccata ; ita ut, etiamsi contrito gratia sanctificans non infunderetur, contritione sola, propter excellentiam ejus, jam mundus a culpa esset, justus et sanctus.—Hoc contendit Vasquez (in 1. 2. disp. 203., et in 3. disp. 2. c. 6.) ; qui et asseruit certius esse adultum extra sacramentum per contritionem, quam per gratiam habitualem, emundari a peccato et justificari.

Quibusdam aliis, inter theologos, asserere placuit contritionem, quando extra sacramentum homo justificatur, non esse sufficientem causam formalem justificationis, sed partialem ; ideoque ex contritione et habituali gratia consurgere integram et proportionatam formam, quæ peccatum excludat.

Singularem vero hac in re sententiam, ex duabus præcedentibus fere conflatam, Joannes Martinez de Ripalda tenuit, et more suo latissime propugnavit.—Quatuor ipsa complectitur, quæ verbis ejusdem auctoris referre juvat.

In opere *de Ente Supernaturali* (disp. 99. sect. 3. n. 19.) P. de Ripalda ait : "In hac Theologorum dissensione mea sententia inter duas extremas media est ; scilicet actum perfectum caritatis non sanctificare formaliter peccatorem, nec delere maculam peccati independenter a novo favore misericordiæ divinæ, separabili ab eo caritatis actu ; ceterum adjuncto eo favore sanctificare et peccatum expellere formaliter. . . . . . Itaque duas partes complectitur nostra sententia. Priorem cum auctoribus sententiæ negantis, scilicet actum caritatis non esse ea sanctitate

essentiali formaliter sanctificantem, ut seipso solo, absque novo Dei favore, peccatorem transferat in statum justitiæ et amicitiæ divinæ, et maculam peccati deleat ; . . posteriorem vero cum auctoribus sententiæ affirmantis, scilicet eum actum esse veram et formalem sanctitatem et justitiam animæ, suapte natura et dignitate mundatricem maculæ peccati, sicut gratiam habitualem, quamvis dependentem ad effectum secundarium, et actum secundum justificationis a nova misericordia Dei."

In his P. de Ripalda actus caritatis *excellentiam* spectat ; ac proinde *vim* contritionis perfectæ, quæ ex motivo caritatis elici debet :—ad quæstionem vero, "an actus caritatis,—ideoque an etiam contritionis actus,—de facto sanctificet peccatorem ?" respondet (sect. 9. num. 67.) : "Assero primo : Solus actus caritatis de facto non sanctificat peccatorem seorsim a gratia habituali, ita ut de facto intuitu ipsius solius remittatur peccatum." Et prosequitur (num. 72.) : "Assero secundo : Actus caritatis, consortio gratiæ habitualis, justificat de facto peccatorem, tanquam causa formalis inadæquata, etiam quoad effectum secundarium remittendi peccatum ; ita ut præcedente actu caritatis remissio peccati concedatur a Deo non solum intuitu gratiæ habituali, sed etiam intuitu actus caritatis. Itaque quamvis solus actus caritatis non possit de facto juxta legem ordinariam Dei integre justificare peccatorem, ut præmisimus assertione præterita ; tamen potest simul cum gratia habituali concursum formalem conferre ad integram justificationem. Hoc mihi probatur, quia actus caritatis, ut vidimus sect. 6. et 7., ejus excellentiæ est, ut possit obire munus formæ integre justificantis et remittentis peccatum. Aliunde ex sacris litteris et Ecclesiæ Patribus deletur de facto peccatum per actum caritatis. Ergo non solum tanquam per dispositionem, sed etiam tanquam per formam deletur peccatum. Non tanquam per formam adæquatam, ut assert. 1. ostendimus. Ergo per formam inadæquatam consortio gratiæ habitualis justificantem."

Verum sententia inter Theologos acceptissima, eaque omnino tenenda, est caritatis aut contritionis actum nec *totalem*, nec *partialem causam formalem* justificationis esse in adultis ; sed solummodo remissionem peccatorum et justificationem mereri de congruo.

Antequam id probemus, nonnulla præmittimus, quæ ad præoccupandas et in antecessum solvendas adversariorum difficultates multum inservient.

Amicitia duplicem amorem necessario involvit, nimirum utriusque amici ad alterum: et ideo amicitia inter Deum et homines, includit amorem Dei erga nos, quo ipse nos in amicos recipit, et est formaliter amicitia ex parte Dei ad nos; et amorem nostrum erga Deum, quæ est formaliter amicitia ex parte nostra ad Deum.—Per illum Deus formaliter est amicus, sive benevolens nobis, et nos ipsius amici sumus: per hunc vero nos sumus formaliter Deo amici, et ipse est amicus noster.

Hinc, ut egregie declarat P. Coninck (de effectu pœnit. disp. 2. dub. 3.), sequitur:

1. Quando aliquem, offensa ei illata, inimicum nobis reddimus, ipse non constituitur nobis inimicus formaliter per peccatum nostrum, sed per actum odii, quem in se concipit, quique objective causatur per peccatum nostrum. Et similiter quantumcumque illud peccatum retractemus, etiamsi actu quo plane tollatur injuria; per eam tamen retractationem nullo modo constituimur formaliter alterius amici, sed per actum amoris, quem ipse elicit erga nos. Unde si pergat nos odisse, nos inimici ipsius esse pergimus.

2. Sequitur:—Quando aliquem graviter offendimus, etsi postea de eo quod egimus doleamus, idque ex vero amore erga offensum, non statim fit ipse nobis amicus: et inde est ut sæpe videamus eum, post exhibita a nobis signa doloris pro injuria illata, manere nihilominus nobis graviter offensum; et merito, si doloris et reparationis actus exhibiti non sufficiant ut pro injuria satisfaciant.—Pone, ex. gr., nobilem civem adversus regem suum crimen læsæ majestatis commisisse, et deinde, ex sincero regis sui amore, horruisse crimen a se commissum; certe per hunc pœnitentiæ actum pro injuria regi illata plene non satisfecit, et vere injuriosus in regem, ac inimicus ejus permanebit, ita ut poterit etiam ut talis plecti. Quinimmo, pone hunc regis subditum ex dolore animi pro crimine commisso, exhibere omnem quam posset satisfactionem; is profecto a pœna sustinenda liberaretur, sed exigere non posset ut rex in pristinam amicitiam eum reciperet;—id enim est gratuitum.

3. Sequitur:—peccator, etsi vehementissime ex amore Dei de peccato doleat, manet nihilominus Deo injurius, ipsiusque inimicus, nisi Deus peccatori pœnitenti peccatum remittat. Etenim ea quæ mox declara-

vimus maxime valent cum agitur de peccato quo Deum offendimus. Majestas Dei absolute immensa est, et respectu ejus infinita vilitas nostra: ideoque peccatum mortale infinite Deum offendit; et pœnitentia nostra, quantumcumque excellens, infinite deficit in ratione perfectæ satisfactionis, et consequenter in virtute delendi peccatum.

Nec refert quod contritio sit perfectissima ad Deum conversio, quam in hac vita habere possumus; nec etiam quod proficiscatur a gratia, et sit supernaturalis: nam exinde tantum sequitur, quod per eam peccatum desinat nobis esse habitualiter voluntarium, et quod nos desinamus esse aversi a Deo; non autem sequitur quod desinamus esse injurii Deo;—injuria enim illa adhuc moraliter nos afficit, donec remittatur, ut supra ostendimus. Nec etiam sequitur quod Deus ob talem actum necessario nobis debeat remittere culpam; sed tantum quod hoc bonitati ipsius conveniat, quam omnino decet acceptare a nobis pœnitentiam perfectissimam ei exhibitam, præsertim cum in hunc finem Deus nos ad eam excitet.

4. Sequitur:—Deletio peccati, pro quo nullo modo de condigno satisfacere possumus, cum fieri necessario debeat per Dei remissionem, non potest consistere in aliquo actu nostro, sed necessario consistere debet in aliquo Dei dono nobis collato, quod habetur in infusione gratiæ habitualis.

His præmissis sit

THESIS VII.

Contritio nullo modo est formalis causa justificationis; sed hanc meretur, merito congruo, non condigno.

I. Prob. 1ma *pars thesis.*—Causa *dispositiva* nequit ullo modo esse causa *formalis* respectu ejusdem effectus, quia dispositio non disponit ad seipsam, nec ad suum formalem effectum, sed ad aliam formam et ad effectum ejus. Porro contritio est causa dispositiva ad remissionem peccati, et justificationem. Ergo contritio nequit ullo modo esse causa formalis remissionis peccati et justificationis.

Prob. *Min.* 1. *Ex Scripturis,* in quibus sæpissime contritio exhibetur tamquam dispositio prævia, quam Deus in homine peccatore exigit, ut ei conferat donum justificationis. Pauca hic referam ad exemplum.

In Ps. L. 19. dicitur: "Cor contritum et humiliatum Deus non despicies."—In lib. Eccl. (XVII. 28.): "Quam magna misericordia Domini et propitiatio illius convertentibus ad se."—Apud Jerem. (III. 1.): "Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te."—Et apud Isaiam (I. 16. 17. 18.): "Quiescite agere perverse, discite benefacere. . . . . Et venite et arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt."—Certe, his Scripturæ locis et aliis similibus, nullo modo quadrat interpretatio adversariorum, qua contendunt ea significare misericordiam Dei largientis homini peccatori contritionem; nec ulla alia convenire potest præter eam quam dedimus. Etenim in his testimoniis misericordia Dei, quæ promittitur, seu remissio peccatorum, a conversione peccatoris omnino distinguitur, cum *nonnisi sub conditione hujus conversionis* misericordia promittatur. Sane promissio denotat voluntatem liberalem largiendi beneficium, distinctum et per se separabile a conditione sub qua donum promittitur; et inanis prorsus ac ridenda esset ista promissio, ut Ripalda ipse fatetur: Si sanus fias, ego misericorditer ab infirmitate te liberabo.

Præterea veritatem, quam defendimus, evidenter etiam ostendunt verba Christi, in Joan. Evang. (XIV. 21.): "Qui diligit me, diligetur a Patre meo." Supponitur hic dilectio ex parte hominis, ac proinde supponitur etiam illa dilectio Dei erga hominem, per quam Deus hominem ad diligendum Creatorem et Redemptorem suum movit, et auxiliatus est;—et nihilominus alia dilectio Dei promittitur, illa nempe qua hominem justificat et amicum suum facit; unde adjungitur (vers. 23.): "*Et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*"

Et eamdem veritatem confirmant exempla quæ in Scripturis commemorantur.— In libro 2. Regum (XII. 13.) legimus Davidem, post reprehensionem Prophetæ, dixisse: "*Peccavi Domino.*"—Hæc verba ex vera contritione fuisse indubium est;—et tamen subjungit Nathan: "Dominus *quoque* transtulit peccatum tuum," manifeste ostendens hoc fuisse speciale Dei beneficium et magnam ejus misericordiam. Quam et ipse David confitetur inquiens (Ps. XXXI. 5.): "Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei."

Hunc locum S. Ambrosius commentatur, dicens (Apol. David. 1. capit. 2. num. 5.): "Confessus ingemuit . . . . . . Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, et Dominus transtulit peccatum tuum (II. Regum XII. 13.). Maturitas itaque veniæ, profundam regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit." Et (cap. 10. num. 55.): "Non negando . . . . . . utique commissi pœnitentiam gerebat erroris; atque ita confitendo delictum, justificabat Dominum, et ipse justificabatur a Domino. Justificatur enim Dominus, dum ejus prædicatur justitia, et ab eo venia postulatur. Simul et ipse justificat confitentem, et justificatur in sermonibus suis, sicut scriptum est: 'Dic iniquitates tuas, ut justificeris.' "

Et eodem modo verba Davidis expendit Basilius (Hom. 29. de Pœnit.) dicens: "Ad pharmacum [David] properavit, vidit vulnus, confugit ad medicum: Peccavi, inquit, et mox adhibita est medicina:"—ubi clarissime distinguit inter medicinam a Deo solo adhibitam, et ipsius pœnitentis Davidis dispositionem.—Similiter sentiunt S. Augustinus, S. Fulgentius, S. Gregorius Magnus aliique Patres, horum Davidis verborum expositores.

Huc etiam faciunt, exemplum Mariæ Magdalenæ pœnitentis de qua Christus Dominus dixit: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;"—et parabola de filio prodigo, quam Christus ad exemplum divinæ misericordiæ erga peccatores ostendit. In eis namque clarissime significatur venia a Deo concessa, ratione utique contritionis, sed tamquam beneficium ab ea prorsus distinctum.

2. *Ex Patribus*, qui aperte docent, post contritionem, *novum beneficium* a Deo conferri, cum peccatori pœnitenti peccata remittit.—Et ad omnem exceptionem præcavendam notetur, loca selecta Patrum, quæ mox afferemus, contritionem perfectam spectare, non imperfectam; illam enim pœnitentiam spectant cui infallibiliter justificatio peccatoris conjuncta est.

S. Joannes Chrysostomus (Hom. de Eleemosyna 3. n. 4. Migne t. 49. p. 298.) ait: "Quod si Petri fletus tantum delevit peccatum, qui fieri poterit, ut si fleveris, peccatum non deleas? Non enim parvus fuit reatus, proprium Dominum negasse, sed magnus et gravis; eum tamen lacrymæ delevere. Defle igitur et ipse super peccatum, neque quoquo modo defle aut specie tantum, sed defle amare, quemadmodum et Pe-

trus: ex ipso profundo deduc fontes lacrymarum, quo Dominus misericordia motus, tibi peccatum dimittat: clemens etenim est: ipse enim dixit: "Nolo mortem peccatoris, sed converti ipsum, et pœnitentiam agere, et vivere' (Ezech. XVIII. 23.). Exiguum expetit a te laborem, et magna ipse largitur: occasionem a te quærit, ut tibi salutis thesaurum tribuat. Profer lacrymas, et ipse indulgentiam impertitur: profer pœnitentiam, et ipse remissionem tribuit peccatorum: occasionem tu exiguam confer, ut speciosam habeas excusationem: quædam enim ab illo sunt, quædam a nobis: quæ a nobis sunt si contulerimus, et ipse rursus quæ sunt ab ipso præbebit."

S. Ambrosius (lib. 1. de Pœnit. cap. 5.) inquit: "Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos: expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.... Expectat conversionem nostram, ut revertatur et ipse ad gratiam."

S. Hieronymus (Epist. 122. ad Rusticum, c. 3.) dicit: "Vide quanta magnitudo sit fletuum, ut aquarum diluvio comparetur. Quos qui habuerit, et dixerit cum Jeremia: 'Non sileat pupilla oculi mei,' statim in illo complebitur 'misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt' (Psalm. XLVIII.): ut si te justitia et veritas terruerint, misericordia et pax provocent ad salutem."

S. Augustinus (l. 83. qq. q. 68. n. 5.) ita habet: "Verum est quia 'non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei' (Rom. IX. 10.). Quia etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis gravioribus et multis, tamen magno gemitu et dolore pœnitendi, misericordia Dei dignus fuerit; non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit."—Hunc autem locum recognoscens (lib. 1. Retract. cap. 26.) inquit: "Hoc dictum est post pœnitentiam, nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem," etc. Quibus nihil clarius dici poterat.

S. Fulgentius (de Rem. Pecc. lib. 1. c. 11.) hæc habet: "Dicit igitur iste Dominus, misericors et justus, severus et pius: Si hoc feceris, hoc habebis . . . ego tibi præcipio conversionem, tu poscis a me salutem: si parueris præcepto, potieris beneficio; si jussa fieri videam, postulata concedam: *'Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.'* "

3. *Ex Concilio Tridentino.* Nam in sessione 14. (c. 4.) Concilium loquens de contritione ad consequendam, etiam extra sacramentum, justificationem, ait: "fuit autem quovis tempore, *ad impetrandam veniam* peccatorum, hic contritionis motus necessarius." Ergo juxta Concilium contritio *impetrat* quidem remissionem peccatorum, et ad eam disponit; sed hæc nonnisi a Deo, tamquam donum omnino distinctum, misericorditer conceditur peccatori.

Nec audiendus est Vasquez, qui ait Concilium sane loqui de contritione in genere, prout abstrahit a perfecta et imperfecta; sed docere *necessitatem attritionis,* non *contritionis,* ad impetrandam peccatorum veniam; et ideo dicere motum contritionis fuisse semper necessarium ad impetrandam illam veniam, quia sola attritio, ex lege ordinaria, impetrat justificationem, et nemo, etiam extra sacramentum, ordinarie loquendo, contritionem obtinet, nisi prius habuerit attritionem.

Hæc interpretatio vim infert verbis Concilii; et facillime refutatur. Etenim sensus eorum obvius est, veniam peccatorum, seu *gratuitam* peccatorum remissionem, *numquam* a Deo fuisse concessam sine prævia ejusdem veniæ impetratione ex parte peccatoris, per actum contritionis, etiamsi hæc contritio perfecta fuerit;—generatim enim loquuntur Tridentini Patres, et universali sententia nullam circa hanc rem differentiam statuunt inter contritionem perfectam et imperfectam.

Quam verborum intelligentiam plane confirmat contextus capitis quarti. Nam Concilium, cum initio hujus capitis contritionem describit, non de imperfecta tantum loquitur, sed de perfecta simul ac de imperfecta. Id constat non modo ex descriptione contritionis a Concilio tradita,—"animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero,"—quæ descriptio utrique contritioni, immo perfectæ melius quam imperfectæ convenit; sed etiam ex eo quod contritionem, quam *generice* descripsit, in perfectam et imperfectam distinguat in decursu capitis.—Si ergo certum est descriptionem contritionis a Concilio datam in principio capitis quarti, spectare non solum imperfectam contritionem, sed et perfectam; cum statim, post illam descriptionem, Concilium subjungit "fuit autem omni tempore hic contritionis motus ad impetrandam remissionem peccatorum necessarius," his verbis non solam attritionem, sed etiam actum contritionis perfectæ clare complectitur.

Et insuper, cum certum sit, ante legem evangelicam, per solam contritionem perfectam peccatorem impetrare *efficaciter* potuisse peccatorum suorum veniam, et ideo perfectam contritionem fuisse omnino necessariam ad hanc veniam consequendam; sequitur propositionem Concilii, qua dicit "omni tempore" fuisse contritionem necessariam, intelligendam esse, ut merito adnotat hic Suarez (de gratia, l. 7. c. 13. n. 26.), *cum partitione accomoda*, et juxta diversorum temporum exigentiam;—ita ut Concilium statuat contritionem pro adultis *semper* ad remissionem peccatorum necessariam fuisse, id est, perfectam quidem contritionem fuisse necessariam ante legem evangelicam, et in hac lege, necessariam esse quando realiter sacramentum non suscipitur, aut martyrii privilegium non habetur; imperfectam vero quando justificatio fit in sacramento.

Denique ejusdem Concilii cap. 7. sessionis sextæ novum nobis suppeditat argumentum. In illo enim capite *causa formalis unica* justificationis dicitur esse justitia Dei "qua nos justos facit; qua videlicet *ab eo donati,* renovamur spiritu mentis nostræ . . . justitiam *in nobis recipientes.*"—Sed talis non est, ut patet, actus contritionis. Ergo nequit contritionis actus esse causa formalis justificationis:—et quia Concilium dicit justificationis causam formalem esse *unicam,* nequit actus contritionis esse saltem causa partialis justificationis.

Hactenus probationes directe ex auctoritate desumpsimus; easdem *theologicis rationibus* nunc confirmamus, quas concinne et quasi conglobatim affert Suaresius (disp. 8. sect. 3. n. 11.) ad demonstrandum "in formali causa remissionis peccati actum contritionis perfectæ *nullo modo* includi." "Formalis causa," inquit, "in omnibus et semper est eadem, et post actum transactum, eadem etiam perseverat: sed in multis, non solum parvulis, sed etiam adultis, qui justificantur, actus non est formalis causa etiam partialis justificationis, vel quia nunquam illum habuerunt, ut sunt parvuli: vel quia non habent actum eo tempore quo justificantur, ut in adultis qui baptizantur, vel absolvuntur post amissum usum rationis: vel quia non habent actum per se satis proportionatum, ut in omnibus qui cum sola attritione justificantur: vel denique quia transacto actu, manet integra forma justificans: non est ergo actus pœnitentiæ, vel etiam amoris pars formæ justificantis: sed eadem est causa formalis justitiæ, et remissionis peccati; ergo actualis operatio non pertinet intrinsece ad hanc causam formalem."

Præterea, ut ipse Suarez ibidem addit (n. 12.), "in macula peccati, prout nunc est, duo possunt considerari: unum est physicum, quod est privatio gratiæ: aliud est morale, scilicet, respectus ad præteritum peccatum, quod moraliter permanere censetur, quandiu non remittitur. Primum horum immediate remittitur formaliter per infusionem gratiæ, ut per se constat. Secundum autem non potest tolli formaliter per actum pœnitentiæ, quia non est tam efficax ad reparandam injuriam, sicut fuit peccatum ad offendendum, propter infinitatem personæ offensæ, . . . et ideo necesse est, ut Deus ipse gratis remittat; ergo nihil superest in peccato, quod formaliter expelli possit per pœnitentiæ actum, nec totaliter, nec partialiter. Atque ita D. Th. in tota hac q. et 1. 2. q. 113., et in 4. d. 17., ubi ex professo de hoc disputat, nunquam tribuit pœnitentiæ hanc causalitatem, et qu. 28. de Veritate a. 8. excludit omnem aliam, præter dispositivam."

Hinc idem Angelicus Doctor docuit (3. p. q. 86. art. 4. ad 2.) remissionem peccati esse effectum *gratiæ operantis* quoad remissionem culpæ et pœnæ æternæ; quia, ut ait, *remissio culpæ est a sola gratia, non a gratia simul et a libero arbitrio:*— qua doctrina evidenter statuit actum contritionis nullo modo esse formalem causam justificationem, cum ille actus non sit a sola gratia, sed a gratia Dei simul cum libero arbitrio.

Hæc sunt verba S. Doctoris:—"Ad secundum dicendum quod, sicut in secunda parte habitum est, 1. 2. q. 109. art. 7. et 8., et q. 111. a. 2. ad gratiam pertinet operari in homine justificando ipsum a peccato, et cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpæ et reatus pœnæ æternæ pertinet ad gratiam operantem; sed remissio reatus pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum scilicet homo cum auxilio divinæ gratiæ, patienter pœnas tolerando, absolvitur etiam a reatu pœnæ temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiæ operantis quam gratiæ cooperantis, ita etiam prius est remissio culpæ et pœnæ æternæ quam plena absolutio a pœna temporali; utrumque enim est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et libero arbitrio."

II. *Prob.* 2da *pars thesis,* quamvis, ut verum fatear, ex hucusque dictis, clarissime deducatur, et vix probatione indigeat.

Et re quidem vera contritionem esse *causam meritoriam* remissionis peccatorum et justificationis, constat

1. *Ex Scripturis,* quæ pœnitenti et pœnitentiæ ejus justificationem

tamquam effectum adscribunt: "Cum averterit se impius ab impietate sua . . . *ipse* animam suam vivificabit" (Ezech. XVIII. 27.);—"Remittuntur ei peccata multa, *quoniam* dilexit multum" (Luc. VII. 47.).

2. *Ex Patribus,* qui passim docent per pœnitentiam nos Deum placare et peccatorum nostrorum a Deo veniam mereri.—Præter testimonia superius citata, brevissime sequentia commemorabo. Tertullianus (lib. 4. contra Marcionem, c. 10.) scribit, *Achab reum idololatriæ et sanguinis veniam meruisse, pœnitentiæ nomine;* et (lib. de Pœnit. c. 9.) *pœnitentia,* inquit, *Deus mitigatur.*—S. Cyprianus (de Lapsis, num. 36.) pœnitentiam dicit medicinam peccati, per quam Deus placatur, et eam esse per quam peccator *non solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*—S. Augustinus (in Psal. L. num. 11.) de Ninivitis ait, *pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt.*—S. Hieronymus (l. 2. contra Pelagianos, n. 11.) dicit: *qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.*

3. *Ex Concilio Tridentino,* ubi docet (sess. 14. c. 4.) actu contritionis peccatorem delictorum suorum a Deo veniam impetrare:—et ubi declarat (sess. 6. cap. 7.) gratiam sanctificantem unicuique dari secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem;*—jam vero inter dispositiones ad justificationem Concilium enumeraverat (cap. 6.) pœnitentiæ actus.

Quod autem meritum contritionis, quo remissionem peccatorum obtinet, de *congruo* sit, non de *condigno,* facile patet: 1) Scripturarum et Patrum testimoniis pluries jam supra citatis, in quibus illa remissio celebratur ut novum et maximum divinæ misericordiæ beneficium, quod peccatori contrito Deus elargitur. 2) Auctoritate Concilii Tridentini docentis (sess. 6. cap. 8.) gratis justificari nos a Deo, "quia *nihil eorum* quæ justificationem præcedunt . . . justificationis gratiam promerentur." 3) Ratione theologica, quia actus contritionis, *ordine naturæ* præcedens *gratiam sanctificantem,* nequit esse meritorius *de condigno,* cum ad meritum *de condigno* requiratur ut opus meritorium procedat ab homine in statu gratiæ, ab eo nempe qui per gratiam sanctificantem jam est a peccatorum vinculis liberatus et amicus Dei factus est.

Difficultates præcipuas adversus thesim ab adversariis propositas, referemus breviter et solvemus.

1. In I. Pet. (IV. 8.) legitur: "Caritas operit multitudinem peccatorum." Ergo caritas actualis, de qua loquitur S. Petrus, per se sola et formaliter peccata excludit.

Resp. *N. Cons.*—Etenim *a*) Verba S. Petri a multis, magna probabilitate, interpretantur de peccatis *alienis*, non propriis, et hunc referunt sensum:—vera caritas erga proximum efficit ut unus vel non videat peccata alterius, vel illos excuset, aut dissimulet, aut occultet, quantum caritatis ordo permiserit. Juxta hanc interpretationem, conformem textui Prov. (x. 12.), ex quo S. Petrus sententiam suam desumpserat, —ait enim Sapiens: "Odium suscitat rixas: et universa delicta operit caritas,—nulla objectio ex verbis Apostoli contra thesim nostram desumi potest.—*b*) Si vero verba S. Petri non de peccatis alienis, sed *de propriis* quis intelligat, significant caritatem operire peccata propria *dispositive* et *meritorie*, non *formaliter*.

2. Patres contritioni caritate perfectæ tribuunt, ut causæ formali, remissionem peccatorum et sanctificationem animæ. Ergo.—Prob. *Ant.* S. Greg. Mag. (Hom. 33. in Evang.) dicit dilectionem esse ignem, et peccatum rubiginem, quam ignis caritatis consumit.—S. Augustinus (Tract. 9. in Ep. 1. Jo.) caritatem vocat pulchritudinem animæ, et justitiam qua sanctificamur.—S. Ephrem (lib. de Judicio et Compunct., c. 5.) inquit: "Compunctio sanitas animæ est, illuminatio mentis est."—S. Ambrosius (in Ps. CXVIII. octon. 15. ver. ult.) ait: "Caritas culpam et omnia peccata mortificat, caritas mortis ictus interimit . . . morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus."

Resp. *N. Ant.*; nam Patres contritionem perfectam utique dicunt esse remissionis peccatorum et sanctificationis nostræ *causam*; sed numquam asserunt eam esse illius sanctificationis, sive totaliter, sive saltem partialiter, *causam formalem*. *Ad prob.*—Metaphora ignis, quam adhibet S. Greg. Magnus, non ostendit contritionem esse causam formalem justificationis; sed potius efficientem: et eodem sensu explicanda sunt cetera testimonia allata.—In verbis S. Ephrem, illud "Compunctio illuminatio mentis est" absque dubio de causa efficienti intelligi debet, non formali; nam compunctio, ut patet, non illuminat formaliter intellectum: hinc etiam illud: "Compunctio animæ sanitas est," intelligendum est in sensu causæ meritoriæ, non formalis:—quod et his verbis immediate sequentibus satis aperte declaratum fuit: "Compunctio remissionem

peccatorum nobis jugitur *conciliat*."—S. Augustinus autem dicere poterat caritatem esse justitiam qua sanctificamur, non ratione *identitatis*, sed *connexionis;* caritati enim infallibiliter conjuncta est gratia sanctificans: "Si quis diligit me," ait Christus, "et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" (Jo. XIV. 23.).

3. Concilium Tridentinum docet (sess. 6. c. 7.) justificari hominem "*per voluntariam susceptionem gratiæ* et donorum ;" hæc enim sunt verba Concilii: "Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio; sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum: unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ."—Atqui illo inciso, *voluntariam susceptionem*, significari videtur, ut causa formalis, actus ipse contritionis. Ergo hic est, saltem ex parte, causa formalis justificationis.

Resp. *N. Min.*—Etenim, his verbis, *per voluntariam susceptionem*, Concilium non indicat *causam formalem* justificationis, sed *requisitam in adultis dispositionem* ad justificationem consequendam.—Et sane Tridentini Patres non dicunt *ipsam justitiam* debere *intrinsece ac per se* esse voluntariam, sed *susceptionem* ejus in adultis esse voluntariam. Hinc cum dixissent justificationem in adultis consequi propriam eorum dispositionem, statim addunt justificationem in eis fieri per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, quia ad eamdem susceptionem adulti libere se disponunt. Et hanc doctrinam Concilii Tridentini Patres statuunt adversus Novatorum errorem, qui voluntatem nostram in bonis operibus sic agi a Deo contendebant, ut non possit non agere. Cum autem, in eodem capite 7., Concilium causam formalem designat justificationis, neque actus, neque voluntarii meminit; sed dicit eam esse, et quidem unicam, justitiam ipsam, quæ a Deo animæ infunditur, et in ea inhæret.

4. Peccatum includit actum vel moralem habitudinem ad illum; ergo causa formalis peccatum expellens, debet actum oppositum, id est, actum pœnitentiæ includere.

Resp. *N. Cons.*—In peccato enim habituali, præter reatum, seu debitum morale subeundi pœnam, sunt macula, offensa et injuria: porro macula, prout est privatio gratiæ sanctificantis, nonnisi per ipsam gra-

tiam divinitus infusam tolli potest: offensa vero et injuria a Deo misericorditer remitti debent, cum actus pænitentiæ propter dignitatem personæ offensæ tam efficax non sit ad reparandam offensam Deo illatam, sicut peccatum fuit ad Deum offendendum.

5. Actu caritatis perfectæ homo ad Deum perfecte convertitur et Deo adhæret. Ergo fit justus et Deo amicus.

Resp. *Neg. Cons.*—Non enim amor quo homo in Deum fertur est formaliter amor quo Deus hominem ut amicum diligit; sed dispositio tantum et impetratio.

6. Si contritio meretur justificationem, non justificamur gratis, contra id quod Paulus docet (Rom. III. 24.).

Resp. *Dist. seq.*—Si contritio meretur merito condigno justificationem, non justificamur gratis *C.* Si eam meretur merito congruo *N.*—Meritum enim de congruo, quod non fundatur in justitia, non opponitur gratuitæ justificationi.

7. Majus est meritum contritionis, quam attritionis. Sed attritio meretur de congruo justificationem. Ergo contritio de condigno eam mereri debet.

Resp. *Dist. min.*—Attritio meretur de congruo justificationem, remote et mediante sacramento *C.* Se sola et immediate *N.* Contritio autem, ut superius demonstravimus, etiam in nova lege, statim, ante usum sacramenti, quamvis non sine voto sacramenti, quod in ea includitur, meretur et consequitur justificationem.

ARTICULUS OCTAVUS.

De attritione.

Iis quæ ad contritionem perfectam pertinent absolutis, gradum facimus ad ea inquirenda quæ spectant contritionem imperfectam, nempe attritionem. Hoc autem attritionis nomen, in Scripturis et in scriptis Patrum non usitatum, circa sæc. XIII. vulgari cœpit, ut a contritione perfecta, quæ contritio sine alio addito appellabatur, imperfecta contritio distingueretur.

Concilium Tridentinum (sess. 14. c. 4.) postquam naturam contritionis perfectæ, uno verbo, sed apertissime declaraverit, hæc de attritione addidit: "Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis; quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit."

His verbis Tridentina Synodus tum errorem Lutheri, de quo mox dicturi sumus, profligavit;—tum motivum proprium attritionis assignavit, turpitudinem nempe peccati, et timorem pœnarum;—tum conditiones attritionis veræ, et ejus salutares fructus exposuit.

Conditiones sunt ut voluntatem peccandi excludat, adjunctam habeat spem veniæ, et sit ex impulsu Spiritus Sancti:—fructus vero ut pœnitentem adjuvet, ipsi viam ad justitiam paret, et ad gratiam justificationis in sacramento pœnitentiæ impetrandam ac consequendam eum disponat.

Quoad attritionem *ex consideratione turpitudinis pecati* ortam, quæri potest qua ratione supernaturalis esse debeat; utrum nempe sufficiat eam esse ex auxilio gratiæ, etsi turpitudo peccati concipiatur propter deordinationem quam peccatum involvit comparatum cum *recta ratione naturali* et cum regula morum? Aliis verbis, cum actus morales, etiam *naturales*, interdum ex peculiari auxilio gratiæ fiant et supernaturalitatem habeant ratione istius auxilii; satisne erit ut *hoc modo* attritio eliciatur ad consequendam gratiam in sacramento?

Respondemus attritionem istam,—quæ supernaturalis esset *non in suo esse*, sed *quoad modum*,—non sufficere, et eam non esse de qua Concilium Tridentinum loquitur in verbis citatis. Etenim attritio, utpote actus salutaris, qui ad gratiam sanctificantem in sacramento consequendam hominem disponit, debet esse, juxta ea quæ in Tractatu *de Gratia* demonstravimus, non tantum supernaturalis *quoad modum*, sed *in suo esse*, seu *entitative*, et *quoad substantiam*, *supernaturalis.*

Hinc "ex illo motivo," rectissime notat Suarez (disp. 5. sect. 2. n. 12.), "quod in unaquaque virtute morali *per se infusa*, reperitur, procedit hæc attritio. Hujusmodi autem motivum in unaquaque virtute sumendum est per conformitatem ad regulam et rationem supernaturalem in propria materia : nam in universum ratio virtutis moralis consistit in hoc, ut in materia morali operetur secundum conformitatem ad rectam rationem. Unde, quando illa conformitas sumitur per comparationem ad meram rationem naturalem, virtus est acquisita, cujus actus tam in prosecutione boni honesti in tali materia, quam in detestatione mali oppositi, naturalis est. Quando vero illa conformitas sumitur per comparationem ad revelatam regulam, et ad rectam rationem ut elevatam ad supernaturalem ordinem, tunc virtus est infusa, et actus ejus tam in prosecutione boni, quam in fuga mali supernaturalis est. Et hæc est attritio, quam posuit Tridentinum."

Quod autem ad attritionem *ex gehenna et pœnarum metu* conceptam attinet, Lutherus asseruit eam non esse liberam, sed extortam et violentam ; non utilem sed prorsus noxiam, et reddere hominem magis hypocritam ac peccatorem :—Baius vero, Jansenius, Quesnellius, aliique eorum fautores, contendentes caritatem necessariam esse ad omnem actionem humanam, ut moraliter bona sit, dixerunt attritionem, ex solo pœnarum metu conceptam, vitiosam esse et, saltem omissionis, vere peccatum. Adversus hos omnes veritatem catholicam, fide tenendam, vindicabimus, nimirum attritionem ex solo metu gehennæ et pœnarum conceptam bonam, ac supernaturalem esse et præparare ad gratiam ;—utrum vero attritio hæc in sacramento pœnitentiæ peccatorem sufficienter disponat ad absolutionis gratiam percipiendam, in secunda hujus Tractatus parte declarabimus.

Sed antequam ad demonstrationem catholici dogmatis accedamus, ut status quæstionis clarior evadat, et cavillationibus præcludatur aditus, quia controversia circa timorem versatur, præstat ut in antecessum varias hujus timoris species distinguamus.

Itaque timor, qui Deum spectet, triplex esse potest, nempe *mundanus*, *servilis*, et *filialis*. *Timor mundanus* ille est, quo quis malum timet, et recedit a Deo, scilicet magis timet malum temporale, quod ab hominibus inferri potest, quam peccatum et malum pœnæ æternæ.—*Timor servilis* est ille qua quis fugit peccatum propter pœnam a Deo infligen-

dam, et *servilis* dicitur, quia servorum est ex solo timore pœnæ peccatum fugere ac detestari. Hic autem servilis timor potest esse *simpliciter servilis* et *serviliter servilis.* Est timor *simpliciter servilis* ille quo quis pœnam a Deo infligendam timet, et ex metu pœnæ fugit peccatum tamquam ex motivo et fine proximo, sine affectu peccandi si pœna abesset: —*serviliter* vero *servilis* est timor quo quis peccatum metu pœnæ non committit, sed ita est affectus, ut peccatum, si posset impune, ultro committeret.—Timor *filialis* ille dicitur quo quis culpam timet, non quia hæc pœnam inducit, sed quia Deum optimum ac amantissimum Patrem offendit.

Præter timores hic enumeratos, S. Th. (2. 2. q. 19. a. 2.) indicat alium timorem, ab eo vocatum *initialem,* illum nempe quo quis convertitur ad Deum et ei inhæret tum propter timorem culpæ, tum propter timorem pænæ, ita tamen ut primario offensam Dei timeat, secundario pœnam.

Jam vero, omnes fatentur timorem Dei *filialem* aut *initialem* esse bonum:—omnes pariter ut malum rejiciunt timorem *mundanum* et *serviliter servilem:*—controversia igitur Catholicos inter et Novatores spectat timorem *simpliciter servilem,* et de eo agitur in thesi quam subjungimus.

THESIS IX.

Bona et utilis est attritio concepta ex solo metu gehennæ et aliarum pœnarum, quibus peccatores a Deo plectuntur; illa nempe qua quis Deum vindicem ita timet ut solius pœnæ fugiendæ causa de peccatis admissis doleat, et imminentia aversetur.

Prob. thesis 1. *Ex Scripturis,* quæ timorem pœnarum a Deo infligendarum utilem declarant atque commendant, ut homines a peccatis deterreantur. Pauca, ex multis locis quæ afferri possent, seligimus ad hoc demonstrandum.—

In libro Ecclesiastici (I. 13.) legimus: "Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur;" et (vers. 27.): "Timor Domini expellit peccatum."—In eodem libro (II. 1.): "Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem;" et (ver. 20–22.): "Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum."—In libro Proverb. (I. 7.): "Timor Domini, principium sapientiæ;" et (XIV. 27.): "Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis."—Timorem hunc David efflagitabat, dicens (Ps. CXVIII. 120.): "Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui."—Et plena sunt volumina Prophetarum comminationibus, quibus timorem hunc peccatoribus incutere nitebantur, ut ad pœnitentiam eos adducerent.

Præcursor Domini, salutarem timorem æternæ damnationis commemorans, Pharisæos et Sadducæos his verbis alloquebatur (Matth. III. 7–12.): "Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? . . . Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est. . . . . . Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili."

Christus ipse pœnas æternas hominibus comminabatur, ut timore harum pœnarum salutariter concussi peccata vitarent; et dicebat (Matt. x. 28.): "Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam."

2. *Ex Patribus* luculenter probatur thesis.

Clemens Alexandrinus (lib. 7. Strom. c. 12., Migne t. 9. p. 510.) ait: "Justitia quoque est duplex, una quidem propter caritatem, altera vero propter metum . . . . qui enim convertuntur a timore ad fidem et justitiam, permanent in sæculum. Jam vero abstinentiam a malis operatur is qui timet." Et in eodem opere (l. 2. cap. 6.): "Prima," inquit, "ad salutem esse inclinatio nobis fides apparet, post quam timor et spes et pœnitentia, cum continentia et tolerantia proficientes, nos ducunt ad caritatem."—Et cap. 7. addit: "Qui timorem autem accusant, legem insectantur. Quod si legem, clarum est, quod illum quoque, qui legem dedit, Deum."

S. Basilius (Hom. 7. Migne t. 31. p. 1789.) dicit: "Multa sunt medicamenta quæ post perditionem revocant ad salutem. . . . Respice quam

horrifica sunt quæ de æterno judicio conscribuntur. . . . Adduc ad cogitationem novissimum diem (neque enim sola eris quæ in perpetuum vivas); sed adduc ante oculos tuos tempus illud quo jam in morte constringimur; quo novissimus spiritus arctissimis angustiis cogitur: horam illam recordare quam Dei sententia perurget, et angeli educere animam de corpore festinant. Quæ est in illa hora perturbatio? Ubi tunc carnis desideria, ubi flamma libidinis? Ubi corporis et voluptatis illecebra? Procul hæc universa discedunt; nusquam horum memoria remanet; sola nos peccatorum stimulat conscientia, et hinc atque hinc ea quæ relinquimus contuentes, amarius illa sola quo adducendi sumus tota formidine et consternatione perhorrescimus."

S. Ambr. (in Ps. CXVIII. Ser. 15. n. 37. 40.) hæc habet: "Carnes animæ sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini et judiciorum ejus, et servituti redigat. Quod si carnes istæ rejiciunt clavos divini timoris, haud dubie dicitur: 'Non permanebit spiritus meus in his hominibus, quoniam carnes sunt' (Gen. VI. 3.). Nisi igitur affigantur cruci hæ carnes, et configantur clavis a timore Dei nostri, non permanebit in his spiritus Dei. . . . . . . Ille enim dignus qui habet Christi timorem ut crucifigat carnale peccatum. Hunc timorem sequitur caritas, quæ consepulta cum Christo non divellatur a Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo."

S. Joan. Chrysostom. (Hom. 15. ad pop. Antioch. n. 2.) declarans verba Scripturæ (Eccles. VII. 3.): "Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii," ait: "Non hæc autem sola possunt hinc bona excerpi, verum et alia his non minora. Etenim peccatorum quisque suorum reminiscitur, tremendi tribunalis et pœnarum illarum et judicii, ac licet sit infinita ab aliis passus mala, et domi tristitias habeat, ipsorum omnium medela capta, ita revertitur. . . . Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de pœna et supplicio illis futuris loquens. Timor nihil aliud est, quam murus et munimentum, et turris inexpugnabilis."

S. Hieronymus in c. 1. Malachiæ (ver. 6.) ita loquitur: "Consideremus, quod filius ac servus in Scripturis sanctis voluntate fiat, non necessitate naturæ. Qui enim spiritum adoptionis acceperit, in filium Dei vertitur: qui autem spiritum servitutis in timorem, Dei servus efficitur. Vult itaque primum Deus, ut filii ejus simus, et bonum voluntate facia-

mus: si hoc consequi nolumus, ut saltem servos nos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus. . . . . Servus quoque honorat dominum suum, non eadem caritate qua filius . . . honorat filius patrem, servus dominum suum; et tamen Deus omnipotens sciens differentiam filii et servi, a filio gloriam, et a servo timorem expetit: 'Principium enim sapientiæ timor Domini' (Eccli. I. 16.), ut de timore servorum ad filiorum gloriam transeamus."

3. Distincta probatione ex testimoniis *S. Augustini* confirmamus thesim; eum enim, quem pro se esse jactant, nobis objiciunt adversarii.

Porro S. Augustinus, Enarratione in Ps. (CXXVII. 7.) de *timore simpliciter servili* loquitur, eum describit, et appellat *bonum, utilem, salutarem.* Hæc sunt verba S. Doctoris. "Alius," inquit, "non in hac terra pati timet, sed gehennas timet, unde terruit et Dominus. Audistis cum Evangelium legeretur: 'Ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur' (Marc. IX. 43.). Audiunt hæc homines; et quia vere futura sunt impiis, timent, et continent se a peccato. Habent timorem, et per timorem continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus." Et ejusdem Enarrat. (n. 8.): "Ille timor," prosequitur, "nondum castus, præsentiam et pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est; non quidem permanebit in sæculum sæculi: sed nondum est ille castus permanens in sæculum sæculi."

Idem S. Doctor, Serm. 161. (al. 18. de verbis Apostoli, c. 8.) quærit ab homine in adulterium propenso, cur, quod facile posset, crimen non committat, et ait: "Respondebis: Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, et cum illo ardeam. Quid? dicturus sum, Male times . . . vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem; et ait, ubi dixit, 'Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete' (Luc. XII. 4. 5.). Cum ergo Dominus timorem

incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times; nihil est quod magis timere debeas."

Hæc S. Augustini testimonia tam perspicua sunt, ut nullo commentario egeant, et per se sola, quin alia afferantur, abunde sufficiant.

4. Itaque *Concilium Tridentinum* juxta doctrinam unanimiter a Patribus traditam declaravit, ut supra retulimus, sess. 14. cap. 4. "contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur . . . . . . donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat;"—et in sessione 6. c. 6., inter dispositiones ad justificationem, timorem adnumeravit;—et canone 8. ejusdem sessionis definivit: "Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit."—Similiter in sessione 14. can. 5. definivit: "Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium, anathema sit."

Hinc Alexander VIII, an. 1690. damnavit sequentem propositionem 14.: "Timor gehennæ non est supernaturalis." Et 15.: "Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis."

Denique Clemens XI, in Constitut. *Unigenitus*, proscripsit sequentes Quesnelli propositiones: 60. "Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad perditionem." 61. "Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato adducitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur." 62. "Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo."

5. Præterea non desunt *rationes theologicæ* ad thesim nostram confirmandam. Etenim timor alicujus mali rationem, ac proinde honesta-

tem suam, desumit ex bono cui opponitur;—nam odio habetur malum propter bonum quod amatur; atque ex amore et desiderio boni, oriuntur odium, timor, et fuga mali. Sed bonum cui gehennæ malum opponitur, est profecto per se honestum et amabile, est enim beatitudo æterna. Ergo et gehennæ timor bonus est atque honestus.

Insuper timor, de quo loquimur, actualem voluntatem peccandi excludit. Ergo est laudabilis et præparans hominem ad gratiam justificationis.—Antecedens constat: nam timor ille excludere debet gehennæ pœnam, quam refugit:—at voluntas actualis peccandi peccatum est et meretur gehennæ pœnam, quam timor ille refugit. Ergo timor ille gehennæ actualem voluntatem peccandi excludere debet.

Denique mala non est attritio concepta ex timore pœnarum, quia adhibet et ordinat fugam peccati quasi medium ad fugiendam gehennam. Etenim ex una parte, sicut pœna non debetur nisi propter culpam, ita nullum medium est aptius ad vitandam pœnam quam vitare culpam. Et ex alia parte, "quamvis," ut merito animadvertit hic Suarez (disp. 5. sect. 2. num. 7.), "culpa sit malum altioris ordinis, quam pœna, non propterea inordinatum est, aut pravum, ordinare detestationem peccati ad fugam pœnæ, quia ille est finis proximus, et non excludit finem ultimum, qui est Deus, ad cujus gloriam totum hoc referibile est: et quamdiu non excluditur ex se in illum tendit: sic enim etiam Deus ipse interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris, quando utrumque in gloriam suam cedit, ut ordinavit Incarnationem, et passionem Christi ad gloriam nostram. Sic ergo in illo actu nulla est intrinseca inordinatio, quamvis sit minor perfectio, seu imperfectio negativa, non proprie privativa, quia non caret aliqua circumstantia sibi debita secundum rectam rationem. Quia non tenetur homo semper intendere quod est optimum, nec ordinare unum bonum ad aliud melius, vel æquale, neque velle quodlibet opus propter intrinsecam rationem boni, quæ in ipso est; sed potest illud velle propter rationem extrinsecam bonam, etiamsi minor sit: quia id per se satis est, ut operatio sit bona. Neque in hoc fit injuria ipsi majori bono dum ordinatur ad minus, quia non propterea privatur sua honestate, et quia utrumque tandem tendit in finem ultimum: et quia sæpe inferiora a superioribus conveniente ratione juvantur."

Adversarii objiciunt

1. In I. Joan. (IV. 18.) legitur: "Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet."—Hinc, juxta textum allatum, caritas excludit timorem pœnarum:—Atqui id quod a caritate excluditur donum Dei esse nequit. Ergo.

Resp. *Dist. maj.*—Caritas excludit timorem pœnarum *serviliter servilem C. Simpliciter servilem Subd.* ut magis perfectum excludit minus perfectum, et in cœlesti patria visio beatifica excludit fidem et spem *C.* Ut bonum excludit malum sibi contrarium *N.*—Verba autem S. Joannis duplici sensu, quem in responsione indicavimus, intelligi possunt; et ita intellecta fuerunt a S. Augustino. In primo sensu, quatenus nempe caritas excludit timorem mundanum et serviliter servilem, S. Doctor dixit (l. de Virg. c. 38.): "Perfecta caritas foras mittit timorem . . . sed timorem hominum, non Dei, timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii."—Et in alio sensu, scilicet prout caritas perfecta excludit timorem pœnarum qui est minoris perfectionis, idem S. Doctor verba S. Joannis interpretatus est, scribens (Tractat. 9. in I. Joan. num. 4.): "*Timor non est in caritate.* Sed in qua caritate? Non inchoata. In qua ergo? sed *perfecta*, inquit, *caritas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor, quia *initium sapientiæ timor Domini.* Timor quasi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor, minor caritas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum; quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. . . . . Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas."

2. Apostolus ait (I. ad Cor. XIII. 2.): "Si caritatem non habuero . . . . nihil mihi prodest." Ergo attritio, quæ non est ex caritate, prodesse nequit.

Resp.—Apostolus ait opera sine caritate nihil prodesse in ratione *meriti* ad vitam æternam; sed non negat timorem prodesse in ratione *dispositionis* ad justificationem.

3. Patres passim timorem reprobant tanquam malum; et docent, per

timorem peccata quidem externa cohiberi, sed interiores ad illa affectus non reprimi; immo ipsa opera legi conformia bona non esse, si ex timore pœnarum perficiantur. Sic S. Augustinus (lib. 2. c. duas Epist. Pelag. c. 9. n. 21.) ait: "Quando timore pœnæ, non amore justitiæ, fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere."

Resp. 1.—Sæpissime Patres reprobant timorem mundanum, qui ad peccatum inducit: aut etiam reprobant timorem serviliter servilem, non autem simpliciter servilem; hunc enim timorem nunquam desistunt inculcare Patres ac commendare. — 2. Præterea iidem Patres docent timorem servilem excludere quidem affectum actualem ad peccatum, sed non valere ad tollendum peccatum habituale; ideoque hominem qui timorem habet non adhuc esse totaliter ad Deum conversum, sanctum et justum, et necesse esse ut ipse ad caritatem acquirendam progrediatur.—3. Statuunt ea quæ ex solo timore fiunt non *bene* fieri, idest, non *perfecte*, si operibus cum caritate factis comparentur; et non *meritorie*, si ab eo fiant qui nondum sit justificatus.

4. Attritio concepta propter timorem gehennæ ex amore proprio oritur.—Ergo est mala.

Resp. *Dist. ant.*—Ex amore proprie ordinato *C.* Inordinato *N.*—In ea attritione habentur desiderium vitandi gehennam, detestatio peccati, ordinatio hujus detestationis ad gehennam vitandam; quæ omnia, ut demonstravimus, rectæ rationi et voluntati divinæ conformia sunt.

5. Actus attritionis ex gehennæ metu hanc includit voluntatem conditionatam: Si peccato non esset pœna imposita, illud non detestarer.—Atqui voluntas hæc est mala.—Ergo actus attritionis, qui hanc voluntatem involvit, malus est.

Resp. *N. maj.*—Voluntas enim hæc peccandi conditionata neque *explicite*, neque *implicite* habetur in attritione, de qua agitur:—immo *virtualiter saltem* ab hac attritione *excluditur;* nam si ille, qui ex motivo pœnarum attritionem concipit, voluntatem peccandi conditionatam haberet, ut in objectione asseritur, eo ipso peccatum committeret, et pœnæ reus efficeretur, quam efficaciter vult vitare; ideoque voluntatem haberet eodem momento, immo ipso actu, repugnantem voluntati efficaci qua elicit actum attritionis. Id autem asserere, prorsus est absurdum.

6. Qui odit peccatum propter gehennam, magis odit gehennam quam

peccatum; nam ut fert axioma: "Propter quod unumquodque tale et illud magis." Atqui hoc est inordinatum. Ergo.

Resp. *N. Māj.*—In actu enim detestationis peccati propter infernum, nulla comparatio *vi actus* fit inter peccatum et infernum; sed peccatum detestatur propter infernum, tamquam finem proximum, quin excludatur aliud motivum magis detestandi peccatum quam infernum, a quo motivo vi actus fit præcisio.—Axioma vulgare, quod citatur, solummodo applicari posset si actus ille detestationis peccati propter pœnam, excluderet *vi sua* omne aliud motivum quo peccatum detestari posset:—nam axioma citatum intelligi debet de causa a qua effectus ita per se dependet, ut nequeat habere formam aut denominationem suam ab alia causa.—Servus diligit dominum suum propter cibum, nec ideo magis cibum diligit quam dominum; justi diligunt Deum propter retributionem, sed non ex hoc sequitur quod magis retributionem quam Deum diligant.

7. Attritus magis movetur a malo gehennæ, quam peccati; ergo pluris facit malum gehennæ.

Resp. *N. seq.*—Summa et sempiterna miseria majorem vim habet percellendi animum hominis sordibus peccatorum assueti, quam fœditas peccati. Hinc Deus a pœnarum metu solet incipere, dum peccatorem ad resipiscendum inducit, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6.; et S. Augustinus Tract. 9. in Ep. Jo. n. 4.: "Si nullus," inquit, "timor, non est qua intret caritas."

8. Qui ex metu agit, retinet affectum ad contrarium, quia agit *involuntarie secundum quid.*—Ergo qui a peccato desistit ex metu gehennæ, affectum retinet ad peccandum.

Resp. *Dist. Ant.*—Qui ex metu agit retinet affectum ad contrarium, et involuntarie secundum quid agit, si affectus ad oppositum non obstat fini intento per actum ex metu elicitum *C.* Secus *N.* et *N. Conseq.*—Metus pœnæ ab hominibus infligendæ, per se solum continet hominem ab exteriori actu cupabili, quia si hic non committitur pœna vitatur, etiamsi interno affectu homo consensum culpæ dederit: at metus pœnæ a Deo infligendæ corrigit etiam interiorem affectum, quia hunc Deus intime scrutatur et punit.

9. Non potest aliquid perfecte odio haberi, cujus contrarium non prius diligatur; ergo nec potest quis sincere odisse peccatum, nisi ex

amore justitiæ: ergo odium peccati ex timore pœnæ non est bonum ac sincerum.

Resp. *Dist. Ant.*—Non potest quid odio haberi, cujus contrarium non diligatur, si propter se et ex motivo proprio odio habetur *C.* Si odio habetur propter aliud ex motivo communi *N.*—Si oderim cibum suavem, qui valetudini obest, non opus est, ut ante amaverim cibum amarum; sed sufficit, omnia odisse, quæ valetudini, quam amo, adversantur. Hinc *Dist.* 1. *seq.*—Si peccatum ex motivo proprio detestatur *C.* Cum detestatur illud ex motivo communi, et ex honestate, quæ peccati turpitudini indirecte opponitur *N.* et *N.* 2. *seq.*—Sane si ex amore Dei peccatum oderim, non prius opus est cujusque virtutis peculiarem honestatem amasse; ergo etiam possum bene et sincere odisse peccata, quia reddunt me perpetuo miserum, qui amo et desidero esse æternum beatus. Quare sufficit ut motiva ejusmodi communia tollant indirecte affectum ad peccata.

ARTICULUS NONUS

De remissione culparum venialium.

Tractationi de efficacitate actuum pœnitentiæ ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium merito tractatio adnectitur quæ spectat peccatorum venialium remissionem: quapropter et nos de iis quæ in hac materia vel certo tenenda sunt, vel libere disputantur, breviter hic dicemus.

1. Et in primis certum est, *remissionem venialis culpæ, sine aliquo auxilio Dei, et solis naturæ viribus, obtineri non posse.*

Id ex Patrum et Conciliorum loquendi modo colligitur; et recte deducitur ex illa petitione Dominicæ orationis, *dimitte nobis debita nostra;* quam vocem esse justorum humilem et veracem declaravit Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 11.

Præterea nihil ad pietatem et ad vitam æternam conferens obtineri potest absque auxilio gratiæ; et hoc etiam de liberatione ab omni malo et a quacumque miseria, quæ salutem impediunt, intelligendum esse Concilium Arausicanum II. statuit can. 14. et 22. Dicit enim can. 14.: "Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia

prævenitur, sicut dicit Psalmista : Cito anticipet nos misericordia tua, Domine. Et illud : 'Deus meus, misericordia ejus præveniet me.'" Et canone 22. : "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via."—Si ergo, ut patet, remissio peccati venialis est liberatio a malo et a miseria ; si remissio illa multum confert ad pietatem et ad vitam æternam ; in dubium revocari nequit eam beneficio gratiæ esse adscribendam.—Quod et ipsa ratio theologia ostendit, cum peccatum veniale aliqualis sit offensa divinæ Majestatis, pro qua solis viribus suis nequit homo satisfacere.

2. *Ad remissionem peccati venialis consequendam necessaria est gratia sanctificans, sive antecedenter, sive concomitanter*, ita ut nullus hanc remissionem consequatur qui non sit justus, vel eodem tempore justificetur.—Ita docent communiter theologi sequentes doctrinam Angelici, quam multis in locis tradidit. Unum sufficiat hic afferre. In 3. p. q. 87. a. 4. ait : "Remissio culpæ cujuscumque nunquam fit nisi per virtutem gratiæ, quia, ut Apostolus dicit, (Rom. IV.) ad gratiam Dei pertinet quod Deus alicui non imputet peccatum ; quod Glossa (interl., sup. illud : *Beatus vir cui non imputavit*, etc.), ibi exponit de veniali. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum veniale ei remittitur." Et in responsione ad 3. : "Peccatum mortale," inquit, "excludit totaliter habitum gratiæ, *sine quo nullum peccatum mortale, vel veniale* remittitur."

Ratio autem ad hanc sententiam demonstrandam ita proponitur. Deus homini nondum justificato non remittit peccatum veniale absque dispositione ex parte hominis ; immo hanc requirit supernaturalem. Porro supernaturalis dispositio in homine nondum justificato, ad remissionem peccati venialis consequendam requisita, esse posset vel contritio vel attritio. Si dicitur esse contritio perfecta, sequitur remissionem peccati venialis non fieri absque gratia sanctificante; nam, eadem dispositione, contritionis nempe perfectæ, homo justificatur.—Si vero dicitur attritio sola, qua homo extra sacramentum justificari nequit, sufficiens dispositio ut peccator obtineat peccati venialis remissionem ; id facili negotio refutatur. Etenim attritio sola vel ex justitia sufficeret, vel ex Dei liberalitate; et neutrum est admittendum.—Non primum, quia

opus peccatoris non habet coram Deo valorem moralem ad ullam satisfactionem de condigno, ideoque ad remissionem peccati venialis quasi ex justitia obtinendam; quomodo enim qui dignus est ira divina, poterit obligare Deum ex justitia? "Dona iniquorum non probat Altissimus . . . nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis" (Eccles. xxxiv. 23.).—Non secundum, quia ex una parte non probatur promissio a Deo facta remissionis peccati venialis concedendæ peccatori attrito; et ex alia parte, manifestum est illum indignum esse hoc beneficio, qui in peccato permanet et non detestatur offensam Dei propter ipsum. "Sicut inter homines," ait Suarez (disp. 11. sect. 2. n. 5.), "subditus qui regi fecisset gravissimam injuriam, et alias leviores, harum veniam petendo, et nullam satisfactionem pro illa offerendo; nullam veniam consequi mereretur, secundum moralem prudentiam: ita . . . in præsenti dicendum est."

Nec dicatur attritionem supernaturalem de peccato veniali posse *vi sua* peccatum veniale excludere, sicut contritio *vi sua* peccatum mortale excludit; quia sicut peccatum mortale avertit hominem a Deo, ad quem contritio peccatorem convertit; ita peccatum veniale ad objectum creatum convertit cum quadam offensa Dei, absque tamen aversione; et attritio, qua odio habetur istud peccatum ob turpitudinem ejus, directe opponitur conversioni peccati venialis, et de se fertur in Deum:—est igitur perfecta proportio inter contritionem et attritionem, et sicut illa expellit mortale peccatum, ita hæc veniale peccatum expellere potest.

Respondemus ipsam contritionem non expellere peccatum mortale vi sua, et per se, ut causam formalem; ac proinde nec attritionem posse peccatum veniale ita excludere. Venialis culpa liberaliter a Deo remitti debet peccatori, et Deus hanc remissionem non promisit homini nondum justificato, qui ejusdem remissionis prorsus est indignus.

Verum tamen ex alio capite difficultas adversum doctrinam quam proposuimus oriri posset. Ex ea enim sequi videtur peccatum veniale non dimissum æterna pœna in inferno puniri: et hoc consectarium videtur falsum.—Sequela patet, quia illa culpa venialis perpetuo manebit, cum culpa mortalis non auferatur, sine qua venialis auferri non potest; et manente culpa, manebit debitum pœnæ, ideoque pœna ipsa, quæ sic numquam auferetur et æterna erit.—Consectarium autem videtur fal-

sum 1. quia secus non erit discrimen inter veniale et mortale peccatum, quoad æternitatem pœnæ: nam utriusque pœna erit perpetua, si culpa perpetuo duret: potest autem utraque perpetuo durare: sicut etiam potest auferri, et temporaliter puniri, quod etiam utrique commune est. 2. quia peccatum veniale non fit dignius pœna propter conjunctionem cum mortali: ergo, si de se non est dignum pœna æterna, neque etiam propter conjunctionem cum mortali erit illa dignum; ac proinde non punietur pœna æterna, nam secus puniretur ultra condignum.

Huic difficultati, juxta communiorem sententiam, respondetur concedendo sequelam: "Veniale peccatum," ait S. Thomas (de Malo qu. 7. a. 10.), "cum non sit contra caritatem non meretur pœnam æternam ex specie peccati, nec ex parte inhærentiæ ad subjectum per se loquendo, quia non privat gratia: sed *per accidens fit irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratia; et sic per accidens punitur pœna æterna.*"

Ut vero argumentis mox propositis Suaresius satisfaciat, dicit (disp. 11. sect. n. 13.): "Ad primam impugnationem consequentis, conceditur esse quidem aliquam similitudinem, seu convenientiam inter veniale peccatum et mortale in his omnibus, quæ in objectione adnotantur. Nihilominus est differentia, quia peccatum mortale ex se est æternum, et dignum absolute æterna pœna, quia tollit principium vitæ spiritualis, et avertit ab ultimo fine: peccatum autem veniale per se non est perpetuum, quia non aufert principium vitæ, nec etiam avertit a fine ultimo: et ideo absolute non est dignum pœna æterna, quantum est ex se; meretur tamen puniri quamdiu ablatum non fuerit: et ideo, si ex accidenti contingat nunquam auferri, ex eodem accidente eveniet, ut pœna ejus nunquam finiatur. Unde facilis est responsio ad secundam impugnationem: peccatum enim veniale formaliter loquendo, non fit dignius pœna propter conjunctionem cum mortali, sed est illa occasio quædam impediens personam, seu constituens in statu, in quo non possit a se expellere culpam venialem: ex quo fit, ut dignitas pœnæ, quam culpa venialis secum affert, semper duret, et consequenter ut pœna etiam duret."

Sed adhuc difficultas urgetur ex alio consectario doctrinæ nuper expositæ; nam ex ea etiam sequitur peccatum veniale, si post hanc vitam cum solo peccato originali inveniretur, perpetuum fore quoad culpam,

ac proinde quoad pœnam sensus; ideoque puniri in inferno deberet, quia pœna æterna sensus in nullo alio loco sustinetur.

Multum inter se doctores discrepant ut huic difficultati respondeant. —Quidam consecutionem admittunt, et dicunt in illo casu puniri hominem in inferno. Alii cum Paludano (in 4. dist. 16. q. 1. a. 1.) negant sequelam, ac paritatem rationis; et asserunt eum qui decedit cum peccato originali et sine peccato mortali proprio esse capacem naturalis contritionis, qua fiat Deo gratus *ad bona naturæ habenda et ad mala pœnæ sensus evadenda;* ac proinde per illam contritionem, quæ etiam liberaliter a Deo homini in illo statu constituto conceditur, liberari a culpa veniali, et a pœna huic peccato debita.—Alii statuunt peccatum veniale homini adhuc originali labe coinquinato, quam naturali origine contraxit, non remitti per solam actionem vel pœnam hujus vitæ, sine rigorosa pœna purgatorii, quia ad illud commutationis genus necessaria est gratia. Punietur ergo ille homo pro tali peccato veniali in futura vita pœna ignis, hanc vero non patietur involuntarie, nec impatienter, sed recognoscendo et detestando naturaliter culpam, et voluntarie pœnam acceptando: et ita, per talem pœnam, peccatum veniale tandem purgabitur, et tunc ille qui prius descenderat in purgatorium, ad puerorum limbum transibit.

His opinionibus commemoratis, Suarez proponens sententiam suam, quæ in conclusione a doctrina S. Thomæ non differt, et rationabilior inter omnes videtur, ita (l. c. n. 19.) concludit:—

"Dici potest ad providentiam Dei pertinere ut non permittat in eo statu aliquem decedere; quod certe videtur insinuasse Concilium Florentinum, distincte ac præcise numerando duos status descendentium ad inferna, scilicet, vel in actuali mortali peccato, vel in solo originali. Potestque ita declarari. Nam in primis hoc est consentaneum, moraliter loquendo, rebus ipsis: quia homo carens gratia, et sciens peccare, non potest multo tempore perseverare, quin moraliter peccet. Deinde, si intra illud breve tempus articulus mortis occurrat, tenetur ad Deum converti, et de suo fine ultimo deliberare, et quantum in se est in ordine ad hunc conversionem facere. Nam, esto ad hoc non teneatur statim in principio usus rationis, quando alia necessitas non urget; tamen periculo mortis urgente, semper tenebitur: et ideo, si faciat quod debet, verisimile est fore illuminandum a Deo ut justificetur: si vero non

faciat quod tenetur, jam peccabit mortaliter, et tunc procedet sententia D. Thom. sic limitata. Solum possunt excogitari casus, in quibus hic homo in originali constitutus, postquam venialiter peccavit, repentino eventu moriatur, antequam possit aut converti, aut mortaliter peccare. Et hi casus sunt rarissimi, et facile credi potest Deum illos non permittere, vel ita hominum res et successus disposuisse, ut illi non contingant, quia noluit propter paucos homines, et culpas leves specialem locum, et modum æternæ pœnæ sensibilis destinare. Quod si tandem hoc etiam incertum esse dicatur, fatebimur in hac re solum esse certum, sine gratia, aut beneficio Dei, non posse veniale peccatum tolli; in eo vero casu, non defuturum modum divinæ providentiæ, quo illum hominem vel præveniat, ne in eo statu decedat, nisi velit aliqua dispensatione uti cum his, qui voluntate sua gratiam non amiserunt, neque illam jam recuperare possunt."

3. Ex dictis constat non remitti peccatum veniale quin simul mortale peccatum, si adsit, remittatur; at non ideo concludendum est peccata venialia remitti semper ac mortalia remittuntur, ita ut numquam prima gratia infundatur remittens peccatum mortale, quin omnia peccata venialia deleantur, quæ cum mortali conjuncta erant:—*potest enim contingere ut mortale peccatum remittatur, quin remissa sint venialia omnia; immo ut mortale remittatur, quin ullum peccatum veniale, ex multis quæ homo habeat, remissum maneat.* Id enim pendet ex peccatoris dispositione, qua justificationem obtinet.

Nam si talis est dispositio peccatoris ut dum omnia peccata mortalia detestatur, et de omnibus ab eo commissis dolet, contritio ejus *sive formaliter, sive virtute,* complectatur etiam omnia peccata venialia quæ habet adhuc non remissa, omnia hæc remittentur infusione gratiæ simul cum remissione peccatorum mortalium: etenim dispositio illa quæ sufficit ad obtinendam remissionem peccati mortalis, ad remissionem peccatorum venialium sane sufficiet.—At si contritio ad peccata mortalia solum se extendat, aut ad venialia quædam, et non ad omnia, tunc, etsi gratia sanctificans infundatur, non remittentur peccata venialia de quibus contritio non habetur. Et hujus conclusionis ratio est manifesta:—ad remissionem enim illarum culparum homo nullo modo se disponit, ab illis voluntatem suam non avertit; immo in illis habere adhuc potest, cum contritione, complacentiam, quia potest quis cum venialibus culpis manere in statu gratiæ.

Ceterum, si homo, in gratia jam constitutus, plura peccata venialia habens, et de quibusdam tantum sufficienter dolens; non omnium, sed quorumdam, seu illorum, de quibus dolet, remissionem accipit; a fortiori peccator cum justificationis gratia, non accipiet peccatorum venialium remissionem, quæ contritio ab eo concepta non complectitur.

Quod autem S. Thomas dixerat (3. p. q. 87. a. 2.), nimirum: "Quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur," juxta communem S. Doctoris expositorum sententiam, intelligitur *moraliter loquendo, et secundum ea quæ communiter accidunt.* Qui enim ad Deum convertitur, et peccatum mortale detestatur, non hoc solum, generatim loquendo, odio prosequitur; sed detestatur simul, sive formaliter, sive virtualiter, quædam saltem peccata venialia, scilicet ea quæ vel cum peccato mortali, de quo formaliter dolet, conjuncta sunt, vel ad illud peccatum committendum certo disponunt.

4. Hactenus de remissione peccatorum venialium cum mortalibus: quid autem de remissione peccatorum venialium hominis justi?

Ut per se patet, *peccata venialia justi remittuntur per contritionem perfectam; sed hac ratione ut si contritio sit de omnibus, omnia tollat, secus illa tantum ad quæ se extendit. Similiter per actum caritatis, absque formali actu pœnitentiæ, remittuntur.*—Sane si contritio perfecta, aut caritatis actus valet ad remissionem peccatorum mortalium consequendam, multo magis vim habet ad delendas veniales culpas, ad quas se extendit.

Probabile est peccatum veniale in homine justo remitti per solam attritionem, immo per contrarium propositum, vel per actus aliarum virtutum, qui peccatis illis aliquo modo repugnent et virtualem illorum displicentiam includant.—Hanc sententiam cum S. Thoma multi merito defendunt. Peccata enim venialia sunt offensiones leves si mortalibus comparentur; et incredibile videtur eam dispositionem, seu contritionem perfectam extra sacramentum, requiri ad delendum peccatum veniale, quæ pro mortale requiritur; immo meliorem, nam, ut vidimus, per contritionem perfectam peccatum mortale remittitur, et nihilominus potest cum mortale peccatum veniale non remitti, si contritio qua peccator se disponit ad justificationem ad hoc peccatum non se extendat.—Et præterea, gratia sanctificans, quæ est in homine justo, magnum valorem dat illis actibus, scilicet attritioni et aliis actibus mox declaratis, qui per se ex-

cludunt complacentiam præhabitam in commissione alicujus peccati venialis, et ab eo in posterum committendo voluntatem avertunt.

Ad rem S. Th. (3. p. q. 87. a. 2. ad 3.) : "Sicut in corpore," ait, "contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitæ proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicujus impedientis decorem, puta luti aut pulveris ; ita etiam animæ inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ, sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem."

Defensores sententiæ oppositæ potissime objiciunt peccatum veniale esse sufficientem materiam confessionis in sacramento pœnitentiæ ; ideoque remitti posse virtute clavium et per absolutionem sacerdotis ; quod tamen fieri nequiret si attritio ad illud peccatum tollendum sola sufficeret : attritio enim necessaria est ut digna confessio fiat illius peccati, ac proinde attritio semper illud tolleret ante sacerdotis absolutionem.—Sed huic objectioni optime respondet P. Suarez (disp. 11. sect. 3. n. 18.) : "Non censeo ullum inconveniens, quod peccatum veniale, quando de illo fit confessio, nunquam ita tollatur per absolutionem, quin sit jam prius expulsum per attritionem. Primo quidem, quia satis est, quod aliquando peccata venialia tollantur per absolutionem, nimirum quando tolluntur simul cum mortalibus in homine tantum attrito : nam hic effectus satis ostendit claves per se habere vim ad tollenda peccata venialia, quando dispositio pœnitentis per se sola non sufficit. Unde, quod in homine grato semper supponantur ablata ante absolutionem per condignam satisfactionem, est accidentarium ad virtutem clavium, et non tollit veritatem formæ. Nec vero inde fit, ut confessio talium peccatorum sit superflua, quia, licet non conferat ad majorem certitudinem de remissione ipsorum, sicut confert in mortalibus, et in venialibus, quæ cum illis simul remittuntur ; confert tamen ad pleniorem remissionem quoad pœnam, et, quod caput est, ad specialem gratiam remissivam, imo et de se præservativam obtinendam."

5. *Ex opere operato per susceptionem sacramentorum peccata venialia*

remittuntur; si tamen in suscipiente ad illum effectum consequendum obex non inveniatur. Ut autem obex non adsit, sufficit, juxta Suarez (disp. 12. sect. 1. n. 9.), *ad sacramentum accedere cum desiderio illud suscipiendi et effectum ejus, et sine actuali complacentia peccati venialis.*

Diximus peccată venialia remitti ex opere operato *per susceptionem sacramentorum;* quia, præter sacramenta baptismi, pœnitentiæ et extremæ unctionis,—quæ peccatorum remissionem, ut effectum proprium habent; et hanc remissionem, non ad mortalia tantum limitatam, sed universaliter peccata omnia complectentem, exprimunt in formis *baptizo te* etc., *absolvo te* etc., *indulgeat tibi Deus quidquid . . . . . . deliquisti;*—etiam sacramenta cetera, ut communior sententia fert, ex opere operato, venialia delent.

Et quidem "remitti Eucharistia," ait Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. cap. 53.), "et condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit: quemadmodum etiam (neque enim a proposita similitudine discedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare merito a divo Ambrosio de hoc cœlesti sacramento dictum est: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis."

Reliqua vero sacramenta vivorum remittere venialia peccata Doctores docent, quia si hæc, bona fide suscepta, valent ad peccatum mortale, quod adhuc remissum non fuerat, tollendum; vim etiam profecto habent ad veniales culpas abstergendas:—et consentaneus est hic effectus tum fini omnibus sacramentis communi, nam omnia instituta sunt ad sanctificationem animarum; tum fini uniuscujusque sacramenti proprio, nam huic peccata saltem quædam venialia quodam modo repugnant.

6. Sacramentalibus remissio peccatorum venialium attribui solet:—et sacramentalia, in re præsenti, vocantur actiones vel res quædam sacræ, sequenti versiculo commemoratæ:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Illis igitur quibus remissio peccatorum venialium attribuitur, sunt oratio Dominica, aqua benedicta, panis benedictus, confessio generalis,

eleemosyna, Episcopi vel Abbatis benedictio. His adduntur etiam, oratio in Ecclesia consecrata, tunsio pectoris et sacra unctio.

Sacramentalia ex opere operato veniales culpas remittere quidam docent ; et hunc effectum explicant, vel quia sacramentalia *vi sua* excitant in eo qui iis utitur actum supernaturalem, per quem venialia peccata remittuntur ; — vel quia immediate venialia delent, si adhibeantur ab eo qui attritionem habeat de his venialibus ;—vel quia semper culpas leves delent, si religiose sumantur, absque peccatorum venialium complacentia.

Suarez vero, de Lugo et *alii tenent nullum Sacramentale esse in Ecclesia institutum ad tollendas ex opere operato veniales culpas.*—Et aiunt effectum remissionis peccatorum ideo magis sacramentalibus attribui quam aliis rebus, quia vel ex genere suo, aut ex modo quo homines sacramentalibus utuntur, signa sunt doloris de peccatis commissis, ut tunsio pectoris et confessio generalis ; — vel quia habent quamdam specialem vim impetrandi a Deo remissionem peccatorum, fundatam in aliqua locutione Scripturarum, ut eleemosyna, et oratio Dominica ; vel quia ob orationes Ecclesiæ specialiter impetrant divinum auxilium ad remissionem peccatorum obtinendam, ut est aqua benedicta.

Sed præstat hic, in confirmationem eorum quæ tradidimus, coronidis gratia, referre quod S. Thomas more suo lucidissime docuit.

In 3. p. q. 87. a. 3. quærens : "Utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ et cetera hujusmodi," respondet : "Ad remissionom venialis peccati non requiritur novæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum : uno modo in quantum in eis infunditur gratia : quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est, art. præc. Et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum ; et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum ; nam in oratione dominica petimus : *Dimitte nobis debita nostra.* Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu

reverentiæ in Deum, et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum."

7. Superest ut dicamus de remissione culparum venialium, quæ in homine justo deleta non fuerunt antequam anima ejus a corpore separata fuerit.

Equidem quibusdam theologis asserere placuit justum numquam cum veniali peccato decedere, quia semper cum gratia finali moritur, et per hanc gratiam peccata venialia, quæ in eo adhuc remissa non essent, absque ullo actu ipsius justi, remitterentur.—Sed "hæc opinio," ait S. Thomas (in 4. dist. 21. a. 3. sol. 1.), "omnino irrationalis est."—Gratia enim finalis nihil addit gratiæ quæ toto tempore vitæ homini largita fuit, nisi quod ultimo in hac vita tribuatur ei, et cum ejus morte conjuncta sit; sed hoc non dat gratiæ finali ad peccatum veniale delendum efficacitatem:—et si asseritur illam gratiam fuisse institutam quasi remedium contra veniales culpas, quæ in extremo vitæ termino adhuc non deletæ remanerent; assertio hæc cum sit prorsus gratuita et modo loquendi Patrum repugnans, merito rejicitur.

Attamen, si fatendum est animam a corpore separari posse cum gratia et veniali culpa; et si ex una parte indubie constat animam cum peccato veniali ad beatificam visionem admitti non posse; ex alia vero parte certum est eum qui in gratia perseveravit usque ad mortem et cum veniali peccato decessit, Deum esse aliquando visurum; ideoque peccati venialis aliquando remissionem accepturum;—quæritur quomodo fiet ut culpa venialis, cum qua homo justus decidit, remittatur?

S. Thomas in 4. sent. dist. 21. q. 1. a. 3., huic quæstioni respondet: "Culpa venialis, in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium; quia pœna illa aliqualiter voluntaria, virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem quæ simul cum gratia stare potest." Et ad difficultatem quæ oritur ex eo quod nullum sit meritum post hanc vitam, ad obtinendam veniam pro peccatis, reponit: "post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis; sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viæ aliquo modo; et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius, quantum ad remissionem culpæ venialis."—Eamdem sententiam defendit S. Bonaventura in 4. dist. 21. p. 1. a. 2. q. 1.

Communius vero theologis altera quæstionis propositæ solutio magis arridet; et aiunt *omnia peccata venialia cum quibus homo justus decedit remitti, quoad culpam, in primo instanti separationis animæ a corpore*:—eo enim momento anima statum suum optime cognoscit, expedita omnino est ad operandum, et a Deo efficacissimum auxilium habet juxta mensuram gratiæ suæ; ac proinde sine mora perfectissime tendit in Deum et ab omnibus peccatis venialibus avertitur;—et hic actus sufficit ut omnes culpæ leves, adhuc ei non remissæ, remittantur.

Id vero non impedit quominus peccata *vere dicantur remissa in purgatorio*, quia ab illo instanti separationis animæ a corpore, anima purgari incipit; et præsertim quia plena purgatio, scilicet quoad culpam et pœnam, non eo instanti, sed per ignem purgatorii perficietur.

Hanc sententiam ipse Angelicus Doctor proposuit et præelegit in q. 7. de Malo, a. 11.—"Oportet dicere," inquit, "quod venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita."—Et in responsione ad 9. ait: "remissio venialis peccati in purgatorio quantum ad pœnam est ex parte purgatorii, quia homo et patiendo exsolvit quod debet, et ita cessat reatus; sed quantum ad culpam non remittitur per pœnam neque secundum quod actu sustinetur, quia non est meritoria, neque secundum quod recogitatur. Non enim esset motus caritatis quo aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam; sed magis esset motus timoris servilis vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiæ, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum."—Demum in responsione ad 16. declarat sibi probabile videri, animam separatam statim post separationem a corpore actum caritatis elicere, per quem peccati venialis remissionem obtinet.

ARTICULUS DECIMUS

De reviviscentia meritorum.

Opera supernaturalia, ad meritum vitæ æternæ apta, in tres veluti classes a theologis dispescuntur, videlicet in opera *viva, mortua,* et *mortificata.* Opera quæ cum gratia fiunt ab homine in statu gratiæ, *viva* dicuntur; est enim gratia "fons aquæ vivæ" per bona opera "salientis in vitam æternam."—Bona opera, etiam supernaturalia quoad substantiam, si in peccato mortali fiant, *mortua* vocantur; quia, cum ab homine spiritualiter mortuo facta sint, ab initio nullius meriti *de condigno* sunt ad vitam æternam.—Demum opera bona in statu gratiæ peracta ab eo qui postea mortale peccatum admisit, *mortificata* nuncupantur; quia in principio viva fuerunt, sed jam nullum meritum vitæ æternæ pro homine, dum in statu peccati manet, habere possunt.

Jam vero quoad hæc *opera mortificata* efficacitatem pœnitentiæ consideramus, et quærimus,—1. an, recuperata gratia a peccatore per pœnitentiam, vivificentur?—2. an, totam vim suam, cum vivificata per justificationem peccatoris fuerint, exerant?

Et quidem circa primam quæstionem unanimiter sentiunt Theologi —sed magnopere inter se dissident quoad secundam.

Prima opinio fert, pœnitenti ex meritis præcedentibus *accidentale* dumtaxat *præmium* obventurum, scilicet de illis in cœlo gaudium:— et ita docent Thomistæ præsertim antiquiores.

Secunda sententia tenet merita per peccatum mortificata reviviscere ad *præmium gloriæ essentiale,* sed non distinctum ab eo quod debetur juxta dispositionem qua homo a peccato resurgit; ita ut qui justificatur acquirat jus ad essentialem beatitudinem, non modo ratione præsentis dispositionis, sed etiam propter merita quæ reviviscunt; ideoque *idem sane præmium accipiet, sed duplici titulo.* Hanc sententiam tuentur Bannes, Sylvius, Contensonius.

Tertia sententia docet merita sic reviviscere secundum præsentem hominis qui justificatur dispositionem, ut, præter id quod juxta hanc dispositionem debetur, *aliquid amplius ad præmium essentiale conferatur*

ratione priorum meritorum : et hoc defendunt Alvarez, Ledesma, Gonet, cum aliis.—Sed hæc etiam sententia dupliciter a suis defensoribus declaratur. "Prima et communior," ait Billuart (t. 18. de Pœnit. diss. 3. a. 5. § 2.), "explicatio est quod si is, qui habebat prius merita ad decem, resurgat per actum contritionis ad duo, habebit jus ad gloriam ad quatuor gradus; quorum duo respondent præsenti dispositioni, alii duo præcedentibus meritis mortificatis. — Altera explicatio est Dominici Soto qui dicit quod ille qui resurgit summo conatu et in perfecta pœnitentia, recuperat omnem gratiam a qua ceciderat: Quia, inquit, si contritio est dispositio ad vivificationem operum, fit, ut optima quæ esse pótest, in integrum illa restituat; nam sicut posita dispositione, ponitur effectus, sic posita summa, ponitur summus effectus. Unde si contritio deficit ab illa summa, in ea proportione qua ab ea distat, restituitur antiqua gratia, ut si contritio est medietas summæ, restituitur medietas gratiæ, si fuerit quarta pars, restituetur ei quarta pars gratiæ pristinæ." —Et hæc explicatio, addit Billuart, "satis arridet."

Quarta sententia principalis affirmat merita integre redire quoad totum præmium, ita ut, supra gratiam dispositionis propriam, ad eam gratiam et gloriam hominem perducant ad quam perductura essent, si numquam impedita fuissent per peccatum.—Hanc sententiam, quam Magister Sententiarum, B. Albertus Magnus, Scotus, et alii multi inter antiquiores secuti sunt; quamque Suarez, de Lugo, Coninck, de Ripalda, Becanus, Viva propugnant, libenti animo amplectimur, et in thesi sequenti statuere ac pro modulo nostro validis undique collectis argumentis communire, conabimur. Et sane, ut verbis Suaresii utar (opusc. 5. de Meritis mortif. et per Pœnit. reparatis, initio): "Si ea est pœnitentiæ vis, ut non solum in eo statu hominem iterum constituat, in quo et placare Deum, et nova merita coram eo inchoare possit; sed etiam prioribus veluti novam vitam et vigorem reddat, ut apud Deum eumdem valorem idemque præmium habeant; profecto magna est virtutis pœnitentiæ laudatio, præclara divinæ misericordiæ ac justitiæ commendatio, sanguinis et meritorum Christi exaltatio eximia, atque incredibilis fragilium miserorumque hominum consolatio."

Sit igitur

THESIS IX.

Homini a peccato resurgenti per pœnitentiam merita pristina et omnia bona supernaturalia, perinde ac si numquam peccasset, restituuntur.

Hæc thesis duas partes complectitur, quarum una spectat meritorum reviviscentiam, altera modum hujus reviviscentiæ.

Prima pars, in qua defendimus opera meritoria, peccato mortificata, homini per pœnitentiam justificato reviviscere,

Prob. 1. *Ex Scripturis.* Optimum pro re nostra testimonium habetur in Epistola ad Galatas III. Etenim initio illius capitis (ver. 1–3.) Apostolus Galatas, quod abduci se permiserint a veritate Evangelii, his verbis reprehendit et increpat: "O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? . . . Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?" Et statim revocat eos a sultitia et perditione, commemorando ea quæ pro fide Christiana perpessi fuerant, ne opera eorum bona, ex subsequenti peccato, reddantur eis inutilia. "Tanta," inquit (vers. 4.), "passi estis sine causa?" idest: Ergone tam multa et gravia pro Christi nomine sine ullo fructu passi estis?—Sed addit "*si tamen sine causa,*" quasi corrigens illud, quod absolute dixerat "sine causa;" et significans se meliora pro eis sperare, nimirum ut ad meliorem frugem convertantur; tunc enim *non sine* causa, idest, non sine emolumento et fructu erunt omnia quæ pro Christo Jesu passi fuerant.—Itaque Apostolus hic ostendit opera salutaria, subsequente peccato mortificari, seu infructuosa reddi illis qui ea fecerint, si pœnitentia non sequatur; sed hæc eadem opera per pœnitentiam rursum vivificari et fructum reddere. Hæc interpretatio, quæ ex verbis Apostoli clare deducitur, mox ex interpretatione Patrum corroborabitur.

Nec immerito ad thesim demonstrandum adducitur etiam illud Joel. (II. 25.): "Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo et eruca:"—nam ibi Deus postquam Israelitas adhortatus fuerat ad pœnitentiam, hujus pœnitentiæ fructum sub imagine temporalis abundantiæ eis proponit: et in verbis citatis significat se pœnitentibus fructum bonorum operum, quæ jam peccato mortificata fuerant, redditurum.—Testem habemus Doctorem in interpretandis Scripturis maxi-

mum : sic enim in textum Joelis loquitur S. Hieronymus (in Joël. II. 22. seqq.) : "Et annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando *opera vestra* locusta, bruchus, rubigo, erucaque consumpserant, *Deus vobis periri non passus est.* Tunc comedetis fructus justitiæ et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia. Si autem post pœnitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans pœnitentiam, et *reformari posse peccatores in pristinum statum si digna fecerint opera pœnitentiæ?*"

Tertio citamus verba Pauli in Epistola ad Hebræos, VI., ubi de illis loquitur, qui postquam baptismum susceperint prolapsi fuerant in peccatum : illos difficultate conversionis et veniæ deterret, et prosequitur : (ver. 9. 10.) "Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti : tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis."—Porro his verbis : "non injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri," contendimus Paulum reviviscentiam bonorum operum commemorasse. Et sane si contextum attendimus apparebit Paulum voluisse dare animum et in spem erigere eos quibus declaraverat aliam renovationem baptismalem lapsis, post susceptionem baptismi, fore impossibilem ; ac proinde in verbis allatis Apostolum, ad consolationem eorum, significasse impossibile non esse per pœnitentiam, etiam post baptismum aliquo modo, immo magna ex parte, renovari, recuperando nempe non solum amissam justitiam, sed etiam fructus ejus.—Hinc sensus illorum verborum est : ne putetis, ex eo quod dixerim (ver. 4. 6.) "impossibile est eos qui semel sunt illuminati . . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam ;" peccatores amisisse omnia bona opera, quæ dum erant in gratia fecerant, et numquam posse in pristinum statum per pœnitentiam renovari ;—nam licet per pœnitentiam non possit renovatio fieri quæ habetur per baptismum, magna tamen renovatio fit, quandoquidem Deus non obliviscitur bonorum operum quæ ante peccatum in gratia facta fuerant, sed ea quoad fructum et meritum restituit homini pœnitenti.

"Sed quid est, interrogat Suarez (Opusc. cit. s. 1. n. 26.),—proponens sibi objectionem, in qua maxime innituntur adversarii nostri, dum asserunt Apostolum non alloqui eos, qui in peccato mortali post baptismum

commisso versabantur; et verba ejus non spectare bona opera per subsequens peccatum mortificata, sed opera salutaria quæ fiebant a justis, quos Paulus alloquebatur;—"quid est quod Paulus non tantum præterita opera, sed etiam præsentia commemorat dicens, '*Administrastis, et administratis*,' cum præsentia opera, si illi in peccato mortali erant, præmium justitiæ non mererentur?"

Et difficultatem propositam egregie solvit eximius doctor. "Duobus vel tribus modis," inquit, "respondere possumus. Primus est, Paulum scribere ad totum populum Hebræorum, in quo, ut supra dicebamus, licet multi essent peccatores, et lapsi post baptismum, tamen multi etiam esse poterant justi, quorum opera etiam tunc meritoria erant de condigno; ut ergo utrorumque merita commemoret, et utrosque alliciat, utrorumque operum, præteritorum et præsentium, mentionem facit; ut per hoc etiam indicet, sicut ad justitiam Dei pertinet præmiare præsentia opera justorum, ita etiam præterita, si impedimentum peccati sublatum sit."

"Altera responsio est, admittendo Paulum loqui etiam de præsentibus operibus caritatis extra gratiam factis, non quia illis deberetur præmium de condigno, ita ut esset injustus Deus illa non præmiando; sed solum ut illorum commemoratio facta magis eos excitet ad resurgendum a peccato, dicens talium operum etiam Deum non omnino oblivisci, quin oratione eorum sæpe conferat majora subsidia ad resurgendum a peccato."

"Denique addere possumus Paulum quidem animare illis verbis lapsos post baptismum, non tamen oportere ut omnes illi in statu peccati permanerent; fortasse enim multi jam resurrexerant, et justitiæ opera exercebant, propter quos dicere poterat, *Ministrastis, et ministratis*, ut non solum de præsentibus, sed etiam de præteritis remunerationem sperarent."

Veram esse intelligentiam testimonii ad Heb. VI., quam proposuimus, sat clare ostendunt etiam Concilii Tridentini verba in sess. 6. c. 16.: sic enim habent: "Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: 'Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino: non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius."

Non sine consilio Tridentina Synodus monuit, ut recte hic adnotat P. Ripalda (de Ente sup. disput. 91. sect. 1. num. 8.) Apostoli verba, de quibus loquimur, proponenda esse iis etiam justificatis, qui amissam gratiam recuperaverint. Sane id fecit ut significaret, sermonem esse de meritis etiam mortificatis: nam si Concilium ageret de solis meritis factis post ultimam justificationem, non oporteret de illis justificatis, qui gratiam amissam recuperaverunt, specialem habere mentionem, cum nihil peculiare eis conveniat ab aliis justificatis diversum, comparatione eorum meritorum. Quia tamen quoad merita mortificata erat peculiaris difficultas, ideo illorum, qui post peccatum revocaverunt se in statum gratiæ, specialiter meminit, ut eos etiam, Apostoli verbis, in spem futuræ mercedis erigeret.

Nec obstat, cum solis justis agere Tridentinum, et eos ad bene operandum hortari; in eumque finem tantum testimonium Pauli adducere, ut nullus justus, etiamsi aliquando ceciderit, bene operari desinat, quasi credens, se non fore præmio afficiendum. Nam licet cum solis justis sermonem habeat, eosque ad bene operandum hortetur, non incongrue utitur, sensu declarato, verborum Pauli;—tum quia si Deus compensat mercede opera interrupta peccato, certius ea compensabit, quæ nullo peccato fuerint interrupta;—tum quia Concilium Tridentinum alloquitur justos, lapsui, et peccato obnoxios, qui a bonis operibus retardari poterant, si arbitrarentur, sequenti peccato frustrari eorum valorem, quamvis ad justitiam iterum ipsi redirent. Quare ad ea peragenda stimulat, proponens cum Apostolo Deum etiam bonorum operum, quæ peccato mortificata fuerant, reminisci.

Nec credibile est, ideo solum justificatorum, qui gratiam amissam restaurarunt, peculiariter meminisse, quia putare poterant se præmio frustrandos propter peccata jam dimissa. Nam cum hac de re nullus fuerit hæreticorum error, nec rationabilis possit esse Catholicorum dubitatio, indignum sane esset, prævia cautione, et consilio accurato, in eum finem Apostoli verba dirigere. Quia igitur rationabiliter erat dubitatio de mercede operibus mortificatis præstanda, dignius Tridentino fuit, etiam illis operibus mercedem adscribere, et eo justificatos ad bene operandum alacriter provocare.

2. *Ex Patribus* reviviscentia bonorum operum statuitur. Et Traditionis documenta in tres classes dividimus:—primo testimonia Patrum

referimus quæ firmant thesim nostram cum interpretantur locum Pauli ad Galatas III., superius citatum ;—secundo ea quæ declarant sensum alterius textus in Epistola ad Hebræos ;—tertio ea quæ alia occasione a Patribus prolata fuerant.

Ad 1^{am} classem quod attinet, hæc ad exemplum valeant:

S. Hieronymus in ver. 4. cap. 3. ad Galatas: "Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa," ait (Com. in Ep. ad Gal. lib. 1. cap. 2.): "Melius sic intelligi potest, quod primum credentes Galatæ in Crucifixum, et a Judæis, et a gentibus opprobria multa perpessi sint, persecutiones non minimas sustinuerint. Quas frustra arguuntur fuisse perpessi, si a gratia Christi recedant, propter quam tanta perpessi sunt. Simul et illa spes, quod quicunque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur."

S. Jo. Chry. eadem verba Pauli ad Gal. exponens (Com. in c. 3. Ep. ad Gal.) inquit: "Hoc multo acrius vulnerat quam illud prius... Omnium, ait, illorum quæ sustinuistis isti [scilicet, qui vos a recto veritatis tramite averterunt] jacturam vos facere volunt, et coronam vobis student intervertere"—idest jacturam cupiunt præteritorum meritorum vestrorum, et gloriæ quam meruistis.—Et continuo addit: "Mox, ne concuteret illorum animos, nervosque dissolveret . . . . . subtexuit, *si tamen frustra*. Si volueritis, inquit, expergisci, ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis."

Theodoretus (in l. c.) hæc habet: "Eos [Paulus] deflet, ut qui collectas divitias perdiderint. Quisnam inquit, invidus et fascinator dæmon admirabiles vobis opes eripuit? . . . 'Tanta passi estis sine causa?' Non enim pro lege sed pro Christo passi estis. Qui autem Christum reliquistis, et vitæ ex lege institutionem amplexi estis, nihil ex passionibus deinceps lucri facitis. Sed bonam eis spem ostendens, subjunxit: '*Si tamen sine causa.*' Si enim vultis manere in gratia, pro vestris perpessionibus mercedem accipietis."

Venerabilis Herveus Burgidolensis (Migne, tom. 181. p. 1151.) ait: "Cum Spiritu Sancto cœperitis vel spiritualiter vivere, vel legem spiritaliter intelligere, nunc carne, id est vel carnali vita, vel lege carnaliter intellecta, consummamini, id est annihilamini, amittendo quidquid

habuistis. Et ideo sine causa, id est, sine utilitate vestra, passi estis ab adversariis tanta, id est tam magna et tam multa adversa pro fide tuenda, quam nunc sponte reliquistis. Non tamen affirmando hæc dico, ne in desperationem cadatis, et adhuc profundius in barathrum perditionis demergamini; sed quia utrumque est in voluntate vestra, dico conditionabiliter, quod tanta adversa pro Christo passi estis sine causa, *si tamen sine causa* hæc passi estis. Sine causa enim passi estis, si in hoc errore perseveretis; non sine causa, si resipiscatis."

Quoad 2^{am} classem testimoniorum, citamus sequentia :—

S. Epiphanius, postquam veram significationem exposuerat verborum Pauli quæ leguntur initio capitis 6. Epistolæ ad Hebræos, addit (Hæres. 59. num. 2.): "Verum horum omnium remedium statim Apostolus subjicit. . . . Ait itaque '*Confidimus autem de vobis, carissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.*' In quo vides quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluserit, quos peccati sui pœniteret; sed et saluti propinquos esse dixerit, et Deum recte ab iis factorum esse susceptorem, qui delictorum suorum absolutam pœnitentiam capesserent, seque adeo converterent, animumque mutarent."

Primasius Adrumetanus (in Ep. ad Hebr. VI., Migne t. 68. p. 722.) dicit: "Quia non habuit [Paulus] unde ad præsens laudaret, laudat eos de spe futurorum, quam habebat de illis, quasi diceret . . . quod superius diximus de reproba terra et combustioni proxima, non de vobis hoc diximus, quia meliora de vobis credimus; reduxit quoque eis præterita bona illorum in memoriam, quatenus ex præteritis posset adducere ad bona quæque. Ideoque subjunxit: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ejus.* Ecce quomodo recreavit animos eorum et confortavit, præterita bona opera ad mentem revocans. Quia in omnipotentem Dominum oblivio non cadit, ideo non obliviscitur operum et laborum fidelium suorum. Et in hoc est justus, quia remunerat electos suos pro se laborantes: si enim oblivisceretur operum illorum, nec eos remuneraret, utcumque injustus putaretur, quod omnino nefas est dicere."

B. Alcuinus (exp. in Ep. ad Hebr. VI. 10.) inquit: "Ecce quomodo recreavit animas eorum, et confortavit, antiqua eis in mentem revocans :

tunc fecit eos, ut non æstimarent oblivisci Deum, et præterita ejus beneficia in eos. . . . . Simile quid Galatis improperat dicens: *Currebatis bene: quis vos fascinavit* (Gal. v. 7.)? Atque iterum: *Tanta enim passi estis sine causa* (Ibid. III. 4.): ut præsens mitigaret eamdem sententiam, mox subjunxit: si tamen *sine causa.* Sic etiam hoc loco temperavit sententiam suam dicens: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, dum tantam caritatem ostendistis in sanctis.*"

Quare Glossa Ordin. receptam in Ecclesia interpretationem hujus textus referebat, cum in citata verba Pauli adnotabat: "Quia de præsenti non habet unde laudet, de spe futurorum attollit, ad quæ per præterita allicit, et facit eos existimare Deum non oblitum bonorum quæ fecerunt."

Ex eadem communiori interpretatione Hugo Cardinalis (in h. loc.) aperte scribebat, loquens in persona Pauli: "Ideo de vobis confidimus, quia multa bona operati estis, quæ reviviscent, si pœnitueritis de malis." —Et S. Thomas in cap. 6. Epistola ad Heb. (lect. 3.) abque ulla dubitatione doctrinam de reviviscentia meritorum statuebat inquiens: "Dicendum est, quod homo qui cadit post gratiam, dupliciter potest se habere. Uno modo quod in malo perseveret; et tunc Deus omnes justitias ejus obliviscitur: Alio modo quod pœniteat; et tunc bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur sibi ad meritum: unde dicit Glossa, quod mortificata reviviscunt."

Pro 3ª classe testimoniorum, ne nimius sim, sententias duorum tantum Ecclesiæ Doctorum referam.

S. Ambrosius (in Lucam, l. 2. n. 33.) ait: "Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit."—Et S. Joannes Chrysostomus, exhortans Theodorum lapsum ad pœnitendum, ei parabolam de filio prodigo in mentem revocat, et adnotat (ad Theod. laps. 1. nu. 7.): "hic non alienus erat, imo filius, fraterque filii qui patri acceptus erat; is in improbitatem lapsus est non vulgarem, sed in ipsum, ut ita dicam, malorum extremum; dives liber, nobilis, famulis, extraneis mercenariisque miserior effectus est. Attamen pristinum in statum rediit, amissamque gloriam recuperavit... quia resipuit, non desperavit, post tantam corruptionem, *eumdem ipsum assecutus fortunæ splendorem*, pulcherrimo induitur amictu, *et majoribus fruitur bonis, quam frater non lapsus.* . . . Tanta est virtus pœnitentiæ!"

3. Denique *rationes theologicæ* admittendam esse meritorum reviviscentiam indubie ostendunt.

Et prima ratio desumitur ex conditionibus quæ in opere bono requiruntur ut æternæ gloriæ meritorium sit. Etenim Concilium Tridentinum, sess. 6. canone 32. definivit: "Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit."

Jam vero ex hac Concilii definitione constat tres tantum conditiones necessarias esse ut opus aliquod vitam æternam promereatur, et tandem suo tempore consequatur: primam, ut sit opus supernaturale,—"*per Dei gratiam et Jesu Christi meritum,*" peractum: secundam, ut sit ab homine justificato elicitum,—"*ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo fiunt, vere mereri:*" tertiam, ut is homo in statu gratiæ moriatur,—"*si tamen in gratia decesserit.*"—Atqui operibus peccato interruptis hæ omnes conditiones competere possunt; nam justi ex auxilio gratiæ illa opera ediderunt; et post lapsum iterum justificati, in statu gratiæ decedere possunt.—Ergo ea opera æternam gloriam suo tempore consequendam vere promereri possunt:—ac proinde, etiamsi per peccatum mortificata fuerint, per justificationem tamen peccatoris, ad meritum reviviscunt, et ad vitæ æternæ præmium consequendum.

Et Doctores adnotant Concilium consulto in definitione mox citata, qua conditiones ad meritum requisitas determinavit, non hanc adjecisse clausulam "si tamen gratiam semel acceptam perpetuo conservaverint;" sed illam "si tamen in gratia decesserint." Nimirum quia justis, ut suis meritis consequantur gloriæ præmium, nihil amplius deesse credendum est, quam ut in gratia decedant. Quod in eis post merita peccato mortificata, verificari poterat, nempe si gratiam amissam recuperassent.

Secunda ratio desumitur ex bonitate operum quæ facta fuerunt in gratia, et deinde per peccatum mortificata. Nam, ea quæ manent in acceptatione divina, et propter obicem, qui supervenit, ad meritum non imputantur; remoto tandem obice, ad meritum imputabuntur.—Atqui

opera bona, quæ cum gratia Dei ab homine justo facta fuerunt, manent semper in divina acceptatione; et nonnisi propter obicem peccati subsequentis ad meritum non imputantur. Ergo, remoto tandem obice per pœnitentiam, illa eadem opera ad meritum imputabuntur; et sic reviviscent.

Hanc rationem desumpsimus ex Divo Thoma, qui in 3. p. q. 89. a. 5. ait: "Quidam dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per pœnitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint. Sed hoc impedire non potest quin vivificentur; non enim habent vim perducendi in vitam æternam (quod pertinet ad eorum vitam) solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt. . . . Sed quod isti qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pænitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea, in vitam æternam, quod est ea reviviscere."

Ut autem melius appareat vis hujus argumenti, præ oculis habeatur optima P. Suarez animadversio. Opus bonum in gratia ab homine justo peractum relinquit in homine jus ad præmium, et manet in Deo quantum ad acceptationem ejusdem operis pro præmio, ipsi operi suo tempore conferendo; quamobrem peccatum superveniens excludit utique *formaliter* jus ad tale præmium, secundum præsentem hominis statum, quia *formaliter* excludit gratiam; sed non potest, ut patet, excludere *formaliter* a divina acceptatione ipsum boni operis meritum.

Quare peccatum subsequens posset a divina acceptatione hoc meritum operis excludere tantum *demeritorie;* et id faceret, si Deus statuisset punire quodcumque peccatum mortale amissione perpetua omnium meritorum præcedentium; tunc enim Deus sub hac conditione acceptare merita justi hominis intelligeretur, nimirum: nisi per peccatum subsequens amittantur.—At Deum sic acceptare merita justorum non demonstratur;

quin immo, ex argumentis supra expositis, contrarium constat: nam Scripturæ et Patres, simpliciter et absolute, præmium vitæ æternæ promittunt justis qui cum gratia operantur; et Concilium Tridentinum declarat nihil aliud requiri ad complementum istius promissionis, seu ad promissi præmii consecutionem, nisi quod in statu gratiæ ii, qui bona ad vitam æternam operati sunt, decedant.

Concludendum est igitur peccatum mortale, quod committitur postquam opera salutaria in statu gratiæ edita fuerant, mortificare quidem hæc opera, et excludere jus in homine, quoadusque in statu peccati maneat, ad præmium his operibus promeritum; sed nullo modo excludere opera illa bona ab acceptatione divina; ideoque non impedire quominus, remoto peccati obice per pœnitentiam, vivificari iterum possint et effectum suum, nempe jus in homine jam justificati ad præmium, et ipsius præmii, statuto tempore, assecutionem, producere valeant.

Denique argumentari licet ex efficacitate ipsa pœnitentiæ;—nam, ut ait S. Bonaventura (in 4. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 3.), "plus potest gratia pœnitentiæ, quam culpa: sed culpa opera viva mortificat: ergo gratia mortificata vivificat."

Secunda pars thesis, in qua defendimus merita et bona omnia supernaturalia homini per pœnitentiam resurgenti, perinde ac si numquam peccasset, restitui, breviter ex demonstratis evinci potest;—ex his enim tum opiniones, quæ a sententia nostra differunt, refutantur; tum doctrina, quam proposuimus, stabilitur.

Et 1.—*nequit dici, pœnitenti ex meritis præcedentibus accidentale tantummodo præmium obventurum, idest de illis in cœlo gaudium;* quia juxta hanc sententiam ipsa meritorum reviviscentia prorsus excluditur.

Etenim merita per peccatum mortificata ideo reviviscunt, quia remoto impedimento peccati, homini justificato restituuntur; et producunt effectum, quem, si impedimentum non supervenisset, produxissent. Atqui, juxta sententiam, quam impugnamus, merita, per peccatum mortificata, remoto per pœnitentiam impedimento, non restituuntur homini justificato; et effectum, quem si peccatum non supervenisset, produxissent, non producunt. Ergo juxta sententiam, quam impugnamus, merita per peccatum mortificata, remoto per pœnitentiam impedimento, non reviviscunt.

Prob. min.—Merita, ab homine justo ante peccatum acquisita, non

conferebant ei jus ad accidentale præmium in cœlo consequendum; sed dabant ei jus ad essentialem beatitudinem, simulque tribuebant supernaturalia bona, quæ cum hoc jure connectuntur.—Ergo cum statuitur, ex illis meritis homini per pœnitentiam justificato jus ad accidentale in cœlo præmium tribui, et non obvenire ei jus ad essentialem beatitudinem, simul cum ceteris supernaturalibus bonis, quæ cum hoc jure connexa sunt; profecto asseritur merita ante peccatum acquisita, et per peccatum mortificata, remoto per pœnitentiam impedimento, homini justificato non restitui, et effectum, quem produxissent, si impedimentum peccati non adfuisset, non producere.

Præterea, de bonis operibus auxilio auctualis gratiæ factis, dum versabatur in statu peccati, homo, si justificatus decedat, gaudebit in gloria; et nihilominus illa bona, quæ mortua a principio fuerant, non dicuntur per pœnitentiam reviviscere. Ergo reviviscentia meritorum explicari nequit secundum accidentale præmium ex ipsis in cœlo percipiendum.

2.—*Admitti non potest sententia quæ docet merita per peccatum mortificata reviviscere ad præmium gloriæ essentiale, sed non distinctum ab eo quod debetur juxta dispositionem qua homo a peccato resurgit;* ita ut per reviviscentiam meritorum homo idem præmium essentiale accipiat duplici titulo.—Hæc sententia, non minus quam præcedens, reviviscentiam meritorum e medio tollit.

Et sane si nihil ratione horum meritorum tribuitur, quod non sit alia de causa dandum; si nihil antiquæ gratiæ per priora merita comparatæ adjiciatur ei quæ actui perfectæ pœnitentiæ respondet, nec majoris gloriæ gradum pœnitens intuitu priorum meritorum accipit; meritorum reviviscentia illusoria erit, quia non *rem aliquam* ex ea pœnitens a peccato resurgens lucrabitur, sed *nullius utilitatis merum titulum.*

3.—*Nec amplectenda est sententia eorum qui tenent ex reviviscentia meritorum, præter id quod debetur juxta dispositionem hominis a peccato resurgentis, aliquid amplius ad essentiale præmium consequendum conferri; sed eidem dispositioni proportionatum.*

Revera si præmium, ex meritis præcedentibus, secundum dispositionem hominis qui justificatur, commensuratur; merita mortificata, proprie loquendo, non reviviscunt; sed potius aliud præmium, intuitu illorum meritorum, de novo confertur.

Præterea Scripturæ testimonia et documenta Patrum, superius citata, sine limitatione dicunt merita ante peccatum acquisita redire homini a peccato per pœnitentiam resurgenti.—Et Tridentina Synodus non dixit aliam conditionem necessariam esse ad obtinendam totam gloriam, quam quis promeruit ex bonis operibus in gratia factis ante peccatum, præter hanc unam, nimirum ut migret ex hac vita in statu gratiæ.

Denique si merita præcedentia non fuissent peccato mortificata, profecto valuissent ad obtinendum totum præmium quod promeruerant:—ergo, concludimus, etiam intercedente peccato, sed per justificationem remisso, valere debent ad obtinendum totum præmium. Et legitima est illatio: nam peccatum superveniens *unicum impedimentum* fuit quominus, dum maneret, totum præmium, quod opera bona præcedentia meruerant, consequi potuerint: ac proinde, hoc impedimento per remissionem peccati ablato, condignitas meritorum ad totum præmium jam promeritum instauratur, perinde ac si impedimentum peccati interpositum non fuisset.

Maneat itaque *homini a peccato resurgenti merita pristina et omnia bona supernaturalia, quæ ante peccatum habebat, semper, ac si non peccasset, plene restitui.*

Difficultates, magna ex parte, vindicatione ipsa thesis præoccupavimus:—alias, quæ declaratione aliqua indigent, hic adjicimus solvimusque.

1. Peccata præcedentia ita abolentur per pœnitentiam ut amplius per subsequentia non reviviscant. Ergo merita per peccatum totaliter extinguuntur, ita ut non redeant iterum per pœnitentiam.

Resp. *N. conseq.*—Non est eadem ratio pro bonis operibus ac pro peccatis: illa per peccatum utique mortificantur, sed in acceptatione Dei perpetuo manent; ideoque possunt iterum, remoto per pœnitentiam impedimento peccati, reviviscere: peccata vero per pœnitentiam penitus delentur et extinguuntur, ut sequenti articulo demonstrabitur.

2. Præmium ex pluribus titulis collatum censetur majus quam si uno tantum titulo conferatur.—Ergo majus præmium erit jus ad eamdem gloriam collatum ex meritis præcedentibus et ex præsenti dispositione.

Resp. *Dist. Ant.*—Si præmium sit morale, ut sunt signa honoris *C.* Si præmium sit reale, idest, in aliqua re consistat, quæ rependitur *N.*—

Cum honor sit alienæ excellentiæ existimatio, et hujus existimationis declaratio sit honorificatio, quam exhibere solemus signo aliquo; existimatio major vel minor, secundum varios titulos excellentiæ quos agnoscimus, unico signo testari potest: sed præmia realia majora et plura nonnisi pactæ mercedis incremento ac multiplicatione exhiberi debent. Quare si militi delinquenti rex placatus residua priorum annorum stipendia promiserit, promissis non satisfaciet si sequenti anni stipendium, titulo etiam priorum, unice solvat; et justam retributionem non daret operario dominus, qui nummo pro hodierno labore ei debito, priores etiam labores ejus compensare vellet.

3. Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 16., dicit eamdem vitam æternam dari justis duplici titulo, scilicet ut hæreditatem filiis et ut mercedem operariis. Ergo idem præmium ex pluribus titulis conferri potest.

Resp. *Dist. Cons.*—Potest idem præmium ex pluribus titulis rependi, si remunerationum tituli sint diversæ rationis *eadem actione* necessario *comprehensi C.* Si sint tituli ejusdem rationis ob diversas actiones quæ præmium exigant N.—Quælibet actio justi, ad vitam æternam consequendam proportionata, necessario continet titulos hæreditatis atque mercedis; et consequenter eadem retributio potest huic duplici titulo respondere:—sed titulus multiplicis mercedis, sicut *plures actiones meritorias* requirit, ita *præmium realiter multiplex, aut saltem secundum se præstantius,* ut est visio Dei perfectior.

4. Omnibus Christi meritis non fuit datum præmium, nisi quod singulis adæquate debebatur. Ergo pluribus actionibus nostris meritoriis potest idem præmium ex pluribus titulis conferri.

Resp. *Neg. Conseq.*—Licet enim, egregie animadvertit hic Suarez (op. de reviv. merit. disp. 2. sect. 1. n. 37.) singula opera Christi "essent dignissima toto illo præmio, quod omnibus simul de facto correspondet, et multo majori in infinitum, de facto tamen non ita fuerunt oblata et ordinata illa opera ad tale præmium per Christi merentis voluntatem, subordinatam etiam in hoc divinæ voluntati ita ordinantis et promittentis præmium; quod factum est, vel ad majorem abundantiam, vel ad majoris caritatis ostensionem, vel etiam ne in ratione meriti, vel satisfactionis viderentur superflua posteriora opera, si priora essent acceptata ad totum præmium absque respectu ad posteriora. Et ideo in Christo

Domino fuit altior modus referendi omnia opera sua ad effectum meriti vel satisfactionis. Nam in primo instanti suæ conceptionis obtulit omnem progressum vitæ suæ usque ad mortem, tanquam unum et integrum meritum suæ mercedis, quam noluit sibi deberi propter singula opera, tanquam propter adæquatos titulos, sed propter collectionem omnium per modum unius, et propter singula, ut concurrentia ad illum unum cumulum integrandum. . . . Atque ita ex Christi exemplo potius excluditur, quam confirmetur, ille modus præmiandi plura merita adæquate et totaliter eodem præmio, præsertim in meritis et præmiis omnino finitis."

5. Juxta Concilium Tridentinum, sess. 6. capit. 7. in justificatione quisque recipit gratiam suæ dispositioni respondentem ; ergo cum dispositione languidiori non potest recipi gratia intensior ante peccatum acquisita.

Resp. *Dist. Ant.*—Juxta Concilium Tridentinum quisque recipit in justificatione gratiam dispositioni præsenti respondentem, et id intelligitur de gratia, quæ in justificatione *per se* infunditur *C.* Quæ infunditur *per accidens N.*—Contritio est causa gratiæ, quæ per se et ratione præsentis justificationis infunditur, et pœnitentiæ fervori, tanquam dispositioni, exæquatur. At intuitu gratiæ ob merita suscitata, contritio non est proprie dispositio, multo minus causa illius; sed tantum conditio, qua impedimentum, seu peccatum, amovetur.

6. Sacramentum valide sed *ficte* susceptum, remoto obice, reviviscit, et effectum suum producit, secundum dispositionem subjecti, cum obex removetur.—Ergo merita, peccato mortificata, reviviscent, secundum præsentem hominis a peccato resurgentis dispositionem.

Resp. *N. Cons.*—Sacramentum enim effectum gratiæ, ratione obicis quo susceptum fuerat, non produxit, et primo incipit, posita subjecti dispositione debita, vim suam exerere: opera vero bona, quæ, peccato mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, jam præmium suum merita et adepta fuerant, quod eis in justificatione restituitur.

7. Si per pœnitentiam omnia bona supernaturalia prius acquisita, restituuntur, præstat peccare, et pœnitere, quam non peccare; eo quod pœnitens a lapsu ditior semper resurgat.

Resp. *N. seq.*—Etenim peccatum eligibile non est, nec per se confert

ad augmentum gratiæ quod habetur post pœnitentiam : immo quantum de se est illud impedit, sicut impedit etiam omne meritum pro tempore quo perdurat, quod est damnum irrparabile.

ARTICULUS UNDECIMUS

De reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum.

Peccata semel dimissa per subsequens peccatum non redire secundum actum, qui transiit, indubium est; redire autem secundum genus vel speciem manifeste apparet :—sed quæritur utrum peccata jam dimissa, alio peccato mortali superveniente, redeant quoad maculam et reatum ; ita ut rursus a Deo, perinde ac si numquam remissa fuissent, imputentur ad mortem æternam et puniantur.

Affirmativum responsum huic quæstioni dederunt nonnulli theologi veteres, quos Magister sententiarum commemorat (4. dist. 22.) :—at omnes alii, cum S. Thoma, contrarium tenent, et docent culpas remissas numquam redire, quantumvis nova peccata multiplicentur.

Juxta hanc doctrinam statuitur

THESIS X.

Nullum peccatum, semel remissum, novo peccato subsequente, redit, nec quoad culpam, nec quoad pœnam.

Prob. thesis, 1.—*Ex Scripturis.* Etenim Sacræ Litteræ passim declarant peccata absolute dimitti a Deo :—ergo peccata, quæ semel remissa fuerant, novo subsequenti peccato, non redeunt, ita ut a Deo iterum ei cui remissa fuerint imputentur et in eo puniantur.—Consequentia patet ; nam ideo peccata remissa, novo subsequente peccato, redirent, quia nonnisi sub hac conditione peccata illa a Deo absoluta essent, scilicet si novum aliquod mortale peccatum in posterum non committatur : quapropter si ex Sacris Litteris constet peccata *non conditionate, sed absolute* remitti a Deo, concludendum erit culpas a Deo semel remissas, novo subsequente peccato iterum non redire.

Antecedens vero apertissimis Scripturarum locis comprobatur: in eis enim multiplicantur locutiones et imagines ad ostendendam remissionem peccatorum a Deo concessam, esse perfectam et absolutam.—Quin referam loca, ubi frequentissime peccata nostra dicuntur *auferri, tolli, deleri, aboleri*, sequentia ad exemplum commemorabo. Apud Isaiam (XXXVIII. 17.) legimus: "Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea."—Et (XLIII. 25.): "Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor."—Et iterum (XLIV. 22.): "Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua."—In Prophetia vero Michææ (VII. 19.): "Miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra."

2. *Ex doctrina Patrum* thesis nostra confirmatur. Inter eos qui pro nobis apertius loquuntur sequentes audiantur:—

Origenes (in Gen. Hom. 13. n. 4.) ait: "Sunt quædam litteræ quas Deus scribit, quædam litteræ quas nos scribimus. Peccati litteras nos scribimus. Audi Apostolum dicentem: 'Delens,' inquit (Col. II. 14.), 'quod adversum nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci suæ.' Istud quidem quod dicit chirographum, peccatorum nostrorum cautio fuit. Unusquisque etenim nostrum, in his quæ delinquit efficitur debitor, et peccati sui litteras scribit. . . . . . Unde constat nostras litteras peccato, litteras autem Dei justitia scribi. Ita enim dicit Apostolus (II. Cor. III. 2–3.): 'Vos enim estis epistola scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.' Habes ergo in te litteras Dei, et litteras Spiritus Sancti. Si vero delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographum. Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi, et ad gràtiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, et in fonte baptismi deletum est. Non rescribas ultra quæ deleta sunt, nec repares, quæ abolita sunt, solas in te serva litteras Dei, sola in te permaneat Scriptura Spiritus Sancti."

S. Ambrosius (de Pœnit. lib. 2. c. 6. n. 40.), hæc clarissima habet: "Bonum Dominum habemus qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocavit dicens: 'Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto, ut judicemur' (Isa. XLIII. 25.) Ego, inquit, *memor non ero: tu autem memor esto*, hoc est: Non

revoco illa, quæcunque delicta donavi tibi, velut quadam oblivione tecta sint: tu autem memor esto. Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correctionem; memor esto, ut scias donatum esse peccatum."

Gelasius Papa, relatus apud Gratianum (dist. 4. de Pœnit. c. 24.): "Divina," inquit, "clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur."—Et S. Prosper (resp. ad obj. 2. Gallor. Migne tom. 51. p. 158.): "Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur."

Nec minus clare Theodoretus (in Mich. VII. 19.) loquitur: "Hoc enim certe admirabile, quod non solum [Deus] ignoscat, sed etiam memoria sua expellat peccata, et tamquam in profundum in oblivionem tradat. Hoc enim explicans, beatus etiam Michæas dixit: 'Demerget peccata nostra, et projicientur in profundum maris omnia peccata nostra.' Quemadmodum enim id quod in profundum maris abjicitur, penitus non exstat: sic, inquit, peccata nostra oblivione funditus obruet."

Et S. Gregorius Magnus (lib. 11. epist. 45.): "Certe," inquit, "maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi. Sic quippe omnes qui in sancto baptismate tinguntur eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis veluti Ægyptii hostes a tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ nos tentationes fatigant, et ad terram viventium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis."

Quædam Sacrarum Scripturarum et Patrum loca declaranda supersunt, quæ prima facie contra thesim, quam stabilivimus, videntur esse.

1. In Evangelio Matth. (XVIII. 23–35.), parabola narratur de rege rationem ineunte cum servis suis, qui postquam remiserit uni debitum

decem millium talentorum, cum audierit eum crudeliter alium conservum coegisse ad solutionem centum denariorum, iratus dixit ei (vv. 32–34.): "Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo opertuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum."—Itaque sicut rex servo, ob crudelitatem erga conservum, revocavit donationem debiti prius factam; ita etiam videtur Deus, ob peccatum subsequens, remissionem priorum peccatorum homini factam revocare, eique peccata, quæ remissa fuerunt, imputare iterum ad culpam et ad mortem æternam.

Resp. *N. Conseq.*—*a*) Ad rectam parabolæ intelligentiam, monitum S. Joannis Chrysostomi (Homil. 48. et 65. in Matth.) servandum est, nimirum, in parabolis præcipue attendendum esse finem a Christo Domino in unaquaque intentum: verba autem, vel non esse semper accommodanda, tanquam pertinentia, ad finem parabolæ; vel non semper afferri ut absolute factum, quod in parabola proponitur, approbetur, sed solum ut per quandam analogiam declaretur id quod intenditur. Quamobrem, parabola citata, non significatur Deum, ob peccatum vindictæ, exigere a nobis debita remissa, quia non oportet quoad omnia accommodare parabolam; sed declaratur Deum maxime habere odio hujusmodi peccatum, et ratione illius provocari, ut amplius hominis non misereatur, sed ab eo rigorose exigat omne debitum, quod in eo invenerit, sive illud contractum sit per ipsummet peccatum non miserendi proximi, sive propter ingratitudinem cum illo conjunctam, sive propter subsequentia peccata, quæ interdum plura multiplicantur, denegante Deo suam misericordiam, et speciale auxilium propter ingratitudinem in ipsum Deum, et crudelitatem in proximum.

b) Præterea, parabola citata non dicitur, regem exegisse a servo idem debitum, quod remiserat, sed absolute: *Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum:*—quod potest intelligi de debito denuo contracto per novam ingratitudinem, et immisericordiam circa conservum suum, quæ etiam in quandam ipsius regis injuriam redundabat. Maxime autem loquitur Scriptura et Christus Dominus de hoc debito tanquam de eodem, quia respectu Dei, secundum substantiam, idem debitum æternæ pœnæ contrahitur, et gehennæ ignis.

2. In Ps. LXXVIII. 8. legitur: "Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum;" et in Psal. CVIII. 14. "In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini."—Ergo Deus peccatorum remissorum recordatur, illaque punit.

Resp. *Neg. Cons.*—Loca enim citata non spectant æternas pœnas, quæ remissæ fuerunt, sed hujus vitæ temporales, quarum executionem Deus quandoque differt.

3. Patres nonnulli docent peccata vetera redire propter malitiam peccatorum, quæ post remissionem priorum acceptam committuntur.—Sic, ex. gr.,

S. Jo. Chrysostomus, Homilia in parabolam de decem millium talentorum debitore (Migne t. 51. p. 1. p. 29.), ait: "Scriptum est, Dei dona esse sine pœnitentia (Rom. II. 29.): "Cur igitur, hic post eductum munus, post progressam benignitatem, reductus est calculus? Propter injuriæ memoriam."—Et paulo post: "Duplex igitur malum pertinax injuriæ memoria, et quod nullam excusationem habeat apud Deum, et quod reliqua peccata jam remissa iterum revocet et contra nos constituat."—Et S. Gregorius Magnus (dialog. lib. 4. c. 60.): "Ex quibus videlicet dictis [Evangelicis] constat, quia si ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur a nobis, quod jam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus."

Resp.—Patres docent peccata vetera redire, non quia redeunt culpa et pœna, quæ absolute et irrovocabiliter remissæ fuerant, sed 1.—quia homo iterum incidit in divinam inimicitiam et amittit gratiam et fit reus pœnæ æternæ, 2.—quia ob ingratitudinem ex numero et enormitate dimissorum antea peccatorum, subsequens peccatum æstimatur gravius:—et inde evenit ut aliquando Deus, novis peccatis offensus, abundatiores gratias subtrahat, ac permittat hominem in peccata, quæ prius remissa habuerat, relabi aut in graviora, et in peccatis pervicaciter induratum interire.

Juxta has declarationes intelligendum esse S. Joan. Chrysostomum, constat ex ipso loco citato. Nam ibi S. Doctor ostendere vult enormitatem malitiæ, quæ in ira contra proximum et crudeli vindicatione injuriarum ab aliis acceptarum continetur; ac proinde ideo affirmat Deum propter hoc peccatum reducere calculum misericordiæ suæ, quia ob ejus malitiam Deus non amplius gratia efficaci hominem a

barathro perditionis retrahit; sed, data sufficienti gratia, quam nemini denegat, sinit ut ille ex culpis suis pereat.

"Hoc peccatum," inquit, "dominum plane exacerbavit. Quid igitur est pejus injuriæ recordatione, cum benignitatem Dei jam depromptam revocet, et quæ non potuerunt efficere alia peccata, hæc efficiat ira adversus proximum?" Quare Homiliam his verbis concludit: "Quocirca audacter dixero, omni peccato istud gravius esse: quinimo non ego hoc dico, sed Christus per parabolam istam istud declaravit. . . . . . Nihil igitur ita studeamus, quam ut ipsi ira vacemus, et nobis infensos reconciliemus: cum illud sciamus nullam nec orationem, nec eleemosynam, nec jejunium, nec participationem mysteriorum, aut aliud quidpiam, si memores offensarum simus, nobis patrocinari posse in illa die: ut contra, si hoc peccatum superemus, etiamsi mille delictis inquinati simus, veniam aliquam consequi nos posse. Nec meus sermo est iste, sed illius qui tunc nos judicaturus est Dei. Quemadmodum hoc in loco pronuntiavit: 'Ita,' inquiens, 'faciet Pater meus, si non remiseritis unusquisque ex cordibus vestris.' Et rursum alibi: 'Si remiseritis hominibus delicta sua, remittet et vobis Pater vester cœlestis' (Matth. XVIII. 35. et VI. 14.)."

Quoad S. Gregorium attinet, nihil aliud pro verborum ejus declaratione addendum est, nisi quod explicatio a nobis data validissime confirmatur ex aperto ejusdem S. Gregorii testimonio, superius ad demonstrationem thesis citato.

4. S. Augustinus (lib. 1. de Bapt. contra Donatistas, c. 12. n. 20.) ait: "Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus docet de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit. . . . . Nec tamen illud quod nondum conservo dimiserat, impedivit dominum ejus, quominus in illo tempore accipiendæ rationis dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput ejus propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuo replicata sunt? Sic non impeditur Baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in ejus cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid supra est solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismo. Deinceps autem reus esse continuo incipit, non solum consequentium, sed etiam præteritorum

dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt."

Resp.—S. Augustinus hic de peccatorum reditu loquitur non quasi ipse eum admiserit, sed pro modo arguendi, data nempe et non concessa sententia quam adversarii, seu Donatistæ, circa illum reditum admittebant.

Quod ut evidens appareat, attendatur contextus. Initio capitis undecimi, ejusdem libri primi, S. Augustinus refert Donatistas Catholicis hanc quæstionem proposuisse, nimirum, utrum peccata dimissa essent per baptismum in parte Donati;—et contra Catholicos sic arguisse: vel hi qui baptizantur in parte Donati peccatorum veniam in baptismo consequuntur, vel non: si prius, ergo Spiritus Sanctus, per quem peccata dimittuntur, est apud Donatistas: si posterius, ergo non est apud eos verum baptisma, quod tamen Catholici verum esse agnoscunt. Respondet dilemmati S. Doctor, statuendo, juxta catholicam fidem, baptismum verum, idest validum, esse, si rite conferatur; sed tamen, ex mala dispositione subjecti, cum obicem peccati invenit, effectu remissionis peccatorum plane frustrari.

Ad hoc, ex confessione ipsa adversariorum, probandum, inquit (c. XI. n. 16.). "His ita resistimus, secundum Scripturas, eos interrogantes, ut quod a nobis quærunt, sibi ipsi respondeant. Quæro enim ut dicant, utrum dimittantur peccata ubi caritas non est." Et deinde (cap. 12. n. 18.). "Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit? dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Eligant quod volunt; utrumlibet elegerint, sufficit nobis. Si dimissa dixerint; quomodo ergo 'Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum' (Sap. I. 5.), si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint non esse dimissa; quæro, si postea fictionem suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si dementissimum est dicere; fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri."

Hic, ut patet, quid S. Augustinus sentiat, exprimit; hic apertissime docet non esse remissionem peccatorum in baptismo concessam ei qui peccati obicem, ex mala voluntate, sacramento opponat.—Sed en responsum, quod Donatistæ dabant huic catholicorum argumentationi:

illud Augustinus referens, mox subjungit (n. 19.): "Si autem dixerint, in illo qui fictus accessit, per sanctam vim tanti sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem ejus redisse continuo: ut Spiritus Sanctus et adfuerit baptizato ut peccata recederent, et perseverantiam fictionis fugerit ut redirent."—Et tunc, data et non concessa hac adversariorum explicatione S. Augustinus addit, nullum ex ea emolumentum adversarios ad tuendum errorem suum capere; nam, "si hoc ergo dixerint," ipse prosequitur, "hoc etiam in eis intelligant fieri, qui extra Ecclesiæ communionem, sed tamen baptismate Ecclesiæ, baptizantur, quod ubicumque fuerit, sanctum est per se ipsum."

Quapropter dum ait (cap. XII. n. 20.): "Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus docet," non affirmat veram esse sententiam quæ asserit peccata semel remissa redire per subsequens peccatum;—non enim, ut ipse acute adnotat, in parabola ex qua exemplum sumebat, agitur nisi de eo qui "non dimiserat conservo suo quod ei debebat, *et sic accesserat ut ei* remitteret dominus;—sed urget peccatorum remissionem non obtineri cum baptismum absque debita dispositione suscipitur; et alludit ad explicationem, quam tradebant adversarii ut declararent quare illa remissio non obtineretur, quam explicationem ipse Augustinus non approbat, sed permittit.—Ceterum in eodem opere (lib. 5. c. XX. n. 30.) apertissime ait: "Si enim de his qui in nos peccaverint dictum est, "Si non dimiseritis peccata hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra' (Matt. VI. 15.): quanto magis fieri non potest ut eis peccata dimittantur, qui fratres a quibus diliguntur oderunt, et in ipso odio baptizantur; quibus tamen postea correctis non rursus baptismus datur, sed ipsa venia, quam tunc accipere non meruerunt, in vera conversione præstatur."

SCHOLION 1. — Diximus peccata semel dimissa, aliquo lato sensu per subsequens peccatum redire, quia istud ob ingratitudinem gravius æstimatur: —at non ideo putandum est reatum, qui ob ingratitudinem sequentis peccati redit, semper esse majorem reatu peccati præcedentis; interdum enim major illo est, interdum minor. Sane si peccatum superveniens secundum speciem suam spectetur, potest malitia ejus esse major vel minor prioris peccati; et hoc contingere potest etiam si spectetur ingratitudo quam involvit.

Audiatur hac in re S. Thomas (3. p. q. 88. a. 3.): "Quidam dixerunt

quod ex peccato sequenti propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum prius dimissorum, super reatum proprium hujus peccati. Sed non hoc est necessarium, quia, sicut supra dictum est, a. 1. huj. quæst., reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum sequens, in quantum sequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, sed in quantum consequitur actum sequentis peccati. Et ideo oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequentis.

Potest autem contingere quod gravitas peccati subsequentis adæquetur gravitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non semper est necesse, sive loquamur de gravitate ejus quam habet ex sua specie (cum quandoque peccatum sequens sit fornicatio simplex, peccata vero præterita fuerunt adulteria vel homicidia, seu sacrilegia); sive etiam loquamur de gravitate quam habet ex ingratitudine annexa. Non enim oportet quod quantitas ingratitudinis sit absolute æqualis quantitati beneficii suscepti, cujus quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum prius dimissorum. Contingit enim quod contra idem beneficium unus est multum ingratus vel secundum intensionem contemptus beneficii, vel secundum gravitatem culpæ contra benefactorem commissæ; alius autem parum, vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit. Sed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii: supposito enim æquali contemptu beneficii, vel offensa benefactoris, tanto erit gravior ingratitudo, quanto beneficium fuit majus.

Unde manifestum est quod non est necesse quod propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum; sed necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura et majora, tanto redeat major reatus per qualecumque sequens mortale peccatum."

Scholion 2.—Ingratitudo sequentis peccati non est speciale peccatum, nisi peccator *in contemptum Dei et suscepti beneficii* peccet. "Ingratitudo peccantis," ait Angelicus Doctor (q. cit. a. 4.), "quandoque est speciale peccatum, quandoque autem non; sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur. . . . . . Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad spe-

ciem ingratitudinis; et hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium aut adulterium, non retrahitur ad hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quædam. Ut autem Augustinus dicit in lib. de Natura et Gratia, capit. 29. non omne peccatum est ex contemptu, et tamen in omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis."

ARTICULUS DUODECIMUS

De necessitate pœnitentiæ.

Pœnitentiam ad remissionem peccatorum obtinendam necessitate medii esse necessariam fatentur omnes Catholici et ex hucusque disputatis luculenter constat:— utrum vero semper actus formalis pœnitentiæ requiratur, an virtualis sufficiat, controvertitur. Scotus, aliique virtualem sufficere censent, plerique Thomistæ putant necessariam omnino esse pœnitentiam formalem.

Mediam inter oppositas sententias defendit P. Suarez, et hanc amplectimur ac tuemur sequenti thesi.

THESIS XI.

Actus formalis pœnitentiæ, per se loquendo, necessarius est ad consequendam remissionem peccati mortalis: sed aliquando, per accidens, potest remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pœnitentiæ, per actum caritatis, qui est pœnitentia virtualis et in voto eam continet.

Prob. 1ma *pars thesis.* 1. *Ex Concilio Tridentino,* quod sessione 6. (cc. 6. 7.) contritionem inter præcipuas dispositiones ad justificationem enumerat; et sessione decimaquarta (c. 4.) aperte docet: "Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius."

2. *Ex Sacris Litteris.* Nam necessitatem pœnitentiæ ostendunt loca

frequenter pro thesibus præcedentibus jam citata, in quibus peccatorum remissio nonnisi sub conditione pœnitentiæ a Deo promittitur.—Adhuc clarius necessariam esse pœnitentiam docent verba Christi (Luc. XIII. 3.): "Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis." Hoc enim tunc agebat Christus ut ex occasione temporalis supplicii quo affecti fuerant Galilæi, "quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum" (l. c. v. 1.), auditores suos, omnesque homines æterni supplicii moneret, tamquam si diceret multo majora et certiora passuros esse supplicia, nisi de peccatis commissis agerent pœnitentiam :—*majora* quidem, quia illi qui occisi fuerant a Pilato temporalia, ipsi æterna passuri essent; *certiora*, quia illi, et non omnes ejusdem culpæ rei, pariter perierunt; ipsi vero omnes pariter, excepto nemine, peribunt.—Et eamdem pœnitentiæ necessitatem demonstrant verba Ecclesiastici (II. 22.): "Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum."

Hæc autem testimonia non de virtuali, sed de formali pœnitentia intelligenda sunt; 1.—quia verba Scripturæ, ut constat, juxta proprium sensum intelligi debent, si nihil obstet; 2.—quia ad significandam hanc propriam pœnitentiæ acceptionem, Scriptura nominat tristitiam, gemitus, tribulationem animæ, contritionem cordis, quæ ad formalem pœnitentiam pertinent; 3.—quia non aliter Scriptura requirit fidem vel caritatem, ac pœnitentiam; ergo sicut illi actus formaliter dicuntur necessarii, ita et pœnitentiæ formalis actus dici necessarius debet.

3. *Ex Patribus* pœnitentiæ formalis necessitas vindicatur.

S. Justinus Martyr (dialogo cum Tryphone, n. 141.) hæc habet: "Si pœnitentiam agant, licet omnibus, quicumque voluerint, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura prædicat his verbis: 'Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum' (Psalm. XXXI. 2.). Id autem hanc vim habet ut, peccatorum pœnitentiam agendo, peccatorum a Deo remissionem accipiat. . . . . Hujus rei testimonium habemus, unum Davidis lapsum propter ipsius gloriationem; quod peccatum ei tum demum remissum est, cum sic flevit et lamentatus est, ut Scriptura testatur. Quod si tali viro remissio non ante concessa est, quam pœnitentiam ageret, sed tum demum cum sic flevit, seque ita gessit magnus ille rex et unctus et propheta; quomodo impuri ac prorsus complorati, nisi lamententur et plangant, spem habere possint non imputaturum eis Dominum peccatum?"

Similiter docent ceteri Patres, ut ex quorumdam illorum sententiis patebit, quas hic, brevitatis causa, pro specimine, solum subjungam.

Sanctus Ambrosius (Epist. 51. ad Theodosium nu. 11.) aït: "Peccatum non tollitur nisi lacrymis et pœnitentia. Nec Angelus potest, nec Archangelus; Dominus ipse, qui solus potest dicere: 'Ego vobiscum sum' (Matt. XXVIII. 20.) si peccaverimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat."—S. Augustinus (in Psal. XXX. En. 1. n. 5.): "Hanc [de peccato commisso] confusionem," inquit, "non formidet Christianus; immo si hanc non habuerit æternam habebit."—S. Joannes Chrysostomus (Hom. 10. in Matth. n. 6.) dicit: "Magna sunt peccata et venia indigna. . . . Attamen licet venia indigna sunt, pœnitentiam agamus et coronis fruemur."—S. Gregorius Magnus (Hom. 20. in Evan.) declarat: "Ventura ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.

4. *Ex Ratione Theologica*, quod defendimus confirmatur.

Nam etsi necessitas actus formalis pœnitentiæ ex Scripturis et ex sensu Ecclesiæ deduci debeat, optimam tamen congruentiam quoad necessitatem illius actus ratio ipsa ostendit, cum eum maxime proportionatum esse ad petendam veniam et ad placandam personam offensam evidenter docet.—Præterea si justitia exigit reparationem juris Dei, quod læsum fuit quando, per peccatum, homo a Deo fine ultimo se avertit et ad creaturam se convertit; ad obtinendam peccati remissionem formalis actus pœnitentiæ merito requiritur, per quem homo formaliter a creatura se avertit et ad Deum se convertit. Et licet homo possit virtualiter ab uno termino se avertere per conversionem ad contrarium, tamen "in actibus animæ," notat Suarez (disp. 9. sect. 1. n. 5.), "perfectiori modo fit hæc conversio et aversio, quando per formales actus ipsa anima accedit ad unum terminum et recedit ab altero."

Demum pœnitentia formalis est medium aptissimum ad vitæ emendationem, quæ per pœnitentiam apprime intenditur.

Prob. 2ª *pars thesis.* Nam ex dictis (aa. 5. et 6.) constat actum caritatis perfectæ tantam sibi vindicare excellentiam et efficacitatem, ut homo a Deo per eum remissionem peccatorum suorum statim obtineat. "Qui diligit me," ait Christus, "diligetur a Patre meo" (Jo. XIV. 21.); et Apostolus Joannes proclamat: "Omnis qui diligit, ex Deo natus est" (I. Joan. IV. 7.):—quare S. Augustinus (Serm. 35. de Prov. c. 3. alias

de diversis 2.) adnotat: "Deus nobis de compendio se offert. Clamat nobis: amate me et habebitis me."

Hanc vero peccatorum remissionem caritatis actu,—qui virtualiter et in voto continet actum pœnitentiæ, ut etiam superius declaratum est,—ab homine peccatore obtineri, quasi per accidens, si non habeat formalem pœnitentiæ actum, eruitur ex demonstratis in prima parte thesis; in qua statuimus necessitate medii actum formalem pœnitentiæ necessarium esse.

Quapropter concludit Suarez (disp. 9. sect. 1. n. 11.) "extra casum naturalis oblivionis, vel inconsiderationis, nunquam remitti peccatum sine formali actu pœnitentiæ. Ita docent omnes, excepto Medina, tract. 1. de Pœnit. q. 12. a. 2., ubi ait, licet homo cogitet de Deo, et peccatis suis, posse pro libertate sua habere actum dilectionis, quem vocat fructuosum, et meritorium, sentiens esse sufficientem ad justificationem. Sed oppositum recte declaravit Corduba l. 1. q. 15. Estque non solum securior, sed etiam verior sententia. Et videtur plane sequi ex assertione prima. Nam, per se loquendo, hoc est medium necessarium ad illum effectum; ergo, quando potest commode adhiberi, non dabitur effectus sine tali medio. At vero, quando homo cogitat actu de suis peccatis, potest facile adhibere remedium pœnitentiæ; et non legitime excusabitur exercendo solum actum amoris, quia amor non impedit peccatorum detestationem, si actu cogitantur: imo ita movet ad illam ut vix homo possit continere dolorem, si vere amat, etiamsi velit; maxime quando intelligit peccata nondum fuisse remissa."

Præterea, ut ipse Suarez adnotat (l. c. nu. 12.), licet absolute possit actus formalis pœnitentiæ, seu doloris et detestationis peccati commissi, ab actu dilectionis erga Deum separari, supposita tamen "voluntate efficaci expellendi culpam, quam formaliter, vel virtute habet, qui vere amat, et supposita necessitate talis medii, et recogitationis peccatorum, non potest separari. . . . . Solum oportet advertere, necessarium esse, ut memoria peccatorum practica sit, id est, ut occurrant tanquam detestanda, et delenda: nam alioqui non repugnat habere hominem cogitationem quasi speculativam de peccato, et habere naturalem inconsiderationem detestationis ejus; ut autem homo moveatur ad exercendum actum, non satis est cogitatio ipsius objecti secundum se, sed necessaria etiam est aliqualis ipsius actus exercendi consideratio. Hanc vero, si

moraliter et regulariter loquamur, semper excitabit amor, si verus est, præsertim si conjunctam habet memoriam divinæ offensionis."

Contra thesim vindicatam objici possent quædam Patrum locutiones. Etenim Patres aliis actibus Christianæ pietatis æque tribuunt remissionem peccatorum, ac pœnitentiæ: Origenes Homilia 2. in Leviticum numerat inter hæc media baptismum, caritatem, martyrium, eleemosynam ex Dan. IV. 24., remissionem injuriarum ex Matt. VI. 14., et correctionem fratris a via mala ex Jac. V. v. ult.; S. Augustinus l. 2. contra Crescon. c. 12. n. 15. addit verbum veritatis; S. Chrysostomus Hom. 4. in 2. ad Cor. submissionem animi, gratiarum actionem in adversis, assiduam precationem: imo Homil. 41. (alias. 42. num. 4.) in Matth. ait: "Sexcentas salutis vias Deus aperuit, si attendere velimus. Animum adhibeamus ergo, et per hæc omnia curemus vulnera, eleemosynam erogantes, iram in eos qui nos læserunt reprimentes, pro omnibus Deo gratias agentes, pro viribus jejunantes, sincero corde precantes, amicos nobis facientes ex mammona iniquitatis. Sic enim poterimus et veniam peccatorum et promissa consequi bona."—Ergo non sola pœnitentia formalis est medium per se requisitum ad peccatorum remissionem.

Resp. — Patres æque ac pœnitentiæ remissionem peccatorum aliis bonis actibus tribuunt tamquam dispositionibus non proximis et immediatis, sed remotis; nam hi actus, si rite usurpantur, movent Deum per modum impetrationis, et meriti congrui, ut det motum perfectæ contritionis, qua peccata remittantur.—Martyrio quidem possunt peccata remitti sine actu contritionis perfectæ; sed non sine prævia peccatorum retractatione actu saltem attritionis, quæ est actus pœnitentiæ, et dispositio sufficiens in adultis ad gratiam baptismi suscipiendam.

ARTICULUS DECIMUSTERTIUS

De tempore pœnitendi.

Ex necessitate medii, qua necessariam esse pœnitentiam modo probavimus, facile deducitur eam necessariam etiam esse necessitate præcepti:—nam sicut homo obligatur ad procurandam sibi ultimi finis et æternæ beatitudinis assecutionem, ita tenetur ad adhibenda media, sine

quibus beatitudinem æternam consequi non potest: ac proinde ex obligatione procurandi propriam salutem, incumbit ei obligatio pœnitentiæ, quæ est necessarium medium ad salutem.

At quandonam hæc obligatio, quæ respondet pœnitentiæ præcepto, urget? Quin loquamur de casibus in quibus *per accidens* tenetur homo ex fine aliquo pœnitentiæ extrinseco elicere actum contritionis, ut cum quis sacramentum est administraturus, aut sacramentum vivorum suscepturus, si confessione prius expiatus non fuerit,—pertinet enim ad Theologiam Moralem illos casus determinare;—quærimus an præceptum pœnitentiæ ad actum contritionis quamprimum post admissum peccatum obliget, idest statim ac peccati commissi cogitatio occurrat, et habeatur sufficiens excitatio cum opportunitate ad pœnitendum?—an pœnitentiam usque ad mortis articulum differre liceat?—an demum, ut contendit Suarez, fideles in articulo mortis ad eliciendum actum perfectæ contritionis teneantur, etiamsi cum attritione cognita confessi fuerint, aut confiteri possint?—Et ad has quæstiones solvendas statuitur

THESIS XII.

Ex præcepto pœnitentiæ peccator ad pœnitentiam agendam statim post peccatum commissum non tenetur, etiamsi continuo id præstandi opportunitas adsit; sed obligatur ne pœnitentiam differat usque ad mortem. In articulo autem mortis ille, qui sacramentum pœnitentiæ suscepit cum attritione cognita, ad contritionem perfectam habendam obligari non videtur.

1ª *pars thesis,* quam contra nonnullos antiquiores ac recentiores theologos, nempe Gulielmum Parisiensem, Thomam de Argentina, Lamy, Collet, cum Suaresio, Lugone, aliisque defendimus,

Probatur 1. *Ex communi sensu fidelium.* Hi enim nec obligationem gravem agnoscunt habendi statim post peccatum commissum contritionem; nec in confessione se accusant, eo quod contritionem illam non habuerint.

Nec dicatur, omissionem pœnitentiæ in eis oriri ex affectu circa peccatum præteritum, ac proinde peccatum esse, et quidem grave. Nam aliud est complacere sibi in peccato præterito, aliud peccatum præteritum non retractare. Illud procedit ex affectu peccati, et est certe novum peccatum, de quo se accusant fideles; — istud communiter procedit ex defectu fervoris ad actum contritionis eliciendum, qui

defectus non semper et necessario arguit approbationem culpabilem et positivam complacentiam circa peccatum præteritum.

2. *Ex consectariis, quæ ex sententia opposita sequerentur.* Etenim juxta hanc sententiam, non solum peccator obligaretur ad pœnitentiam statim post peccatum agendam ; sed ad eam pœnitentiam, quæ sufficiens esset ad obtinendam immediatam cum Deo reconciliationem. Hinc sequeretur *a*)—non excusari a novo peccato mortali, nisi ratione ignorantiæ, eos qui ex timore pœnarum, vel ob aliud motivum quod non esset perfecta caritas erga Deum, peccatum commissum illico detestarentur :— ista enim detestatio peccati esset attritio, quæ ad consequendum extra sacramentum peccatorum veniam sola non sufficit.

b) Sequeretur illum non esse a peccato mortali excusandum, qui ad sacramentum pœnitentiæ vel baptismi accederet cum sola attritione cognita. Et sequela probatur, quia generatim loquendo tempus aliquod intercedit inter conceptum de peccatis dolorem et receptionem sacramenti, quo tempore homo nondum est justificatus ; ideoque, juxta sententiam quam impugnamus, deberet se disponere per contritionem perfectam ad justificationem ; et consequenter peccaret si tempore illo intermedio non eliceret actum contritionis, et cum attritione tantum accederet ad sacramentum suscipiendum.

c) Sequeretur, ut optime adnotat de Lugo (de Pœnit. disp. 7. sect. 11. n. 201.) attritionem ipsam, per se loquendo et seclusa ignorantia, non esse veram, nisi adjunctam habeat contritionem perfectam ; ac proinde non posse, per se loquendo, concipi dolorem verum et utilem de peccatis, qui sit sola attritio pœnitenti cognita. Etenim homo non posset verum propositum habere non peccandi mortaliter, quod in omni vera attritione inveniri debet, si eodem actu violaretur præceptum pro illo tempore obligans ad eliciendum actum contritionis.

Jam vero hæc omnia consectaria falsa esse constat ex his quæ de attritione, articulo octavo, diximus ; et ex communi Ecclesiæ sensu.

3. *Ex natura præcepti pœnitentiæ* clare ostenditur peccatorem non teneri ad pœnitentiam agendam statim ac peccatum mortale admiserit. Et re quidem vera præceptum pœnitentiæ non est negativum, sed affirmativum ; ut tale, non obligat *semper* et *pro semper*, sed *pro debito* et *determinato* tempore. Porro nulla est ratio cogens, qua dicamus tempus debitum pœnitendi esse illud quod post peccatum commissum statim subsequitur.—Ergo.

Probatur autem minor, quia si qua obligatio esset ad pœnitentiam illo tempore agendam, hæc obligatio ex triplici titulo oriri posset, justitiæ, caritatis Dei, aut caritatis propriæ: atqui ex nullo horum capite obligatio statim pœnitendi oritur. Ergo.

Et hæc ultima minor 1.—*quoad titulum justitiæ* evincitur. Etenim lex, ut affirmativa est, ex se non obligat statim; ut vero est negativa, solum obligat post factam primam injuriam, ut non addatur altera, neque illa prior augeatur. Jam age, ex eo quod homo non statim satisfaciat pro injuria prius Deo facta per peccatum, non augetur illa prior injuria; quia revera non crescit peccatum, quod commissum fuit. Neque etiam nova injuria committitur, quia vel hæc esset sola ipsa dilatio contritionis, et in hoc petitur principium; quia de hac inquirimus an sit, et contendimus esse non posse propter solam dilationem, nisi aliunde injuriam novam supponat: vel esset aliqua alia offensio divina, quæ ibi admiscetur; et hæc fingi non potest, quia supponimus hominem non habere voluntatem aliquam peccandi.

Nec objiciatur hominem erga hominem ex justitia obligari ad quamprimum rem restituendam quam furto abstulerat: ergo ex eadem virtute peccatorem teneri, per pœnitentiam perfectam, quamprimum restituere Deo honorem peccato ablatum.

Difficultas solvitur ostendendo, ut egregie facit Suarez (disp. 15. s. 5. n. 10.), discrimen inter obligationem restitutionis rei ablatæ et pœnitentiæ debitum.

Et sane aliter homo per furtum læditur, aliter Deus offenditur per peccatum. Homo enim ita læditur, ut detrimentum aut damnum patiatur in propriis bonis sibi utilibus, quibus carere cogitur, quamdiu res ablata ei non restituitur: et ideo justitia non tantum obligat ad non accipiendam rem alienam, sed etiam ad non detinendam illam apud se, quia illa carentia rei propriæ continuata est quasi continuum nocumentum proximi; quod moraliter gravius est, quanto privatio est diuturnior, quia semper impedit dominum ab usu rei suæ ipso invito; et sic semper facit ei injuriam, ut recte dixit D. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 8. Atque hinc est, ut obligatio restituendi per se primo oriatur ex præcepto negativo, non detinendi apud se rem alienam; quod proinde, moraliter loquendo statim, ac pro quolibet opportuno tempore, obligat.

At vero Deus, licet nostris peccatis offendatur, non tamen ita læditur, ut privetur aliqua re sibi utili, aut detrimentum aliquod hujus generis

patiatur: sed solum privatur honore, jure sibi debito, ut finis ultimus est, et supremus gubernator;—et ideo post transactam actualem injuriam nullum ei nocumentum accrescit ex eo, quod satisfactio pro injuria non statim fiat; nec proprie homo apud se detinet aliquod bonum Deo utile; neque impedit illum ab usu alicujus rei suæ. Ac propterea quamvis hæc obligatio ad Deum alioqui gravior sit, non tamen ita confestim urget, neque ejus dilatio habet tam intrinsecam rationem injuriæ, sicut dilatio restitutionis.

Neque præceptum pœnitendi statim post peccatum commissum obligare 2.—*ex caritate Dei* ostendi potest. Nam ex hoc etiam titulo præceptum pœnitentiæ est affirmativum, nec supponit præceptum negativum non permanendi tempore aliquo in statu habituali inimicitiæ Dei: præceptum enim caritatis negativum obligat sane quominus quidquam amori Dei contrarium fiat; sed ad illud etiam se extendere quod homo nullo tempore in statu habitualis peccati manere possit, non probatur.

Id autem clarius patebit ex difficultate, quam Suarez sibi proponit, et diligenter solvit.

Sic igitur objici posset adversus doctrinam, quam tuemur:—Status habitualis inimicitiæ Dei ita est intrinsece malus, ut nemo possit honeste illum velle. Ergo ille status, ut voluntarius, semper et pro semper est prohibitus; ac proinde datur præceptum negativum non permanendi vel minimo tempore voluntarie in eo statu; et hoc præceptum caritatis est, quia malitia illius status caritati erga Deum specialiter opponitur. —At si ex caritate Dei, præcepto negativo, tenetur homo non permanere, etiam minimo tempore, in statu habituali inimicitiæ Dei; jam vi ejusdem præcepti, voluntaria impœnitentia peccatori omni tempore prohibita profecto est, quia virtualiter est voluntaria in eo statu permanentia: ergo e contrario peccator ex eadem caritate obligatur ad agendam statim de peccato commisso pœnitentiam.

Respondet Suarez (disp. 15. sect. 5. nn. 16. 17.): "In argumento postulatur, ut explicemus, si homo, qui est in peccato, etiam oblata occasione contritionis, non tenetur statim conteri, aut deserere statum peccati, quomodo possit tunc se gerere in voluntate sua, ita ut non peccet de novo. Et in primis dicitur, si neutrum illorum directe velit, scilicet nec permanentiam in peccato, nec carentiam contritionis, nihil peccaturum, si voluntatem suam applicet ad alia objecta honesta. Atque hoc sufficit, ut intelligamus, caritatem tunc non necessario obli-

gare ad actum contritionis, quia potest homo nec inimicitiam Dei velle, nec tamen actu conteri. Unde concedo *directe,* ac *positive* velle carentiam gratiæ, aut illum statum inimicitiæ Dei, esse intrinsece malum, ut convincit argumentum factum, quia objectum illius actus intrinsece malum est; imo adeo pravum, ut velle illud plane sit peccatum mortale, quia habet gravem deformitatem contrariam caritati Dei. Nec vero ex hoc infertur necessitas actus contritionis, *cum possit voluntas utroque actu carere voluntarie, saltem indirecte.*—Addo vero ulterius, etiam in eo casu posse hominem directe velle non elicere contritionis actum. . . . . In homine nondum justificato peccatum esset, velle nunquam conteri de peccato commisso; quia talis voluntas comprehendit etiam illud tempus, pro quo obligare potest tale præceptum, quod nondum impletum est. Cum limitatione autem, *velle non conteri pro hoc tempore,* pro quo nondum obligat præceptum, *nullum peccatum est,* per se et ex vi talis objecti, quia illud objectum non est intrinsece malum. Nam, licet contritio sit intrinsece bona, tamen carentia ejus non est intrinsece mala, nisi quando debita est: quod commune est cuilibet actui virtutis: sed pro illo tempore ille actus non est debitus; quia, ut supponimus, non obligat præceptum contritionis."

Ex qua responsione, breviter colligimus hominem peccare si *positive* statum inimicitiæ Dei velit, in eo statu sibi complacendo, eum approbando et eligendo; sed non peccare ex hoc solo quod *permissive* ad tempus illum velit. Positive velle non pœnitere est positive velle manere in statu peccati, et inimicitiæ Dei; sed permissive se habere circa omissionem pœnitentiæ, eam differendo, non est positive velle manere in illo statu.

Demum præceptum pœnitendi non obligat ad quamprimum pœnitentiam agendam 3.—*ex caritate propria.* Nam quod ex hac caritate homo teneatur non exponere se periculo æternæ damnationis spectat actum peccati, quo homo illa pœna *fit obnoxius;* sed non respicit permanentiam ad tempus in statu peccati, quo pœnam illam *promeruisse* jam supponitur.—Sicut ergo is solum peccat, qui sibi studiose mortem infert, aut morbum vel mutilationem; non vero qui cunctatur a morbo sanari, cum id fieri sine proximo vitæ, aut gravioris morbi, periculo potest: ita, licet peccator, speculative loquendo, differendo pœnitentiam, periculo damnationis se exponat; quia tamen periculum istud non est proximum, sed remotum, moraliter non censetur eidem periculo se exponere, adeo-

que saltem graviter non peccare.—Huc pertinet quod S. Thomas (in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæst. 4. ad 2.) aiebat: "Non est de necessitate salutis corporalis quod statim medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit; et similiter est de morbo spirituali."

2ª *pars thesis*, quam, juxta communiorem sententiam, contra Vasquez paucosque alios, propugnamus,

Probatur 1. *Ex Scriptura.* In libro Ecclesiastici aperte dilatio conversionis post peccatum commissum prohibetur: ibi enim legimus (v. 8. 9.): "Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te."—Et Paulus Apostolus conversionis dilationem his verbis (Rom. II. 4–6.) reprehendit: "An divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus."

2. *Patres* gravissime increpant illos qui ad longum tempus, ac præsertim ad extremum vitæ tempus, pœnitentiam differunt. Ex innumeris pene testimoniis, quæ hac in re præsto essent, pauca depromam.

S. Augustinus (in Psal. CXLIV. 8. n. 11.) ait: "Ille quidem [Deus] longanimis; tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. II. 5. 6.). Non enim modo sic longanimis in sustinendo, ut nunquam justus in vindicando. Distribuit tempora: vocat te nunc, exhortatur te nunc; expectat donec resipiscas, et tu tardas! . . . Et spes, et desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, et videte vocem sperantis ad augenda peccata, et quomodo utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, damnandus sum; quare non facio quidquid volo? Audi et vocem sperantis: Misericordia Domini magna est; quando me convertero, dimittet mihi omnia: quare non facio quidquid volo? Desperat, ut peccet; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum; væ a desperatione! væ a perversa spe! . . . Noli ergo dicere: Cras me convertam, cras Deo placebo; et omnia hodierna et hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit."

S. Basilius (Homilia 13. n. 13.) inquit: "Quod si aurum Ecclesiæ distribuerem, non utique esses mihi dicturus: Cras veniam, et cras dabis: sed jam exposceres, urgens distributionem, et dilationem animo iniquo ferres. Quoniam vero hic ille magnorum donorum largitor non materiam pulchre coloratam, sed animæ puritatem tibi offert, comminisceris excusationes; atque causas et impedimenta recenses, cum ad donum deberes accurrere. O rem miram! renovaris, nec conflaris; reformaris, nec contereris; curaris, nec sentis dolorem, et tamen id beneficii tecum non reputas. Servus hominum si esses, servisque fuisset proposita libertas, nonne occurrisses ad statam diem, conducens patronos judicesque rogans, ut omni opere asseraris in libertatem? Quin et alapam, postremam servorum pœnam perferres, ut in posterum a verberibus liber fieres et immunis. Quoniam autem te servum, non hominum, sed peccati, ad libertatem præco vocat, ut te captivitate solutum ex æquo cum angelis civitate donet, teque efficiat per adoptionis gratiam filium Dei, et bonorum Christi hæredem; nondum tempus esse hæc dona excipiendi dicis."

S. Joannes Chrysostomus (in Ep. 2. ad Cor. Hom. 22. num. 3.) hæc habet: "Cave dixeris, Erit tempus cum ad meliorem frugem revertendum erit: hæc enim verba Deum majorem in modum ad iracundiam concitant. . . . . . Consiste jam, teque in contrariam viam refer: Deo gratias age, quod te inter media peccata non abripuit: ne alterum quoque tibi tempus ad flagitiose vivendum præfiniri postules. . . . . At inquis, multis Deus in extrema quoque senectute peccata sua confitendi spatium concessit? Quid tum? an tibi quoque concedet? . . . . . Benignus est Deus. Id ipse quoque compertum habeo; sed tamen benignus hic illos etiam, quos dixi, de medio sustulit. Quid vero, si accepto longiori vitæ spatio, idem ipse tuique similis maneas? nam qui ejusmodi est, in senectute quoque ignavus erit. Non, inquies. Sed is qui hæc cogitat, etiam post octoginta annos, nonaginta requirit, et post nonaginta, centum, et exactis centum annis segnior adhuc erit; atque ita tota vita incassum absumetur, tibique etiam id accidet, quod de Judæis dictum est: 'Defecerunt in vanitate dies eorum' (Ps. LXXVII. 33.). Atque utinam in vanitate dumtaxat, ac non etiam in perniciem."

S. Petrus Damianus (l. 4. Ep. 4. ad Ep. Auximanum): "Ne temetipsum decipias," dicit, "ne ulterius differas, ne salutis tuæ remedium de die in diem procrastinando animam tuam seducas; sed intra cito, dum

licet, in portum conversionis, ne te tardantem repentini opprimant casus, ne te inopinatæ mortis absorbeat fluctus, et æstuantis gehennæ deglutiat barathrum."

3. *Ratio* ipsa suadet non esse pœnitentiam usque ad ultimum vitæ tempus procrastinandam. Et in primis si relate ad obligationem eliciendi alios actus ad salutem necessarios, ut fidei, e. g., aut caritatis, statuitur eam non urgere tantum in articulo mortis; idem procul dubio de pœnitentia dicendum est, quæ pro ultimi finis assecutione omnino necessariam esse jam demonstravimus.

Quare si contritio consideretur ut medium, seu dispositio necessaria, ad obtinendam gratiam, videtur sane præceptum ejus obligare ante mortem; quia contra omnem rationem est ut toto vitæ tempore voluntarie homo perseveret extra gratiam Dei, et ejus assecutionem reservet in finem vitæ. Si vero consideretur ut est satisfactio divinæ injuriæ, etiam videtur adesse quidam implicitus contemptus injuriæ divinæ in prætermissione voluntaria hujus satisfactionis pro toto vitæ tempore, præsertim cum Deus sæpe hanc satisfactionem inspiret, seu vocet hominem ad eam reddendam. Unde S. Gregorius M. (in Ezech. l. 1. Homil. 11. n. 23.), ait: "Peccatorem [Deus] diu expectat, ut redeat: non redeunti, atque contemnenti, ponit adhuc ubi gravius impingat." Ex quo intelligitur, Deum sæpe deserere peccatorem propter dilationem pœnitentiæ, quæ pœna est gravissima, et indicat gravem culpam.

Et quamvis dici possit hoc non esse ob solam dilationem pœnitentiæ, sed quia cum hac dilatione sæpe conjuncta sunt alia peccata: id imprimis non tollit, quin ipsa impœnitentia etiam peccatum sit. Et deinde ipsum morale periculum, in quod conjicitur peccator nimium differendo pœnitentiam, ostendit quam sit rationi consentaneum, ut hoc præceptum obliget aliquando in vita, et prohibeat quominus usque ad mortem pœnitentia differatur:—præsertim cum ipsa pœnitentia ex natura sua obliget non modo ad peccata præterita detestanda, sed ad futura præcavenda.

Accedit non licere rem omnium maximam et difficillimam, cujusmodi est salus æterna per pœnitentiam recuperanda, in illius momenti angustias, in ultimum nempe vitæ, conjicere; cum hora mortis sit incertissima, vires corporis et animi fractæ, aut nimium debilitatæ.

Quod si homines sanctissimi continuis precibus, jejuniis et lacrymis id sollicite student, ut gratiam finalem a Deo obtineant; quomodo

prudenter eam sperabit, qui flagitiis jugiter immersus statuit in ultimo mortis articulo demum per pœnitentiam ad Deum converti? difficillimum enim est, et quasi dicerem per miraculum gratiæ solum possibile, ut in extremo momento peccata ex toto corde detestetur, qui eis ad ultimum usque vitæ terminum pertinaciter adhæsit.

3ª *pars thesis* magis controversa est, et in ea sententiam sequimur quam tuentur de Lugo, Coninck, Becanus, Vasquez aliique, contra Suarez, de Valentia et alios.—Dicimus ergo in articulo mortis non obligari ad actum contritionis eliciendum, qui sacramentum pœnitentiæ suscepit cum attritione cognita.

Et hoc sane probatur ex eo quod efficax non appareat præcipua ratio ab adversariis allata ad urgendam obligationem eliciendi actum contritionis in articulo mortis, post susceptum pœnitentiæ sacramentum cum attritione.—Hæc est enim ratio allata, quia licet attritio cum sacramento pœnitentiæ sufficiat ad justificationem, id tamen non est tam certum ut non sint theologi quidam graves, qui etiam post Concilii Tridentini declarationes contrarium docuerint: caritas ergo qua quis debet seipsum diligere et procurare salutem propriam videtur exigere, ut in re tanti momenti non se exponat periculo æternæ mortis, sed remedium omnino securum quærat, eliciendo actum perfectæ contritionis.—Jam vero ratio hæc non valet. Nam ut egregie adnotat P. de Lugo (disp. 7. sect. 13. n. 266.) si incertitudo, quæ dicitur adesse in remedio adhibito, seu in sacramento suscepto cum attritione, induceret obligationem eliciendi actum contritionis; daretur etiam obligatio repetendi sæpius contritionis actum in eodem mortis articulo; quod adversarii nostri certe non contendunt. Et probatur sequela, nam certius est, attritionem cum sacramento pœnitentiæ sufficere ad justificationem, quam sit, primum actum contritionis, quem infirmus conatus est elicere, fuisse actum contritionis; et licet una sit incertitudo juris, et altera facti, parum hoc refert, cum utraque æqualem obligationem inducat in negotio salutis æternæ:—sicut non minus obligatur ad repetendum baptismum sub conditione, qui dubitat de valore prioris baptismi propter opiniones diversas circa sufficientiam talis materiæ, an aqua ex rosis, verbi gratia, sufficiat; quam qui dubitat, an de facto fuerit aqua, vel vinum, quod infusum fuit. Cum ergo nequeat homo certo scire fuisse veram contritionem quam habuit, deberet iterum atque iterum eam repetere.

Quin etiam, si ex illa incertitudine, quam doctores adversi exagge-

rant, obligaretur homo, in articulo mortis, ad eliciendum actum contionis, etiamsi sacramentum pœnitentiæ cum attritione susceperit; multo magis peccator ex incertitudine vitæ obligaretur ad contritionem habendam quamprimum post peccatum: magis enim certum est attritionem cum sacramento sufficere ad justificationem, quam hunc hominem non esse moriturum hac hebdomada, vel etiam hac nocte.—Immo peccator teneretur statim post peccatum commissum confiteri; nam minus certus est homo de gratia extra sacramentum recuperata, quam cum sacramento, quia difficilius est contritionem perfectam concipere, quam attritionem.—Cum ergo consecutiones istæ admitti nequeant, concludendum est rationem ex allegata ab adversariis incertitudine justificationis susceptæ per susceptionem sacramenti pœnitentiæ cum attritione sola, nullam habere vim propter quam dicatur homo in articulo mortis post susceptum sacramentum cum attritione, adhuc teneri ad actum contritionis eliciendum.

Homo in rebus etiam gravissimis non tenetur nisi humano modo, seu prout humana conditio fert; juxta quam non obligatur ad exquisitissimam diligentiam, excludentem quamcumque possibilem dubitationem circa obligationis impletionem; sed obligatur ad humanam et moralem diligentiam, quæ moraliter certitudinem afferat et excludat dubium.—Sed post Concilii Tridentini declarationes est saltem moraliter certum, ut deinde in secunda hujus Tractatus parte probabitur, attritionem cum sacramento pœnitentiæ sufficere ad justificationem.—Ergo homo de justificatione sollicitus, si sacramentum pœnitentiæ cum attritione suscepit in articulo mortis, obligationem suam implevit ad obtinendam post peccatum justificationem; nec obligatur ad aliud medium cum exquisitiori diligentia adhibendum.

Quod autem in re etiam gravissima non teneamur *ad omnem possibilem* diligentiam adhibendam facile patet, et a P. de Lugo optime sic illustratur (d. 7. s. 13. n. 269.):—"Quamvis negotium salutis æternæ summi momenti sit, et in quo nulla diligentia superflua videri debet: non tamen obligat nisi ad humanam, et moralem diligentiam, quæ scilicet sufficiat ad excludendum morale, et humanum dubium. Hinc est, ut licet baptismus, verbi gratia, sit medium unicum ad salutem æternam parvuli morientis, si tamen semel adhibitus sit, non debeat, nec possit, repeti etiam sub conditione, nisi dubium morale sit de ejus valore. Unde si solus parochus, vel ejus mater, fide digna, testetur, quod est baptizatus,

non possumus ad majorem securitatem baptizare sub conditione iterum parvulum animam agentem: quia licet possibile sit in genere loquendo, quod mentiatur parochus, vel mater, vel quod defuerit intentio aut materia, vel forma requisita; non tamen habemus fundamentum sufficiens ad dubitandum moraliter, quod hic, et nunc id contingat: quæ existimatur humana certitudo sufficiens, ut non debeamus, nec possimus certius remedium habere ad assecurandam magis salutem æternam illius parvuli; neque ipse parvulus, si rationis esset compos, deberet, aut posset id facere: alioquin tenerentur de facto parentes, qui non minus debent consulere et providere suo filio in re tanti momenti, quando ipsemet sibi consulere non potest."

Et exinde exurgit alia ratio qua directe thesim nostram confirmamus.—Etenim ex pœnitentiæ præcepto tenemur ad reparandam offensam Deo per peccatum a nobis illatam et ad procurandam cum Deo reconciliationem; ita ut Deo, prout possumus, satisfactionem quamdam exhibeamus, et, ab eo accepta peccati commissi remissione, saluti nostræ æternæ consulamus.—Atqui, moraliter saltem, certum est hominem in articulo mortis per sacramentum pœnitentiæ cum attritione cognita hæc præstitisse; quia moraliter certum est, per attritionem in sacramento, sufficienter fuisse ad remissionem peccatorum suorum consequendam dispositum, et hanc remissionem cum justificatione obtinuisse per sacramentum.—Ergo susceptione sacramenti homo præstitit id ad quod præcepto pœnitentiæ tenebatur, ac proinde ab obligatione hujus præcepti liberatus est.

Sed et ipse Suarez (disp. 15. sect. 4. n. 18.) fatetur hominem attritum, sacramento pœnitentiæ suscepto, non teneri ad contritionis actum, ratione pœnitentiæ, seu justitiæ ad Deum. Hæc sunt ejus verba: "Dico tamen, fidelem hunc constitutum in articulo mortis, qui bene novit solam attritionem de peccatis suis habuisse, et cum ea tantum confessum et absolutum esse, ex vi justitiæ ad Deum, seu pœnitentiæ, non teneri ad perfectiorem pœnitentiam agendam: quia juxta probabilem opinionem, et practice certam, satisfecit quantum debuit, neque ex hac præcisa ratione exponit se alicui morali periculo."

Quod autem addit: "Nihilominus vero existimo, tam ex caritate Dei, quam propria, teneri hujusmodi hominem majorem dispositionem procurare ad æternam salutem consequendam, graviterque peccare, si voluntarie ita se mori sinat;" non cogit nos ad sententiam, quam vin-

dicavimus, deserendam.—Etenim quod ad caritatem propriam attinet, demonstravimus hominem ex hac etiam caritate non teneri ad exquisitissimam diligentiam adhibendam in his quæ spectant æternam salutem, sed sufficere humanam et moralem diligentiam, quæ in casu adest. Quod vero caritatem Dei spectat, etsi communius Doctores doceant, probabilissimum esse præceptum diligendi Deum obligare in articulo mortis ad actum amoris eliciendum ; alii tamen, ut adnotat de Lugo, obligationem hanc adesse negant : et præterea, obligatione hac admissa, non sequitur hominem in articulo mortis obligari ad habendam contritionem de peccatis, quorum absolutionem accepit in sacramento ; sed obligari ad eliciendum actum dilectionis Dei super omnia.

Unum declarandum superest. Dici posset : sententia, quæ docet obligationem adesse eliciendi contritionis actum in articulo mortis, etiamsi sacramentum susceperit cum attritione, est probabilis ; ergo, cum agatur de re quæ æternam salutem spectat, licet sententia quam defendimus sit probabilior, nequit homo hanc sententiam practice sequi.

Cum P. de Lugo (l. c. nn. 273. 275.) respondemus :—

"Aliter loquendum est de sententia quæ negat, attritionem cum sacramento sufficere ; aliter de illa, quæ obligationem ponit contritionis habendæ propter incertitudinem hujus remedii : prior quidem probabilis non est post Tridentinum, ut diximus, neque habet fundamenta, quæ ad probabilitatem sufficiant ; imo a multis gravioribus censura notatur : posterior vero probabilis est, sed ejus probabilitas non impedit judicium practicum quo aliquis possit in operando amplecti nostram sententiam. . . . . . . In quæstione practica, ubi agitur de obligatione practica hic et nunc, licitum semper est amplecti sententiam probabilem. Similiter ergo in casu nostro, licet agatur de salute æterna, ad quam debemus adhibere remedia certa, et non probabilia solum ; cum tamen quæstio non sit, an attritio cum sacramento sit remedium, vel non ; sed an sit obligatio adhibendi aliud remedium contritionis propter incertitudinem illius, et sit sententia probabilis multorum dicentium non dari talem obligationem, non obstante sententia negante justificationem per attritionem cum sacramento, non est, cur non possit aliquis conformare se in operando cum hac sententia, et negare in se hujusmodi obligationem."

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

ARTICULUS PRIMUS

De existentia sacramenti pœnitentiæ.

Pœnitentiam in nova lege sacramentum esse ipso in limine hujus Tractatus indicavimus, et de hoc sacramento disquisitionem jam aggredimur. At cum de pœnitentia ut est sacramentum loquimur, quid pœnitentiæ nomine venit? Sane non illam intelligimus, quæ consistit in sola interna detestatione peccati commissi et conversione cordis ad Deum;—nec etiam illam, quæ tantum detestationem et dolorem de peccato commisso exterius ostenderet;—immo nec illam significamus, quæ esset hominis baptizati revelantis internam peccatorum suorum contritionem sacerdoti, si nulla horum peccatorum absolutio accederet ex parte sacerdotis:—sed cum sacramentum pœnitentiæ nominamus, intelligimus *ritum quo Christiani pœnitentes et peccata sua sacerdoti confitentes, ab eodem absolvuntur.* Hunc ritum ex opere operato gratiam conferre credimus, ideoque verum et proprie dictum novæ legis sacramentum esse.

Id primus omnium negavit Lutherus. Antiquiores enim hæretici, Montanistæ et Novatiani, non negabant potestatem esse in Ecclesia Christi remittendi peccata per sacramentum pœnitentiæ; sed hujus potestatis amplitudinem, quælibet peccata complectentem infitiabantur, putantes non esse in Ecclesia potestatem graviora quædam crimina dimittendi lapsis post baptismum, et illorum veniam a solo Deo per jugem in hac vita pœnitentiam esse impetrandam.—Waldenses vero etsi gravissime circa pœnitentiæ sacramentum erraverint asserendo nullum a malo sacerdote absolvi posse, et bonum laicum potestatem habere absolvendi peccata; ipsam tamen sacramenti veritatem plane confitebantur.

Nemo igitur, ante Novatores sæculi XVI., ausus fuit ab albo sacramentorum pœnitentiam expungere. Immo ipse Lutherus nonnisi timide id fecit et titubanter.—Etenim initio libri, *De Captivitate Babylonica,*

dixit: "Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis:" sed in fine illius operis pœnitentiam ad baptismum revocavit inquiens: "Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta. . . . Nam pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad baptismum."—In *Catechismo* autem *minori*, ab ipso Luthero exarato, rursus sacramentum pœnitentiæ videtur adstruere; et in *Apologia Confessionis Augustanæ*, capite de numero et usu sacramentorum, legitur: "Vere igitur sunt sacramenta, baptismus, cœna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti."

Calvinus sacramentum esse pœnitentiam aperte negavit, et statuit (Instit. lib. 4. cap. 19. n. 14–17.) eam non esse a Baptismo distinctam, quum "per peccatum non deleatur baptismus, sed potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de peccati remissione cogitet, ut illinc sese colligat, animumque recipiat, et fidem confirmet, peccatorum remissionem se impetraturum, quæ sibi in baptismo promissa sit."

Lutheri asseclæ mox Calvino præbuerunt assensum, et nunc communiter Protestantes tenent pœnitentiam in nova lege non esse sacramentum a baptismo distinctum; sed baptismum esse sacramentum pœnitentiæ, quod, recogitatione apprehensum et repetitum, sufficit ad culpas omnes ab homine baptizato commissas, et earum pœnas, tam perfecte remittendas, quam culpæ et pœnæ peccatorum præcedentium, baptismo ipso, remissæ fuerant.

Hos errores Conc. Trident. damnavit sessione 14,. his canonibus:

Can. 1. "Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit."

Can. 2. "Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit."

De fide ergo credenda est

THESIS XIII.

Pœnitentia, seu ritus ille quo Christiani pœnitentes, et peccata sua sacerdoti confitentes, ab eo absolvuntur, est verum et proprie dictum novæ legis sacramentum, a sacramento baptismi prorsus distinctum.

Ut 1ª *pars thesis* constet, tria, fatentibus ipsis adversariis, demonstrari debent; scilicet, ritum, de quo loquimur, quemque appellamus pœnitentiam, esse signum aliquod sensibile, a Christo Domino permanenter institutum, et collativum gratiæ sanctificantis. Has autem conditiones, ad sacramentum novæ legis constituendum necessario requisitas, in pœnitentia inveniri patebit sequentibus argumentis.

I. *Ex Scriptura* ostenditur Christum in Ecclesia sua instituisse signum sensibile, quod cum collatione gratiæ sanctificantis remittit peccata commissa post baptismum. Ergo.—Antecedens probatur ex verbis Christi in Evangelio Joannis relatis (xx. 21–23.): dixit enim Apostolis: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . . . . . Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt."

Jam vero hæc verba de potestate remittendi et retinendi peccata in *sacramento pœnitentiæ* intelligenda esse Synodus Tridentina definivit, statuens (sess. 14. canon. 3.): "Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: 'Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;' non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit."

Quod autem Tridentinum Concilium declaravit, ipsa Christi Domini verba perspicue ostendunt. Nam ex eis intelligimus 1.—Christum concessisse in perpetuum Apostolis et eorum successoribus potestatem remittendi fidelibus peccata 2.—per aliquod sensibile signum; quod eo ipso constat a Christo fuisse institutum 3.—conferens cum remissione peccatorum gratiam sanctificantem. Et re quidem vera

a) *Potestatem remittendi peccata*, Apostolis concessam, apertissime dicunt verba hæc: "*Accipite Spiritum Sanctum . . . quorum remiseritis peccata*

remittuntur eis;—et declarat contextus; Christus enim potestatem remittendi hominibus peccata, quam, ut homo, habuit a Patre, quamque speciali modo sibi vindicavit, ac miraculo confirmavit, ut legimus apud Matt. (IX. 6.): "Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam;" hanc ipsam potestatem contulit Apostolis: "*Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*"

Eamdem potestatem a Christo *concessam fuisse non Apostolis tantum, sed in perpetuum eis et eorum in hac potestate successoribus,* patet *ex fine* hujus concessionis; quia Christus, ut verba mox citata ostendunt, missionem suam non ad aliquot annos, et ad aliquos tantum fideles coarctatam, sed perpetuam usque ad consummationem sæculi et pro omnibus fidelibus, per ministros suos in terris, exercere voluit. Potestatem remittendi peccata Apostolis non concessit Christus tanquam legatis extraordinariis propter singularia illius temporis adjuncta; sed tamquam Antistitibus Ecclesiæ propter utilitatem fidelium; ideoque pro omni Ecclesiæ tempore. Et exinde perpetuus hujus potestatis usus in Ecclesia Christi viguit.

Hanc potestatem, quam Christus verbis apud Joan. (XX. 23.) relatis contulit, fuisse datam *ad remittenda peccata fidelibus,* constat; quia ex una parte, verba *per se sola inspecta possunt* spectare peccata a fidelibus post baptismum commissa; et ex alia parte, si adjuncta considerantur, certo peccata remittenda lapsis post baptismum respicere solum *debent.*—Sane, verba quæ fuerunt a Christo tunc prolata, significare non possunt potestatem baptizandi, per quam peccata hominum infidelium remittuntur; ideoque indicare debent potestatem circa peccata fidelium a Christo concessam.—Et facile ostenditur non posse verba Christi spectare potestatem remittendi peccata infidelium per baptismum; nam potestas baptizandi jam prius data fuerat Apostolis, qui in virtute Christi baptizabant; et speciale jus ad baptizandum universum orbem eisdem Apostolis datum fuit illis verbis (Matth. XXVIII. 19.): "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti."

b) Potestatem remittendi peccata fidelibus lapsis post baptismum, quam Christus concessit Apostolis eorumque successoribus, *esse ex ipsius Christi voluntate per aliquod sensibile signum exercendam,* non ambigi-

tur. Etenim ex eodem testimonio, "quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt," ritus externus tum peccatoris pœnitentis, tum sacerdotis absolventis evidenter constat.—Et ad pœnitentem quod attinet, manifestum est nonnisi eos qui se peccata habere, ac detestari testantur, et eorum peccatorum absolutionem implorant, esse absolvendos, cum ii absolvi nequeant, qui vel ligati non sunt, vel solvi nolunt:—habemus ergo, in exercitio potestatis a Christo concessæ, ritum externum ex parte peccatoris pœnitentis, qui signa pœnitentiæ ostendens absolutionem petit.—Quod vero sacerdotem absolventem spectat, nemo non videt eum sensibili quodam signo debere pœnitenti peccata remittere, cum secus pœnitens hæc peccata a sacerdote fuisse remissa intelligere omnino non posset:—et ideo habemus etiam ex parte sacerdotis absolventis ritum externum, seu verbum absolutionis.

c) Demum, *signum*, per quod exercetur potestas absolvendi peccata, confert *ex opere operato gratiam;* quia, ex institutione ac promissione Christi, *ritui, quo sacerdos peccata pœnitenti remittit,* adnexa est gratia sanctificans, sine qua peccata non remittuntur. "Quorum remiseritis peccata," ait Christus, "remittuntur eis;"—idest, *remissio* a vobis facta peccatorum ei qui rite sit dispositus ad hanc remissionem accipiendam, ac proinde *actio ipsa,* qua pœnitentem a peccatis absolvitis, pœnitenti, cum infusione gratiæ, peccata remittit.

Hinc Christus Dominus, ut ostenderet tum excellentiam potestatis, quam Apostolis et sacerdotibus in eadem potestate successoribus concedebat, tum efficacitatem absolutionis, quam ipsi pœnitentibus impertirent; cum potestatem illam traderet, dixit: "Accipite Spiritum Sanctum;"—his verbis procul dubio declarans Apostolos et sacerdotes omnes legitimos fidelibus eam peccatorum remissionem concessuros, cujus auctor esset Spiritus Sanctus, qui, per verbum remissionis a sacerdotibus prolatum, pœnitentes, sanctificationis gratia, absolveret et renovaret.

II. *Perpetua Traditio* docet Christum in Ecclesia sua instituisse signum collativum gratiæ ad remittenda fidelibus pœnitentibus peccata, quæ committerent post baptismum.

Equidem et hujus traditionis demonstratio habetur in Tractatu *de Sacramentis in Genere,* thesi VII., de numero sacramentorum (Vol. 1.

pag. 100. et seq.):—sed præter illam, quæ indirecta demonstratio et septem N. L. sacramentis communis est, directam ac specialem nunc exhibemus.

Jam vero, a sæculo III., Tertullianus in Ecclesia potestatem esse remittendi peccata fidelibus aperte testatur.

Cum enim adhuc esset catholicus, libro de Pœnit., c. 7., hæc scribebat: "Pervicacissimus hostis ille [diabolus] numquam malitiæ suæ otium facit; atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum. . . . Hæc venena [hostis] providens Deus, clausa innocentiæ janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat."

Et postea idem Tertullianus lapsus in hæresim Montanistarum, potestatem remittendi peccata post baptismum commissa Ecclesiæ fuisse concessam non negabat; sed solum, juxta hæresim cui nomen dederat, coarctabat, agnoscens tamen totam amplitudinem illius potestatis a Romanis Pontificibus admitti et exerceri.—In lib. de Pudicitia, fidei catholicorum testimonium reddens, c. 1., ait: "Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: 'Ego et mœchia et fornicationis delicta, pœnitentia functis, dimitto."—Et ibidem (c. 2. in fine), hæresim suam declarans: "Secundum hanc differentiam delictorum," Tertullianus inquit, "pœnitentiæ quoque conditio discriminatur. Alia erit, quæ veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili; alia quæ consequi nullo modo possit in delicto scilicet irremissibili. Et superest specialiter de mœchia et fornicationis statu examinare, in quam delictorum partem debeant redigi."

Eodem sæculo III., S. Cyprianus lapsos fideles exhortans ad pœnitentiam, ait (lib. de lapsis, cap. 29.): "Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio *et remissio facta per sacerdotes* apud Dominum grata est."—Et in Epistola synodica scripta anno 252. (Ep. 54. alias 57.) S. Cyprianus cum aliis episcopis africanis, ad Cornelium scribens de pace lapsis danda, et quod in Concilio anni superioris statutum fuerat commemorans, dicit absolutionem, cum essent in periculo mortis, lapsis fuisse concessam, nam fas non erat

"Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur."

Origenes (de Orat. n. 28.) potestatem a Christo concessam sacerdotibus ad peccatorum remissionem clare indicat:

"Sed is in quem Jesus insufflavit, quemadmodum in apostolos, quique a fructibus cognosci potest accepisse Spiritum Sanctum et factus esse spiritualis, eo quod Spiritu Dei, more filii Dei, agatur ad ea omnia quæ ratione gerenda sunt; *is dimittit* quæ dimitteret Deus et insanabilia peccata retinet, ministrans (ut prophetæ Deo ministrabant loquentes non sua, sed quæ divinæ erant voluntatis), sic et ipse, soli dimittendi potestatem habenti, Deo. Sic autem habent in Evangelio secundum Joannem quæ de remissione ab apostolis concedenda scripta sunt: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*"

Nec minus aperta, immo his præclariora, testimonia fidei nostræ afferimus ex Patribus qui, sæculo IV., adversus Novatianos denegantes sacerdotibus Ecclesiæ potestatem remittendi *quœdam peccata,* pro plenitudine hujus potestatis a Christo illis concessæ, dimicaverunt.

Audiatur S. Ambrosius. In lib. 1. de Pœnitentia Novatianos hæreticos sic perstringit (capit. 2. num. 6.): "Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere [idest, respuere]. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: '*Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta erunt*' (Joan. xx. 22. 23.); quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens."

Et in eodem libro 1. refutans hæreticorum exceptionem, quam Protestantes ab illis mutuati sunt et repetunt, (c. 8. n. 36.) Novatianos sic interpellat: "Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest,

utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam, ubi vultis repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est."—Et libro 2. (c. 2. n. 12.): "Quod nobis impossibile impetratu videtur, Deo donare possibile est. . . . Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur."

S. Pacianus, eximium Hispaniarum decus, sæculo IV., tribus epistolis ad Sympronianum Novatianum veritatem sacramenti pœnitentiæ magnifice vindicat.—Initio epistolæ tertiæ, quæ est *Contra Tractatus Novatianorum*, eorum hæresim refert, et statim refutat argumento præscriptionis.—"Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Semproniane frater, hoc continet: Quod post baptismum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. . . . . . Quis hoc vindicat, frater, Moyses, an Paulus, an Christus? . . . Nullus horum, inquies. Quis ergo? Novatianus hoc præcepit. . . . Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? post Decii principatum, idest post trecentos prope annos dominicæ passionis. Quid ergo tunc? . . . Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret. Et si contra clamet Apostolus: '*Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizaverit, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*' (Gal. I. 8.). Novatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo a Christi usque Decii principatum nullus intelligens?"

Deinde ad refutandas Novatianorum cavillationes accedit, et e vestigio eos damnat argumento catholicitatis Ecclesiæ: "Age," inquit (n. 4.), "dic reliqua: *Ecclesia est Corpus Christi.* Corpus utique non membrum; corpus multis in unum partibus membrisque collectum, sicut ait Apostolus (I. ad Cor. XII. 14.). . . . . Sicut civitas inquam, cujus partes in unum; non ut vos estis Novatiani, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum et reliquo corpore separatum."

Et in refutatione Novatianorum procedens, præcipuæ illorum hæreticorum assertioni ita respondet (num. 7.): "Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis; cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum, et pœnitentium lacrymas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini: *Dei sumus adjutores,* inquit, *Dei ædificatio est* (I. Cor. III. 9.). . . . . . Quare sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit."

S. Joannes Chrysostomus, inter cetera quæ hac de re mirifice docet, in libro 3. de sacerdotio, excellentiam potestatis, a Christo concessæ sacerdotibus ut fidelibus peccata dimittere valeant, exaltat, et ait (nn. 5. et 6.): "Potestatem [sacerdotes] acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: 'Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo' (Matth. XVIII. 18.). Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam, cœlosque transcendit: ac quæcumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat; servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem cœlestium potestatem? nam '*Quorum,*' inquit, '*remiseritis peccata, remittuntur; et quorum retinueritis, retenta sunt*' (Jo. XX. 23.). Quæ major hac potestas fuerit? . . . . Insania manifesta est, tantum principatum despicere, *sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus.* . . . . Neque enim tantum cum nos regenerant, *sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt.*"

Et S. Basilius ex manifesta apud omnes, non modo catholicos, sed etiam hæreticos, confessione dogmatis quod vindicamus, argumentum deducebat ad aliam veritatem fidei confirmandam, et quidem primariam, quam negabant Eunomiani. "Proprium Dei est," inquit (lib. 5. contra Eunom., Migne t. 29. p. 718.), "peccata remittere; quippe hoc ipse dicit: *Ego sum qui deleo peccata tua* (Isa. XLIII. 25.); et: *Si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut nivem dealbabo; et si fuerint ut coccinum, sicut lanam dealbabo.* Ceterum cum Deus Dei puer Jesus paralytico peccata remittat, dicens: *Fili, remittuntur tua peccata;* in quo a Judæis,

qui Deum esse nescirent, blasphemare putabatur dicentibus: *Hic blasphemat;* nullius est remittere peccata, nisi Dei solius. Quin et Dominus flans in sanctos Apostolos, dixit: '*Accipite Spiritum Sanctum: quorumcunque remiseritis peccata, eis remittuntur.*' Itaque si nullius est remittere peccata, sicut sane nullius est, nisi Dei solius, remittit autem Spiritus Sanctus per Apostolos; Deus ergo est Spiritus Sanctus, et ejusdem operationis, atque Pater et Filius."

Sæculo V., S. Leo Magnus, e supremi pontificatus fastigio scribebat (Ep. 108. cap. 2.): "Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum *per januam reconciliationis admitterent.*"

Et S. Petrus Chrysologus verba Christi (Jo. xx. 33.) exponens, ait (Serm. 84. in Joan. xx.) Apostolis "dedit [Christus] potestatem remittendi peccata, qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum et largitus est Remissorem. '*Hæc cum dixisset, insufflavit eis, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*' Ubi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt; qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant, qui languoribus curam vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negantque medicinam; qui peccatoribus redeundi desperationem impie insultant? Remittit Petrus peccata, et toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem."

Denique unum ex sæculo VI. citabo, S. Gregorium Magnum. "In hac ipsa," inquit (lib. 2. Homil. in Ev. Hom. 26. nn. 4. et 5.), "datione Spiritus dicitur: '*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*' Libet intueri illi discipuli, ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumque superni judicii sortiuntur, ut

vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt; et alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur."

Et hæc sufficiant; si enim cetera, quæ in monumentis traditionis documenta supersunt ad veritatem sacramenti pœnitentiæ demonstrandam, prosequi vellem, omnem modum excederem.

2ª *pars thesis*, qua statuimus pœnitentiæ sacramentum esse a sacramento baptismi prorsus distinctum, jam videri potest ex hucusque probatis, vindicata.—Sed præstat, cum de re maximi momenti agatur, eam specialiter confirmare, refutando simul commentum Protestantium, quo contendunt peccata fidelium remitti debere per baptismi olim suscepti recordationem.

Et primo quidem *Scripturæ* clare distinguunt, ut supra innuimus, Baptismum inter et Pœnitentiam, ut inter ea quæ *seorsim* a Christo Domino instituta sunt atque præscripta.

Etenim baptismum initio prædicationis suæ Christus instituit, et exinde discipuli ejus baptizaverunt. In tertio namque capite Evangelii Joannis legimus Nicodemo dixisse Christum baptismi necessitatem (Joan. III. 5.): "Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;"—et in eodem capite (vers. 22.): "Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam; et illic demorabatur cum eis et baptizabat;"—et capite 4. (vers. 2.): "Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus."—At potestatem remittendi ac retinendi peccata Christus Apostolis in die resurrectionis suæ contulit. "Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt" (Jo. XX. 19–23.).

Præterea cum in Scripturis exempla eorum, qui post baptismum

susceptum peccata commiserant, referuntur, ut, ex. gr., Simonis Magi (Act. VIII.) et incestuosi Corinthii (I. ad Cor. V.), non dicitur eos memoria baptismi veniam peccatorum suorum obtinuisse: quin immo legitur: "Petrus autem dixit ad eum [Simonem] . . . . . . pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui" (Act. VIII. 19. 22.); et de incestuoso Corinthio pœnitentia indicatur, et venia ei post pœnitentiam concessa apertissime commemoratur (II. ad Cor. II. 6–10.).

Secundo *Patres*, pœnitentiam et baptismum, ut duo sacramenta prorsus distincta, passim indicant. Nam

a) pœnitentiam relate ad baptismum appellant *pœnitentiam secundam, secunda subsidia* (Tertull. de Pœnit. cc. 7. et 12.);—*baptismum laboriosum* (S. Greg. Naz. Orat. 39. n. 17.; 40. n. 8.);—*secundum baptismum* (S. Paulinus Aquil. lib. exhort. ad Henr. Forojul. cap. 52.);—*alterum partum* (Theodoret. in Epist. ad Gal. IV. 19.);—*secundam vocationem, seu secundum beneficium*, *κλῆσιν δεύτεραν* (S. Epiph. hæres. 59. n. 9.);

b) pœnitentiam et baptismum dicunt esse *duas quasi pharos salutis* (Tert. lib. de Pœnit. c. ult. in fine);—*duas portas* per quas in Ecclesia Dei vel *introitus*, vel *reditus* est (S. Hieron. in Proph. Soph. I. 10.);

c) pœnitentiam aiunt esse novum remedium divina bonitate concessum eis qui post baptismum lapsi sunt: ac proinde *pœnitentiam imitari baptismi gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris* (S. Hier. l. 1. dial. adv. Pelag. n. 33.);—*pœnitentiam esse aliam curationem a generatione baptismali prorsus diversam* (S. Aug. Ep. 98. al. 23. ad Bonif. n. 2.);—*esse tabulam salutis post naufragium* (S. Ambr. de Lapsu virg. consecr. c. 8.; S. Cæsarius Serm. 61. in app. op. S. Aug. s. 260. num. 1., et alii Patres sæpissime).

d) Affirmant:—"*duobus modis, Dei Spiritu afflati* homines [sacerdotes] *peccata remittunt*, vel cum dignos *admittunt* ad *baptismum*, vel cum *filiis Ecclesiæ pœnitentibus ignoscunt*" (S. Cyrillus Alex. l. 12. in Joan., Migne tom. 74. p. 722.);—"*quod scriptum est, 'Et sanguis Jesu Filii ejus emundat nos ab omni peccato* (I. Jo. I. 7.)' *tam in confessione baptismatis, quam in clementia pœnitudinis accipiendum est*" (S. Hier. l. 2. dial. adv. Pelag. n. 7.):—"Quemadmodum homo a sacerdote *baptizatus* Spiritus Sancti gratia illuminatur, ita qui confitetur *in pœnitentia, per sacerdotem*, Christi gratia, *remissionem accipit*" (S. Athan. in frag. contra Novat. Migne t. 26. p. 1315.).

Paucas adjicimus objectiones, cum aliæ, quas congerunt adversarii, ipsa probatione thesis refutatæ sint.

1. Verba Christi, quæ leguntur apud Joannem (xx. 23.) spectant missionem prædicandi Evangelium et remissionem peccatorum per fidem in Christum, et baptismi susceptionem :—conveniunt enim cum verbis, apud Matth. (xxviii. 18.) : "Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Et apud Marc. (xvi. 15. 16.) : "Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur;" et præsertim apud Luc. (xxiv. 47.) : "Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes."

Resp. *N. assertum et confirm.*—1. Textus citati Matth. et Marc. referunt verba, quæ Christus alio tempore protulit ac illa apud Joan. (xx. 23.) relata :—2. potestatem baptizandi jam prius acceperant Apostoli sicut ostendimus, et baptizabant antequam audirent verba quibus potestas remittendi et retinendi peccata tradebatur eis :—3. interpretatio adversariorum obvio et proprio sensui locutionis Christi adversatur; et repugnat perpetuæ totius Ecclesiæ traditioni :—4. verba, quæ apud Lucam, c. ult. ver. 47. leguntur, non necessario significant solum pœnitentiam ab adultis requisitam ante baptismi susceptionem, et remissionem peccatorum quæ fit in baptismo; nam non solis infidelibus, sed etiam fidelibus et baptizatis prædicanda erat pœnitentia et remissio peccatorum in nomine Christi.

Ceterum, hoc effugium, quod Protestantes nunc arripiunt, olim Novatiani excogitaverunt; et frustra. Respondebat enim eis nervose his verbis S. Pacianus. In Ep. 3. ad Sympronianum (n. 11.) ait: "Duorum Evangelistarum capitula conjungis, ut unum esse videantur; et adjicis, quod Matthæus minus integre prosecutus sit, complesse Joannem . . . . ut hoc dimittere vel ligare ad gentes, quæ baptizandæ erant, pertinuisse videatur, quia prior Evangelista de gentibus prælocutus sit; de solvendo autem et ligando posterior impleverit. Quid ais ? Evangelistæ duos dimidiatos invicem sensus, et semi integros retulerunt? Verba his invicem, ratio ne defuerat; aut non in omnibus totum Spiritus Sanctus implebat, propositos perferens sensus, et ad plenum dicta

definiens? . . . . . . Quod apud Matthæum ipsum ante passionem suam dixerat Dominus. . . . '*Et ego dico tibi,*' inquit, '*quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ infernorum non convalescent adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: et quæcumque ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlis; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis*' (Ibid. 18. 19.). Dic frater; de solis gentibus hoc locutus est: *Super hanc petram ædificabo,* inquit, *Ecclesiam meam?* Ecclesiam, non baptizatas gentes vocat? homo necdum renatus, corpus est Christi? Quid solvo gentibus, quod non est ligatum? Nam si non reputatum est, nec ligatum. Quid alligo, quod nullo jure constringo? Gentilis homo, liber est Legi. . . . . Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum; quanto magis ille quem fidei jura tenuerunt?"

2. Patres nonnulli illud (Joan. xx. 23.): "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt," interpretantur de remissione quæ fiat vel per Evangelii prædicationem, qua homines a vitiis retrahuntur et ad virtutem excitantur, vel per baptismi administrationem. Remissionem enim per baptismum faciendam indicat S. Cyrillus Alexandrinus (in Joan. Evang. l. 12. xx. 23.); et S. Hieronymus (in c. 14 Isaiæ v. 17.) dicit: "Solvunt eos Apostoli sermone Dei, et testimoniis Scripturarum et exhortatione virtutum;" et S. Augustinus (Tract. 121. in Joanne) ait: "Caritatem Ecclesiæ, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittere; eorum autem, qui non sunt ejus participes, retinere."

Resp. *Dist.*—Nonnulli Patres asserunt verba Christi apud Joannem (xx. 23.) *non significare potestatem concessam* Apostolis et eorum successoribus *remittendi et retinendi peccata fidelibus in sacramento pœnitentiæ N.* Nonnulli, sensu proprio illorum verborum, juxta catholicam fidem, prius admisso, *minus proprie* et *per quandam extensionem* retineri etiam ac dimitti peccata dicunt, sive in baptismi administratione, sive adhuc latiori sensu per prædicationem Evangelii et bona opera *C.*—Quare S. Cyrillus Alex. (l. c.) expresse ait: "Remittunt porro peccata vel retinent *duobus,* ut arbitror, *modis;* vel enim dignos ad baptismum

vocant . . . . vel prohibent et a gratia divina arcent, qui nondum digni sunt; vel *alio quodam modo* peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt."

3. S. Augustinus remissionem *omnium peccatorum* uni baptismo tribuit; scribit enim (Ep. 185. ad Bonif. c. 9. n. 39.): "Quidquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, *propter ipsum lavacrum* dimittitur." Et in libro 1. de nuptiis et concup. (c. 33. n. 38.) ait Christum mundare Ecclesiam lavacro aquæ "ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur; non solum peccata, quæ omnia *nunc* remittuntur in baptismo, sed etiam *quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur.*"

Resp. *Dist.*—Remissio peccatorum, quæ post baptismi susceptionem committuntur, S. Augustinus tribuit baptismo *proxime et efficienter N. Remote et radicaliter C.*—Quemadmodum enim homo, quoad naturalem vitam, nec crescere, nec roborari, nec a morbo convalescere potest, nisi natus antea fuerit: similiter, quoad supernaturalem vitam, antequam christianus per sacramentum confirmationis roboretur, per Eucharistiam pascatur, aut etiam per sacramentum pœnitentiæ sanetur, necesse est ut in Ecclesia spiritualiter natus fuerit; ac proinde spirituali regenerationi, quæ in baptismo est, tamquam causæ remotæ et primæ radici cetera tribuuntur.

Hunc fuisse sensum a S. Augustino intentum patet, ex eo quod S. Doctor cum de medio loquitur quo *proxime et efficienter*, non *remote et præsuppositive*, peccata fidelium remittuntur, excludat baptismum, et indicet pœnitentiam. Ita in epistola jam citata ad Bonifacium (Ep. 98. alias 23. n. 2.) ait: "Semel perceptam Christi gratiam parvulus non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc etiam propria incipiet habere peccata, *quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.*"—Et in opere de adult. conjug. (l. 2. c. 16. n. 16.): "Si a catechumeno factum est [homicidium] baptismate abluitur; et si a baptizato, *pœnitentia et reconciliatione sanatur.*"

4. Apostolus ad Eph. (v. 26.), dicit Ecclesiam *mundari lavacro aquæ:* et S. Fulgentius, lib. de Fide ad Petrum, regula 30., vocat baptismum

sacramentum fidei et pœnitentiæ.—Ergo non est aliud sacramentum pœnitentiæ quo a peccatis post baptismum commissis homines mundentur.

Resp. *N. Cons.*—Apostolus enim loquitur tantum de modo quo mundantur Ecclesiæ membra quando ad eam aggregantur. S. Fulgentius recte baptismum appellat sacramentum fidei *et pœnitentiæ*, nam ad illum suscipiendum catechumeni per pœnitentiam disponuntur, juxta Petri adhortationem (Act. II. 38.): "Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum."

5. Baptismus per peccatum non deletur. Ergo semper valere potest ad tollenda peccata, quæ post baptismum committantur.

Resp. 1. *Dist. Ant.*—Baptismus *non deletur*, idest, per mortale peccatum, post baptismi susceptionem commissum, non amittitur gratia sanctificans, quam homo in ea susceptione recepit *N.* Baptismus *non deletur*, idest, *character baptismalis* manet, et jus habetur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, quo peccati remissio obtineatur et gratia sanctificans iterum infundatur *C.*—Et *Dist. Cons.* Baptismus ad tollenda peccata post ejus susceptionem commissa valere potest *fundamentaliter* et *præsuppositive*, quatenus est janua omnium sacramentorum *C. Efficienter* sive *de se* sive *memoria sui N.*

Resp. 2.—Objectio quam retulimus, a Calvino proposita et deinde ab adversariis nostris communiter repetita, alludit ad fundamentalem errorem Protestantium circa justificationem et sacramentorum efficacitatem. Juxta ipsos, baptismus significat tantum et obsignat promissiones gratiæ Dei per Christum, et sic excitat fidem qua homo justificatur: hinc aiunt *memoriam* baptismi, semel suscepti, semper operari posse ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum, nam eodem modo excitare potest fidem per quam peccata hæc non imputentur.—Sed uterque error, quoad modum justificationis nostræ et ad efficaciam sacramentorum in nova lege, jam refutatus fuit in Tractatu *de Gratia* et in hoc opere *de Re Sacramentaria*, vol. 1. p. 73. et seqq.

6. Promissio Christi, "Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit" (Marc. XVI. 16.) semper vera est, et fœdus inter Deum et nos in baptismo initum semper manet. Ergo ratione hujus fœderis, et per memoriam baptismi, cum venia culparum post baptismum commissarum, obtineri potest salus.— Eodem modo Judæi reconciliabantur Deo si

recordabantur fœderis in circumcisione cum Deo initi, et egressionis ab Ægypto.

Resp. *Dist. Ant.*—Fœdus in baptismo initum manet *sub conditione* ex parte nostra implenda, nempe si mandata Dei observaverimus et gratiam quam accepimus custodire voluerimus *C.* Secus *Neg.* et *Neg. Conseq.*—Ad *Conf.* Israelitæ solebant in memoriam revocare pactum cum Deo initum, et egressionem ex Ægypto, non quod ea commemoratione purgarentur a peccato, sed ut recordatione beneficiorum Dei, suæque inconstantiæ et ingratitudinis, ad pœnitentiam excitarentur, atque ita divinam clementiam exorarent.

7. Utriusque Testamenti pœnitentia eadem est, tam quæ a Prophetis, quam quæ a Joanne Baptista, a Christo et Apostolis prædicata est. Atqui pœnitentia prædicata a Prophetis sacramentum non erat; neque ea, quam Joannes Baptista et Christus prædicarunt, ut fatetur Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1.: quin et Petrus et Paulus protestantur, se eam pœnitentiam docere, quæ a Prophetis testimonium habet. Ergo pœnitentia novæ legis non est sacramentum.

Resp. *Dist. M.*—Utriusque Testamenti pœnitentia, prout virtus, est eadem *C.* Pœnitentia, quatenus sacramentum, est eadem *N.* et *concessa* 1ª *parte Assumpt., ad ejus alteram partem*

Resp.—Quod Joannes et Christus prædicarint pœnitentiam, seu virtutem pœnitentiæ, quæ erat dispositio necessaria ad baptismum: sacramentum autem pœnitentiæ tunc prædicari et suaderi non poterat, eo quod post Christi resurrectionem institutum fuerit: verba enim Christi Matth. (XVI. 19.): "Tibi dabo claves regni cœlorum," etc. Et (XVIII. 18.): "Quæcumque alligaveritis super terram," etc. promissiones futuræ potestatis tantum erant.—Petrus vero Act. (x. 43.) ait, Prophetas testari remissionem peccatorum futuram Christi nomine: et Paulus (Act. XXVI. 20.) indicat pœnitentiam, qua infideles ad baptismum præparantur, addens, a Prophetis prædicta fuisse mysteria adventus, passionis et resurrectionis Christi.

8. Christus, quando peccata remisit, non adhibuit ritum externum. Ergo cum dixerit "sicut misit me Pater et ego mitto vos" (Jo. XX. 21), nullam potestatem dedit Apostolis remittendi peccata per ritum externum.

Resp. *Trans. Ant.* et *Nego Conseq.*—Patet etenim voce *sicut* significari quidem potestatem remittendi peccata a Christo Apostolis communicatam, at non significari eam potestatem ab Apostolis eodem modo sicut a Christo esse exercendam. Christo competebat modus remittendi peccata longe excellentior, atque ab omni ritu externo independens ;—Apostolis, eorumque successoribus, nonnisi ministerialis modus attribuitur, qui sensibilem cognitionem causæ, et sententiam sensibili modo ferendam, omnino requirit. Vide ea, quæ hac de re habentur hujus operis vol. 1. a. 1. p. 120. et seqq.

ARTICULUS SECUNDUS

De natura sacramenti pœnitentiæ.

Veritate sacramenti pœnitentiæ asserta et vindicata, ad ejus naturam penitius investigandam gradum facimus, inquirentes modum quo Christus ad salutem fidelium animarum sacramentum hoc instituit.—Sane in præcedenti articulo jam probavimus Christum potestatem remittendi fidelium peccata dedisse Apostolis et eorum successoribus ; at hujus potestatis natura nunc est elucidanda ; siquidem adversariorum impetus eo maxime tendunt ut negent, quod fide catholici hac in re tenent, nimirum potestatem illam esse judicialem ; et ex hujus veritatis demonstratione, gravissimæ pendent consecutiones, quarum prima est, confessionem peccatorum a Christo Domino fuisse præscriptam ad obtinendam eorum remissionem in sacramento.

Etenim si Christus voluit sacerdotes esse peccatorum judices super terram, ita ut in sacramento pœnitentiæ judicium de peccatis ferant et juxta hoc judicium pœnitentibus peccata remittant ; cum judicium ferri nequeat sine cognitione causæ, necesse est, ut sacerdotes peccata cognoscant.—Sed peccata, de quibus judicare debent, cognoscere nequeunt, nisi per spontaneam pœnitentium confessionem ; sive, ut patet, de peccatis internis agatur ; sive de externis occultis, sive etiam de peccatis publicis, quorum malitia plurimum pendet ab intentione delinquentis, et ab aliis internis ac occultis adjunctis.—Ergo sacerdotes, ut peccatorum judicium in sacramento ferant, et judiciali potestate pœnitentibus

peccata remittant, horum peccatorum confessionem excipere debent; et Christus cum peccatorum judices voluit esse sacerdotes, sacramentum pœnitentiæ instituit ad modum judicii, ac divino jure statuit confessionem peccatorum necessariam ad sacerdotis absolutionem obtinendam in sacramento.

Hæc confessio, divinitus instituta, communiter a Theologis ita describitur: *accusatio peccatorum propriorum post baptismum commissorum, legitimo sacerdoti a pœnitente facta, ad eorum absolutionem virtute clavium obtinendam.*

Dicitur 1.—*Accusatio,* quia non est historica quædam narratio, aut excusatio, aut ostentatio; sed accusatoria peccatorum enumeratio, eo animo facta ut per eam etiam peccata a nobis commissa vindicare aliquatenus cupiamus: 2.—*peccatorum propriorum,* quia peccata quorum pœnitens est reus, non aliena accusanda sunt: 3.—*post baptismum commissorum,* nam peccata ante baptismum commissa nonnisi salutari hoc lavacro deleri debebant: 4.—*legitimo sacerdoti facta,* idest, non laico, non clerico inferiori, immo nec cuilibet sacerdoti, sed necessariam jurisdictionem habenti, cum nonnisi hic validam absolutionem impertire possit; ut patebit inferius: 5.—*ad obtinendam absolutionem,* ut confessionis finis indicetur: 6.—*virtute clavium,* ut declaretur sacerdotem absolvere pœnitentem auctoritate Christi, qui potestatem ligandi atque solvendi Ecclesiæ contulit.

Quod Latini confessionem appellant, ἐξομολόγησιν Græci vocant; etsi hoc ipso nomine quandoque totam publicæ et laboriosæ pœnitentiæ actionem significent, aut tertium ipsius gradum, qui *substratio* dicebatur, quique in fletu, mœrore, jejuniis, aliisque carnis macerationibus transigebatur.

Confessio peccatorum duplex esse potest, *publica* nempe aut *secreta. Publica* est, si pœnitens peccata sua coram hominum multitudine, elata voce, enuntiaret; ac talem apud veteres in usu fuisse, cum de criminibus publicis ageretur, multi contendunt. *Secreta,*—quæ et *auricularis* appellari consuevit, quia communiter ad sacerdotis aures peccata secreto revelantur,—illa est qua pœnitens soli sacerdoti peccata sua pandit. Quoad hunc duplicem confitendi modum Concilium Tridentinum (sess. 14. c. 5.) statuit: "Quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scele-

rum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda."

Dogma catholicum de necessitate confessionis ad obtinendam peccatorum absolutionem in sacramento pœnitentiæ hæretici antiquiores fassi sunt. At sæculo XIV., Wickleffus confessionem necessariam non esse dixit in casu perfectæ contritionis; quem errorem Synodus Constantiensis et Martinus V., anno 1418., proscripserunt damnatione articuli 7. ejusdem hæretici, ubi legitur: "Si homo fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis."

Sæculo XVI., Lutherus, lib. *De Captiv. Babyl.*, c. de Pœnit., scripsit: "Occulta confessio quo modo celebratur, miro modo mihi placet, et utilis, immo necessaria est; nec vellem eam non esse, cum sit afflictis conscientiæ remedium." Eodem tamen loco tres errores addidit. 1.—Confessionem non posse probari ex Scripturis. 2.—Non esse necessarium omnia peccata gravia confiteri, etiamsi eorum recordetur pœnitens. Siquis enim correptus a fratre, quem forte læsit, agnoscat coram illo peccatum suum, et veniam petat, docet Lutherus eum non teneri peccatum illud sacerdotibus aperire. 3.—Damnat eos qui docent, circumstantias peccatorum, etiam illas quæ speciem mutant, in confessione esse detegendas, dicens: "Ego quidquid est circumstantiarum consuluerim penitus contemnere."

Hinc duo Lutheri articuli a Leone X. damnati per Bullam "Exurge Domine," anno 1520., qui sic se habent: — VIII. "Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur."—Et IX. "Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum."

Deinde in viam erroris semper procedens, Lutherus asseruit, confessionem coram sacerdote non esse a Deo præceptam, et enumerationem peccatorum in confessione debere esse liberam, ut quisque ea quæ voluerit declararet.—Idem quoque statuit *Confessio Augustana*, ubi, articulo 4., *de Confessione*, legitur: "Confessio apud nos non est

abolita, non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis. . . . . . Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta. . . . . Testantur et veteres scriptores enumerationem non esse necessariam. . . . Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates, apud nos retinetur."

Confessionis praxim apud suos sic descripsit Martinus Chemnitius, (2. p. Exam. cap. 5. de Pœnit.). "Privatæ," inquit, "confessionis usus apud nos servatur, ut generali professione peccati, et significatione pœnitentiæ petatur absolutio. Cumque non sine judicio usurpanda sit clavis, vel solvens, vel ligans, in privato illo colloquio pastores explorant auditorum judicia, an recte intelligant doctrinam de peccatis exterioribus et interioribus, de gradibus peccatorum, de stipendio peccati, de fide in Christum: deducuntur ad considerationem peccatorum: explorantur an serio doleant de peccatis, an iram Dei timeant et cupiant illam effugere, an habeant propositum emendationis: interrogantur etiam si in certis quibusdam peccatis hærere existimantur: traditur illis doctrina et exhortatio de emendatione, quæritur vel consilium vel consolatio in gravaminibus conscientiæ: et tali confessioni impertitur absolutio."

Non longe aliter Calvinus docuit:—etenim confessionem neque necessariam, neque a Christo institutam, sed ab Innocentio III. inductam esse autumavit, quamque tamen liberam, et secundum electionem pœnitentis, ad solatium in ea inveniendum commendavit. "Ergo," inquit (lib. 3. Inst. c. 4. s. 12.), "id officii sui unusquisque fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur et afflictatur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio nequeat, non negligere quod illi a Domino offertur remedium, nempe ut ad se sublevandum privata confessione apud pastorem suum utatur, ut ad solatia ibi adhibenda privatam ejus operam imploret; cujus officium est publice et privatim populum Dei evangelica doctrina consolari. Verum ea moderatione semper utendum est, ne ubi Deus nihil certum præscribit, conscientiæ certo jugo alligentur. Hinc sequitur ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur, qui ea se habere opus intelligent. Deinde, ne ipsi, qui ea utuntur, pro sua necessitate ad

enumeranda omnia peccata, vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur, sed quoad interesse sua putabunt, ut solidum consolationis fructum referant."

Adversus has Novatorum sæculi XVI. aberrationes, Concilium Tridentinum, sessione 14., definivit:—

Can. 6. "Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit."

Can. 7. "Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit."

Can. 8. "Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit."

Can. 9. "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit."

Itaque controversia inter Catholicos et Protestantes circa confessionem sacramentalem unum spectat, nimirum necessitatem ejus ex institutione Christi ad sacramenti pœnitentiæ susceptionem;—quod ex alio pendet, scilicet ex institutione hujus sacramenti ad modum judicii, et ex pote-

state judiciali collata Apostolis, et eorum successoribus, in causis peccatorum. Si hæc constat, omnia et singula peccata, quorum memoria, cum debita et diligenti præmeditatione, habeatur, etiamsi interna sint et secretissima, omnesque circumstantiæ, quæ speciem peccatorum mutent, revelari debent in confessione, ad absolutionem recipiendam ; cum, sine hac manifestatione, sacramentum pœnitentiæ ministrare nequeant ad modum judicii, quo discernant utrum peccata absolvi debeant necne, quænam pro peccatis satisfactiones sint imponendæ, quænam remedia, ut vitentur in posterum lapsus, sint præscribenda.

Statuitur ergo

THESIS XIV.

Sacramentum pœnitentiæ institutum a Christo fuit ad modum judicii, quo fideles omnia peccata sua sacerdoti aperire teneantur, ut ab eo sententiam absolutionis excipere valeant.

Probatur thesis I. *Ex Scripturis.*—Tria loca ad rem nostram palmaria sunt. Etenim apud Matthæum (XVI. 19.) Christus Petro declarat: "Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis."—In eodem Evangelio (XVIII. 18.) omnibus Apostolis Christus dicit: "Amen, dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo."—In Evangelio Joannis (XX. 23.) Apostolis et eorum successoribus potestatem remittendi et retinendi peccata jam promissam, Christus his verbis tradit: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt."—Et ex his locis ita argumentamur:

In testimoniis citatis legitur, Christum Apostolos et eorum successores constituisse *judices* in causis peccatorum, *cum vera potestate absolvendi aut retinendi peccata* in sacramento pœnitentiæ.—Ergo Christus sacramentum pœnitentiæ instituit ad modum judicii, in quo, cognita peccatorum causa, fideles absolutionis sententiam recipiant a sacerdotibus.

Consecutio patet: et quod antecedens spectat, ex thesi XIII. ut demonstratum assumimus, potestatem, de qua agimus, collatam fuisse non Apostolis tantum, sed eis et eorum successoribus, atque in sacramento pœnitentiæ eamdem potestatem excercendam esse. Quamobrem de-

monstrari solum debet hanc potestatem esse *vere judicialem*, ita ut sacerdotes *vere* et *ex auctoritate* peccata absolvere valeant, aut retinere. Id autem evincitur sequenti pacto.

a) *Ex metaphora clavium.*—Profecto claves non dantur ad significandum ostium esse clausum vel apertum, sed ad illud claudendum et aperiendum:—similiter claves dantur apud homines in signum traditæ potestatis;—et cum in Apocal. de Christo legitur (III. 7.): "Qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit," omnes nomine *clavis* significatam intelligunt *veram et proprie dictam potestatem*, qua Christus, *auctoritate judiciaria* absolvere et ligare valeat; non autem declarare tantum quis ligatus sit quis solutus.—Ergo quum suas claves Christus cum Apostolis eorumque successoribus communicavit, *veram potestatem* ligandi atque solvendi *auctoritate judiciali* communicavit.—"Quod ad Petrum Dominus dicit, idem valet," inquit Ricardus a Sancto Victore (*de Potestate ligandi atque solvendi*, c. 12), "ac si aliis verbis diceret, quod ligatum aut solutum fuerit a te, ligatum vel solutum erit et apud me. Qui a te debitæ satisfactionis injunctione constringitur, apud me ejusdem satisfactionis debitor tenetur; et qui a te debitam peccatorum suorum absolutionem meruit, ex meo judicio pro hac parte ulterius arctari non poterit."

b) *Ex metaphora ligandi atque solvendi.*—Ligare enim et solvere non significant declarare aliquem ligatum, aut a vinculis solutum, sed revera eum vinculis alligare, aut ab eisdem eum solvere. Nec Dominus dixit: *quæcumque solveritis, erant soluta;* sed *quæcumque solveritis, soluta erunt.*

c) *Ex verbis quibus potestas confertur* remittendi peccata vel retinendi.—Nam ille qui potest vel remittere peccata, vel non remittere et retinere, habet *potestatem* vere *judicialem*; cum ille vere judex in aliqua causa sit constitutus, qui potestatem habeat pronuntiandi absolutionem aut condemnationem ejus cujus causa judicanda est.

II. *Ex Traditione* disertissime thesis quam defendimus, confirmatur. Ut brevitati ac perspicuitati simul consulamus, testimonia Patrum in quasdam classes redacta hic proferimus.

1. Patres potestatem a Christo collatam sacerdotibus esse vere judicialem, ad causas peccatorum judicandas, aperte testantur.

S. Joannes Chrysostomus, loco superius citato, (de sacerdotio, lib. 3.

—c. 5.) commemorans verba Salvatoris: "*Sicut misit me Pater*" etc., ait: "Pater omne judicium Filio dedit; ceterum video, *ipsum omne judicium a Deo Filio illis traditum.* Nam quasi jam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt."—Et in illud: "*Vidi Dominum*," (Hom. 5. n. 1.) inquit: "a terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum; et *quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in supernis* comprobat."

S. Hieronymus (Com. in Matth. XVI. 19.) scribit: "Pro officio suo [sacerdos] *cum peccatorum audierit varietates*, scit qui ligandus sit, quique solvendus."—Et ad Heliodorum (Ep. 14. n. 8.): "Absit ut de his quidquam sinistre loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo *ante diem judicii judicant.*"

S. Hilarius (in cap. XVI. Matt.) exclamat: "O beatus cœli janitor! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, *cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo;* ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo."

S. Athanasius (Tract. in illud: *Euntes in pagum* etc.) ita loquitur: "*Si nondum soluta sunt vincula tua*, trade teipsum discipulis Jesu; adsunt enim *qui nos solvant*, accepta ea a Salvatore potestate, his verbis: *Quodcumque ligaveritis* etc."

His aliisque innumeris quæ citari possent testimonia, addenda etiam sunt quæ dedimus in thesi præcedenti.

2. Patres indubie statuunt potestatem acceptam nonnisi post examen causæ exercendam esse a sacerdotibus.

S. Cyprianus Epistola synodica ad Cornelium (Ep. 12. al. 54. n. 5.) declarans imminentem esse persecutionem, ait: "Ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humanæ crudelitatis, quam divinæ et paternæ pietatis opponimus, oves nobis commissæ a Domino reposcantur; placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente et Domino per visiones multas et manifestas admonente, quia hostis imminere prænunciatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, et *examinatis singulorum causis*, pacem lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere."—Et in Ep. 11. ad Antonianum (n. 29.): "Quod si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque

exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus, et pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos *confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest,* qui ex toto corde pœnituerint et rogaverint, in Ecclesiam debent interius suscipi et in ipsa Domino reservari."

S. Innocentius I. in Ep. 25. ad Decentium (c. 7.) scribit: "De pondere *æstimando* delictorum, sacerdotis est *judicare,* ut attendat ad *confessionem pœnitentis,* et ad fletus et lacrymas corrigentis, et *tunc* jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem."—Et S. Gregorius M. (Hom. 26. in Joan. xx.): "Ecce . . . principatum superni judicii sortiuntur discipuli, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. . . . . Horum profecto in Ecclesia episcopi locum tenent. . . . . Grandis honor, sed grave pondus . . . . . . *causæ pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda.*"

3. Patres confessionem peccatorum ita necessariam esse credunt ut omnino perire affirment eos qui revelare crimina quæ commiserint erubuerint.

Tertullianus in libro *de Pœnitentia* (cc. 8. 9.): "Tantum," inquit, "relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio, contumaciæ.... Hujus igitur pœnitentiæ secundæ et unius quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur." Cap. 10. "Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo; pudoris magis memores, quam salutis. . . . Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?*" Et capit. 12. "Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi *exolomogesis extinguit;* et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. . . . . Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, *esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris?*"

S. Cyprianus, in libro *de lapsis,* urgens necessitatem confitendi omnia

peccata etiam occultissima sacerdoti, ut absolvi possint, ait (cap. 26.): "Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur, quam multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur. . . . . . Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cum timere plus debeat quam sibi Dei judicis ira servavit. . . . . Quanto et fide majores et timore meliores sunt qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen *de hoc vel cogitaverunt*, hoc ipsum *apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes*, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: *Deus non deridetur* (Gal. VI. 7.). Derideri et circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit qui secundum hominem Deum cogitans evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit. . . . Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, *dum admitti confessio ejus potest*, dum satisfactio et *remissio facta per sacerdotes* apud Dominum grata est."

Origenes, Hom. 2. in Levit. (n. 4.) inquit: "Est adhuc . . . licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum*, et quærere medicinam, secundum eum qui ait (Psalm. XXXI. 5.): 'Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.' "—Et Hom. 3. (n. 4.) declarans omnia peccata manifestanda esse postea in condemnationem, nisi nunc in pœnitentia, humili confessione, ad salutem manifestentur ait: "Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel *etiam intra cogitationem secreto commisimus*, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo qui et accusator peccati est et incentor. Ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus. Sic enim et alibi propheta dicit: 'Dic tu,' inquit (Isa. XLIII. 26.), 'iniquitates tuas prior, ut justificeris.'. . . . *Si prior dixeris*, et sacrificium pœnitentiæ obtuleris . . . . et tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus salvus fiat in die Domini, dicetur et tibi, quia recepisti et tu in vita tua mala, nunc

vero hic requiesce."—Similia invenies apud Originem Homil. 2. in Ps. XXXVII. 1. 6.

4. Patres comparationem instituunt inter corporis infirmitates, et peccata ; et aiunt quemadmodum salutem corporis obtinere non possumus, si infirmitates nostras corporales, etiamsi probrosæ et occultissimæ sint, medico non revelamus ; similiter sine peccatorum nostrorum accusatione facta sacerdoti adipisci salutem animæ non valemus.

Ita S. Pacianus, in *Parœnesi* ad pœnitentiam (nn. 6. 8.): "Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis : vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis et *erubescitis confiteri*. . . . Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite *vulneratam tegere conscientiam.* Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. . . Et quantum est illud quod homines præstiterunt ? Peccator timebit ? Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari ?"

Et S. Asterius Amasenus (Hom. 13. Adh. ad Pœnit.—Migne t. 40. pag. 370.) ita ad confitenda peccata hortatur pœnitentes: "Afflictionis participem et socium sume sacerdotem, ut patrem. Quis enim tam falso nominatur pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mœrentibus doleat, et gaudentibus lætetur ? . . . Major tibi in eo fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es. *Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana, tamquam occulta vulnera, medico retege.* Ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit."

Et, eodem sæculo, S. Hieronymus scribebat (in cap. 9. Eccles.): "Si quem serpens diabolus momòrderit, et *nullo conscio* [idest, occulte] eum peccati veneno infecerit ; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.*"

5. Patres aiunt confessionem peccati factam sacerdoti esse pro peccato admisso satisfactionem quamdam, quam Deus exigit ut det peccatori veniam.

En verba Lactantii (lib. 4. Instit. c. 17.): "Ob hanc causam Deus circumcisionem Judæis præcipiendo, nudari pudendam corporis partem jussit, ut hoc argumento nos admoneret, *ne involutum pectus haberemus*, idest, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus. . . . Volens enim vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere. pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, *ut si cor nudaverimus*, id est, *si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus*, veniam consequamur; quæ contumacibus, *et admissa sua celantibus* denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur."

6. Patres docent confessionem peccatorum sacerdotibus esse faciendam, *ex necessitate divini mandati*, ob quam nemo sine confessione veniam impetrat delictorum.

S. Joannes Raithuensis, sæculo VI., scholiis in S. Joannis Climaci opus, cui *Scala Paradisi* titulus est, in *Gradum quartum*, ad illa verba Climaci, "nemo sine confessione veniam delictorum impetrat," scribit (Migne, P. G. tom. 88. p. 1222.): "Quia confiteri simpliciter peccata tenemur *ex necessitate divini mandati*, patet ex Apostolicis traditionibus, et regulis ab eis propositis Ecclesiæ Catholicæ, per Spiritum Sanctum; quorum canones et instituta tenentes, *Dei sacerdotibus* (juxta eorum præceptum) *peccata confitentes*, indulgentiam et remissionem accipere efficimur digni: propterea, *qua sine*, dicit Sanctus Pater, *nemo* videbit Deum."

7. Patres statuunt peccata necessario deferenda esse ad Ecclesiæ Antistites per quos potestas clavium administratur; publicam autem pœnitentiam quorumdam delictorum ex eorum pendere judicio.

S. Augustinus (Serm. 351. al. 51. c. 4. n. 9.): "Quisquis ergo," inquit, "post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare?... Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum . . . veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utili-

tati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem."

Et S. Leo M. ad episcopos Campaniæ scribens (Epist. 168. al. 136.), ait: "Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: . . . . ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.*"

8. Patres admonent confessionem criminis factam Deo soli a pœnitente non sufficere, sed necessariam esse confesssionem ejusdem criminis factam sacerdoti.—Fidem Orientalis atque Occidentalis Ecclesiæ ostendant Origenes et Augustinus.

Origenes (Hom. 17. in Luc.) in verba, "*ut revelentur ex multis cordibus cogitationes,*" ait: "Unde et nos si peccaverimus, debemus dicere: 'Peccatum meum notum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi. Dixi annuntiabo injustitiam meam contra me Domino' (Ps. XXXI. 5.). Si enim hoc fecerimus et revelaverimus peccata nostra *non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis,* delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: 'Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas et sicut caliginem peccata tua' (Is. XLIV. 22.)."—Et Hom. 2. in Psal. XXXVII. inquit: "Circumspice diligentius, *cui debeas peccatum tuum confiteri.* Proba prius medicum [quem Homil. 2. in Lev. dixit esse *sacerdotem Domini*], cui *debeas* causam languoris exponere."

S. Augustinus in Serm. 392. (alias 49. inter Hom. 50. c. 3. n. 3.) ita alloquitur conjugatos: "Audite me fideles, id est, baptizati. Quare moriemini jam renati? Quando baptizati per vias tortuosas et lubricas et immundas itis, nescitis quia peritis? Peritis, filii mei, credite. . . . . Apertius dico: nemo dicat, non intellexi. Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. *Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago:* novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: 'Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo' (Matt. XVIII. 18.)? *Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei?* frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus?"

III. Praxim confessionis, ejusque ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum necessitatem, ostendunt *Concilia ;* et ex antiquioribus quædam citamus.

Concilium Laodicenum, anno 372. can. 2. ait: "De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, et perseverantes in oratione confessionis et pœnitentiæ conversionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus, post pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam et bonitatem Dei, communio concedatur."—Et Concilium Carthaginense III. anno 397. can. 31. statuit, "ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur."

Concilium Remense, circa an. 630. can. 8. statuit: "Nemo tempore quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem."—Et Concilium Trullanum, seu Quini-sextum an. 692. can. 102. hæc habet: "Oportet autem eos, qui ligandi et solvendi potestatem a Deo acceperunt, peccati qualitatem considerare, et ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium; et sic morbo convenientem adhibere medicinam."

Concilium Leodiense, anno 710. can. 3. præscribit: "Ut presbyter proprius alia sacramenta ecclesiastica administrat, ita et saltem semel in anno ei confiteantur sua peccata subditi."—Concilium Calchutense (in Northumbria) an. 787. c. 20. inquit: "Juxta judicium sacerdotum, et modum culpæ Eucharistiam sumite, et fructus dignos pœnitentiæ facite. . . . . Si quis autem (quod absit) sine pœnitentia aut confessione de hac luce discessit, pro eo minime orandum est."

In Regula Chrodegangi Episcopi Metensis, an. 762. c. 31. *de Confessionibus*, legitur: "Necesse est ut dum modo suadente diabolo multa contra voluntatem et præceptum Dei commisimus, per veram humilitatem et confessionem emendemus." Et c. 32., ubi ordo traditur confessionis faciendæ: "Quando volueris confessionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, et noli erubescere, quia *inde venit indulgentia, et sine confessione non est indulgentia.*" Ibi autem peccata, *de quibus interrogandus est pœnitens,* commemorantur. "Hæc sunt mala cogitatio malus sermo" etc. etc.

Concilium Turonense III., an. 813. can. 22. ita loquitur: "Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta

modum peccati pœnitentibus abstinentia indicetur, quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus, et indiscrete hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus."—Et Concilium Ticinense, an. 855. declarat: "Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur, quibus episcopi et plebium archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint."

Demum Concilium Wormatiense an. 858. can. 25. dicit: "Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum, et affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare manifesteque cognoscere; temporum etiam et personarum, locorum quoque et ætatum qualitates inspicere."—Et Concilium Brandanfordense, in Anglia, an. 959., vel 964. canon. 1. peccatores ad delicta sine erubescentia manifestanda excitat, "quia inde venit indulgentia; et quia sine confessione nulla est venia: confessio enim sanat, confessio justificat."

IV. *Facta quædam insignia* ab historicis commemorata confessionem peccatorum, ad eorum veniam obtinendam, semper usu in Ecclesia fuisse luculente ostendunt.

S. Irenæus, sæculo II., de discipulis Marci hæresiarchæ refert (adv. hæres. l. 1. c. 13. n. 7.): "Multas seduxerunt mulieres, quæ cauterizatas conscientias habentes, quædam quidem *etiam in manifesto exomologesin faciunt;* quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt desperantes a vita Dei; quædam quidem in totum abscesserunt, quædam autem inter utrumque dubitant."

Eusebius (l. 6. Historiæ Eccles. c. 34.) scribit Philippum Cæsarem in Ecclesia cum reliquo populo admissum non fuisse "priusquam *confessionem scelerum fecisset,* iisque qui humanitus lapsi fuerant, et in pœnitentium ordine stabant, sese adjunxisset."

S. Ambrosii modum excipiendi pœnitentium confessiones ita ejus notarius Paulinus S. Augustino narrat (in Vita S. Ambrosii n. 39.): "Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quæ illi confitebatur,

nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines."

In Vita S. Hilarii Arelatensis ab ejusdem discipulo conscripta, c. 13. legitur: "Quotiescumque pœnitentiam dedit, sæpe die dominico ad eum turba varia confluebat, volabat ad ejus castigationem; quicumque adesse volebat, lacrymarum se imbribus eluebat, cœlestibus judiciis territus promissisque succensus: tanti gemitus, tanti fletus astantibus nascebantur, ut vitæ præsentis horreret habitaculum."

Qualis esse debuerit sacerdos ad audiendas fidelium confessiones indicatur ab auctore libri *De vera et falsa pœnitentia* (inter opera S. Augustini—Migne t. 40. p. 1129.), et qualis confessio fuerit ex eo deducitur. "Oportet," inquit (cap. xx.), "ut sciat cognoscere quid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat. Diligens igitur inquisitor, subtilis investigator, sapienter et quasi astute interroget a peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum, et tempus, et cetera quæ supra diximus in exponendo eorum qualitates. Quibus cognitis adsit benevolus, paratus erigere, et secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. Adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, et cetera bona pro eo faciendo. Semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit etiam increpando: doceat loquendo, instruat operando."

Ab anno 700. rem vulgatissimam fuisse ut Principibus confessarii ex munere essent, ostendit Joannes Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Benedicti.

V. Confessionem omnium peccatorum esse sacerdoti faciendam demonstrant *Libri Pœnitentiales.*

Ne sim infinitus tria documenta insignia solum commemorabo.

Sæculo VI., Joannes, ad Patriarchalem Constantinopolitanam sedem evectus anno 586., vulgo *Jejunator* dictus, apud Græcos celeberrimus, quem S. Sophronius *virtutis domicilium* appellavit, in libello cui titulus est, *Ordo erga eos qui peccata confitentur,* postquam initio scripserit: "Assumit sacerdos peccata confessurum, et sistit eum coram altari, cantatque cum eo trisagion," etc.; ita prosequitur (Migne, t. 88.

pag. 1890.): "Postea . . . . . . sic eum instituit et catechizat: Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit, et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur, sicut per propriam vocem ipse declaravit, cum secundum multam quæ exprimi non potest ejus misericordiam ita dixit: 'Quæcumque ligaveritis, aut solveritis super terram, erunt in cœlis,' illa quidem *ligata*, hæc vero *soluta* (Matth. XVI. 19.). Revela igitur et declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confiteris."—Deinde addit: "Postea si vir est qui confitetur, monet eum ut caput aperiat, sicut dictum est, licet diadema gestet: non autem si mulier. Si vero abbas, cucullum, qui super caput ejus est, deponere jubeat, deinde procidere ante altare, et dicere: 'Confiteor' etc. . . . . . . Postquam autem hæc verba protulit . . . . . . eum interrogat cum omni hilaritate et benignitate . . . . . ipsique mansueta et serena voce dicit." Atque hic peccata secundum species diversa recenset, et expresse admonet: "Hæc in primis confessorem oportet interrogare confitentem. . . . Ante enim omnia *numerus quæritur et personarum differentia.*"

In vetustissimo Codice Manuscripto Bibliothecæ Corbeiensis, cui titulus est *Ordo Orationum*, habetur Confessio S. Fulgentii [Ruspensis, aut Astigitani; sed uterque pertinet ad VI. sæculum], seu praxis ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ; et ibi legitur (Vid. D. H. Menardi in S. Gregorii M. lib. sacram. not. 661.—Migne t. 78. p. 440.): "Ego confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, coram hoc altari tuo sancto, et istius loci reliquiis, et coram hoc sacerdote tuo, omnia peccata mea, et omnia quæcumque Dei pietas ad memoriam reducit de cogitationibus turpibus, sive sermonibus otiosis, et immundis, et quod ego contra præceptum Dei feci. Confiteor etiam omnia cordis et corporis mei vitia, sacrilegium [Leg. sacrilegia], invidias, detractiones," etc.

S. Egbertus Archiepiscopus Eboracensis, anno 735. creatus, librum pœnitentialem edidit, quem invenies inter opera Patrum (Migne, tom. 89. pag. 401.). Ibi initio hæc verba leguntur: "Cum quis ad pœnitentiam suam abit, tunc cum maximo timore Dei et humilitate coram ipso se extendat; et oret flente voce, ut eum pœnitentiam facere doceat omnium eorum delictorum quæ adversus Dei voluntatem fecerit; et

confiteatur illi malefacta sua, ut sacerdos sciat quam pœnitentiam ipsi imponere debeat. Tunc sacerdos eum interroget, quamnam fidem in Deum habeat; et ipsum vario modo exhortetur ad animæ suæ necessitatem, et admoneat, ac ita dicat: Credisne in Deum omnipotentem, et in Filium, et in Spiritum Sanctum .... et oro te, ut mihi dicas omnia quæ unquam malefecisti, quoniam tibi expedit pudefieri nunc hic coram me solo misero, quam deinde coram Deo in magno judicio, ubi cœlicolæ, et terricolæ, et inferi omnes erunt congregati."

VI. Huc demum accedunt doctrina de divina confessionis institutione ac necessitate, et confessionis usus, apud Græcos, Armenos, Coptos, Æthiopes, ceterasque orientales sectas Nestorianorum et Monophysitarum, quæ a sæculo V. ab Ecclesia Romana divisæ sunt. Hæ profecto sectæ, doctrina et praxi confessionis, manifeste ostendunt necessitatem revelandi peccata in sacramento pœnitentiæ sacerdoti, non ab Innocentio III. fuisse impositam, ut proterve et impie Calvinus effutivit, sed ab ipso Christo, quemadmodum ante separationem perpetua Traditione crediderant, et post separationem, in hoc non errantes, a sæculo V. credunt.

Objicitur

1. Non legimus Apostolos compulisse fideles ad confessionem peccatorum apud se faciendam:—immo Paulus solum exigit a fidelibus propriæ conscientiæ discussionem ut digne accedere possint ad sacram synaxim, dicens (I. Cor. XI. 28.): "Probet autem seipsum homo."

Resp. 1.—Non desunt qui confessionis praxim, immo necessitatem, ostendant ex verbis Jacobi (v. 16.): "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini," juxta quem sensum, Venerabilis Beda, aliique Patres citata verba intellexerunt. 2.—Etsi concedatur in libris N. T. descriptam praxim confessionis non inveniri, nihil ex eo deduci potest. Constat enim ex Evangelio Christum confessionem instituisse, et ex antiquissimis Traditionis documentis apparet confessionem fuisse necessariam ad obtinendam absolutionem peccatorum in sacramento pœnitentiæ.—Ad confirmationem ex Paulo, respondetur, Apostolum præscripsisse probationem, antequam Eucharistia sumatur, non qualemcumque, sed juxta mandatum Christi præceptam.

2. Celeberrimum est Nectarii episcopi Constantinopolitani factum,

quod anno 390. contigit. Cum enim nobilis quædam mulier patefecisset in confessione se turpem cum diacono consuetudinem habuisse, et "cum eam ob causam," inquit Socrates (Hist. l. 5. c. 19.), "ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Ecclesiæ presbyter Alexandria oriundus, episcopo Nectario suasit, ut pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret; unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere." Ex hac vero narratione infert Calvinus cum Kemnitio et aliis: ergo auricularis confessio abolita fuit; confessio igitur est ecclesiasticæ institutionis. Infert autem Dallæus: ergo nondum auricularis confessio Nectarii ætate vigebat, alioquin ejus meminissent Socrates, Sozomenus et Nicephorus qui hanc historiam referunt.

Resp. *Neg. has conseq.* — Nam Nectarius solum abolevit munus presbyteri pœnitentiarii, institutum sæc. III. post Decii persecutionem, ut refert idem Socrates (initio cap. cit.). Hujus porro pœnitentiarii munus erat non modo excipiendi secretam et sacramentalem confessionem, verum etiam inquirendi, si opus esset, pro delicti qualitate, in delinquentes, adigendi pœnitentes ad denuntiandos quosdam peculiares peccatores, processus instituendi, et episcopum informandi, ut posset in ipsos procedere, uti contigit in facto nobilis illius mulieris, quæ ab historicis ecclesiasticis commemoratur.—Etenim illa mulier duplicem fecit confessionem, ut refert Socrates; in priori confessione "delicta post baptismum a se patrata singillatim confessa erat;" deinde, seu, ut idem scribit Socrates, "progressu temporis, mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse." Jam vero in posteriori tantum hac confessione compulsa est mulier ad diaconum denuntiandum, qui propterea ab Ecclesia ejectus est; et inde oborta populi indignatio et dicteria in ecclesiasticos viros. Hoc igitur tribunal, et quidem ad tempus, in Ecclesia Constantinopolitana abrogatum fuit, et confessio ad pristinam simplicitatem revocata.—Sane Sozomenus, qui idem factum refert, (lib. 7. cap. 16.), ac solum 40. an. post Nectarium scribebat, pro certo sumit ad peccatorum remissionem obtinendam necessariam esse confessionem: "Cum in petenda venia peccatorum," inquit, "necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum est, sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare."—Et

præterea ipse Sozomenus aperte declarat confessionem publicam tantum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana abolitam; immo hanc confessionem ait etiam apud hæreticas sectas tunc observari et in omnibus Ecclesiis occidentalibus, ac præcipue in Ecclesia Romana, in qua eam episcopi "jam inde *ab ultima vetustate* ad nostram *usque ætatem* custodiunt."

Quamobrem ex facto Nectarii quin difficultas oriatur contra necessitatem confessionis sacramentalis, potius confessionis praxis plenissima luce ostenditur et ejusdem confessionis necessitas confirmatur.

3. S. Joannes Chrysostomus, Nectarii successor in sede Constantinopolitana, pluribus in locis declarat Deum nihil aliud exigere, nisi quod sibi soli dicatur peccatum, et hanc confessionem sufficere.

Resp. *Dist.*—S. Doctor ait Deum nihil aliud exigere præter confessionem sibi facendam, ad impetrandam veniam peccatorum per contritionem perfectam, quæ tamen includit votum confessionis postea faciendæ in pœnitentiæ sacramento *C.* Secus *N.*

4. Idem S. Joannes Chrysostomus confessioni coram Deo, quam exigit, aliam confessionem homini faciendam, ut minime necessariam, constanter opponit.

Resp. *Dist.*—Confessionem publicam dicit, absolute loquendo, non necessariam *C.* Privatam, seu secretam *N.*—Sacerdotibus peccata aperienda esse ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum, S. Chrysostomum docuisse jam ostendimus in probatione thesis: clarissima enim hæc verba sunt (lib. 3. de Sacerdotio cap. 5.): "Pater omne judicium Filio dedit; ceterum video, *ipsum omne judicium a Deo Filio illis traditum.*"

Sed præterea necessitatem subjiciendi peccata clavibus, et pastoribus Ecclesiæ ea manifestandi ut remittantur, idem Chrysostomus sæpius inculcat disertissime.—Etenim, Hom. 30. in Genesim (n. 1.), ait: "Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio;" et inferius (n. 5.): "Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quæ ad salutem nostram attinent, loqui, et peccata confiteri, et detegere vulnera medico; et sanitatem consequi."—Et Homil. de muliere Samaritana (Hom. 34. al. 33. in Joan. n. 3.): "Eum," inquit, "qui nos judicaturus est, non reformidamus; eos vero qui nullatenus nos lædunt,

perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus. Quapropter eo ipso quod timemus, pœnam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur."—Denique, Hom. 9. in Ep. ad Hebræos (n. 4.), dicit: "Cujusmodi ergo est medicamentum pœnitentiæ et quomodo conficitur? primum, est ex peccatorum suorum condemnatione et declaratione." Tum addit: "Quod oporteat et se *in sacerdotes* ut convenit, gerere." Tandem (n. 5.) modum confitendi adducit: "Sin autem dicit, sum peccator; ea autem per species non cogitat et supputat, et non dicit: hoc et illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis."

5. Confessio omnium peccatorum est impossibilis defectu tum memoriæ, tum cognitionis.

Resp. *N.*—Etenim non tenemur nisi ad confitenda peccata, quæ post diligens examen cognoscimus nos commisisse. "Impium est," inquit Concilium Tridentinum (sess. 14. cap. 5.), "confessionem impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: 'Ab occultis meis munda me Domine."

6. Confessio periculi plena est et perniciosa, sive pœnitenti, qui ex facilitate veniæ ansam sumit in pejus corruendi; sive confessario, qui propter peccatorum distinctam enarrationem factam a pœnitentibus gravissimis tentationibus exponitur; sive reipublicæ, cum adversum publicam pacem multa in secreto confessionis alloquio pœnitentibus inculcari possent.

Resp. *N.*—Pericula et abusus, quæ occurere possent occasione confessionis, vitia essent hominum, non ipsius confessionis:—et hæc etiam rarissima.

Quot vero emolumenta ex confessione profluant eleganter docet Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. nn. 46–49.)

"Primum itaque," inquit, "docendum est, confessionis institutionem nobis summopere utilem atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas, cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit; at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit cum claves regni cœlestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex fidei catholicæ doctrina, omnibus credendum et constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat: etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari.

Verum ex eo præterea licet cognoscere, quantam afferat confessio utilitatem, quod iis quorum corrupta vitæ consuetudo, nihil tam prodesse ad mores emendandos experimur, quam si interdum occultas animi sui cogitationes, facta dictaque omnia prudenti et fideli amico patefaciant, qui eos opere et consilio juvare possit. Quare ad eamdem rationem maxime salutare existimandum est iis qui scelerum conscientia agitantur, ut sacerdoti, tanquam Christi Domini vicario, cui perpetui silentii severissima lex proposita est, animæ suæ morbos et vulnera aperiant; statim enim parata sibi medicamenta invenient, quæ non solum præsentis ægritudinis sanandæ, verum ita præparandæ animæ cœlestem quamdam vim habent, ut deinceps facile futurum non sit in ejusdem morbi et vitii genus recidere.

Neque vero illa confessionis utilitas prætermittenda, quæ ad vitæ societatem et conjunctionem magnopere pertinet: constat enim, si sacramentalem confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse; quæ postea, et alia etiam multo graviora, homines, peccati consuetudine depravati, palam committere non verebuntur; etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati et licentiæ tanquam frenos injicit, et improbitatem coercet."

Immo inter ipsos Protestantes, ne dicam inter incredulos, multi fructus confessionis insignes summis laudibus celebraverunt. Hic solum referam quæ de confessione in suo *Systemate Theologico* Leibnitzius scripserat:

"Hoc [confessionis] institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christiana religione præclarum et laudabile est, quod et Sinenses et Japonenses sunt admirati: nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum obdurati sunt; et lapsis magnam consolationem præstat... prodest enim consilium ejus [Confessarii prudentis ac pii] ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia nostra, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum et reparandum damnum, ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique animæ mala, aut tollenda, aut mitiganda."

ARTICULUS TERTIUS

De amplitudine potestatis judicialis in sacramento pœnitentiæ.

Claves Ecclesiæ concessæ possuntne omnibus fidelibus pœnitentibus aperire cœlum? seu, aliis verbis, potestas judicialis a Christo concessa Apostolis et eorum successoribus exercerine potest circa omnia peccata post baptismum a fidelibus commissa, an quædam crimina tam gravia sunt ut ab hac potestate remitti nequeant?

Sæculo II. Montanus, peccatis in duas veluti classes divisis, docuit alia esse, quæ vel natura sua levia, vel adversus hominem perpetrata, ab Ecclesia condonari possent; et alia, quæ tum propter intrinsecam eorum malitiam, tum eo quod contra Deum commissa essent, remitti nequirent.—Sæculo III. Novatianus initio asseruit peccatum idololatriæ nonnisi a Deo solo absolvi posse, deinde idipsum, ut videtur, quoad cetera peccata a fidelibus commissa post baptismum affirmavit; sæc. vero IV. multi qui e secta erant Novatianorum, potestatem dimittendi leviora tantum peccata sacerdotibus Ecclesiæ concedebant.

At quamprimum in minori Asia Montanistæ errores suos vulgarunt, eos illius regionis episcopi tamquam hæreticos proscripserunt; et Zephyrinus Pontifex Romanus adversus eos promulgavit edictum quo jussit ut

mœchis pœnitentia functis venia concederetur. Novatiani autem Romæ in Concilio LX. Episcoporum damnati fuerunt, et pene eodem tempore in Synodis Antiochena et Carthaginensi. Hoc judicium sæculis posterioribus sæpe confirmatum fuit. Demum Concilium Lateranense IV. capit. 1. statuit: "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari."—Et Concilium Tridentinum, sess. 14. can. 1., definivit: "Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus *quoties* per baptismum *in peccata labuntur* ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit."—Quin etiam, eadem Sancta Synodus, ejusdem sessionis capit. 7. declaravit: "Omnes sacerdotes *quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis* et censuris absolvere possunt."

His autem præmissis, catholicam veritatem, post ea quæ parte prima, articulo tertio, proposuimus, paucis possumus vindicare.

THESIS XV.

Christus Ecclesiæ suæ auctoritatem concessit remittendi in sacramento pœnitentiæ omnia prorsus peccata, quamtumcumque gravia, quæ post baptismum a fidelibus commissa fuerint.

Prob. 1. *Ex Scripturis.*—Christus, nullo facto discrimine peccatorum levium et graviorum, ligandi atque solvendi potestatem Petro promisit (Matth. XVI. 19.): "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis."—Item omnibus Apostolis (Matt. XVIII. 18.): "Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo."—Hanc ipsam potestatem, quam promiserat, contulit (Joan. XX. 23.): "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueristis, retenta sunt."—Ergo omnia peccata fidelium, quantumcumque gravia sint, subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, atque ab ea remitti possunt auctoritate a Christo sibi collata.

2. *Exemplo Apostolorum.*—Etenim S. Joannes Evangelista perditissimum juvenem latrociniis aliisque sceleribus famosum, ad pœnitentiam adduxit, "nec prius abscessit," narrat Eusebius (Hist. Eccl. l. 3. c. 23.),

"quam illum Ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum et iteratæ regenerationis ingens documentum, et conspicuæ resurrectionis trophæum omnibus ostendisset."—Apostolus Paulus (I. Cor. v.) Corinthium quemdam, inaudito vel inter Gentes crimine pollutum, quippe qui uxorem patris sui duxerat, satanæ tradidit in interitum carnis; sed eum, post duram pœnitentiam fideliter peractam, Ecclesiæ restituit, ac veniam delicti in persona Christi indulsit (II. Cor. II.).

3. *Ex Traditione*, cujus evidens testimonium habetur in Decretis, quæ paulo ante commemoravimus, latis adversus Montanistas et Novatianos; quos Ecclesia ideo tamquam hæreticos e sinu suo rejecit, quia potestatem clavium a Christo concessam non extendi ad omnia peccata post baptismum commissa ausi fuerant asserere ac propugnare.

Præterea fidem catholicam de hac illimitata potestate apertissime docent Patres. Testibus superius citatis, præsertim pag. 117. et seqq., pauca hæc addidisse sufficiat.

S. Pacianus, Ep. 3. ad Sempronianum (n. 12.) dicit: "Quæcumque solveritis, inquit [Christus], vel magna, vel modica."—S. Hilarius (in Matth. XVIII. 10.) ait: "Neque fas est, nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta."—S. Ambrosius (de Pœnit. lib. 1. cap. 3. n. 10.) scribit: "Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit."—Et S. Augustinus (libro de Agone christiano, capit. 31.): "Nec eos audiamus," inquit, "qui negant, Ecclesiam Dei omnia posse peccata dimittere. Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt."

Nec præteriri debent hæc duo loca insignia ejusdem S. Augustini.—In Ep. 93. al. 48. ad Vincentium (n. 42.) ait: "Si autem, quod veritas habet et quod Ecclesia merito tenet, recte pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi, qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, *impie utique agebant*, qui membris Christi sanitatem negabant, et claves Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant et misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea sinebat vivere, ut pœnitendo sanarentur sacrificio contriti spiritus et contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant."—Et Serm. 352. al. 27. ex 50. (n. 9.): "Fuerunt qui dice-

rent, quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam, et exclusi sunt de Ecclesia et hæretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia."

Quod si apud Patres antiquiores legimus *unicam pœnitentiam* lapsis in peccatum post baptismum fuisse concessam, id *publicam pœnitentiam* spectat, quæ primis Ecclesiæ sæculis nonnisi *semel* pro gravissimis criminibus agebatur, "ne medicina vilis," ut ait S. Augustinus (Epist. 153., al. 54. ad Macedonium n. 7.), "minus utilis esset ægrotis."

Attamen quod privatam pœnitentis reconciliationem spectat, numquam Ecclesia, præsertim ultimo vitæ periculo, peccatoribus veniam denegavit. "Evidentissime," ait S. Ambrosius (de Pœnit. l. 2. cap. 3. n. 19.), "Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam."—Et S. Cœlestinus Papa I., Epistola 4. ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis (n. 3.), inquit: "Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. *Horremus*, fateor, *tantæ impietatis aliquem reperiri*, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam, sic promittat: 'Peccator,' inquit, 'quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei' (Ezech. XXXIII. 15.). Et iterum: 'Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat' (ib. XVIII. 23.). Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore præteriti pœnitentiam denegarit. Et desperavit de clementia Dei qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit."

4. *Ex aliis de pœnitentia dogmatibus.* Nam ex demonstratis in prima parte, articulo tertio, constat omnia peccata, utut multa aut atrocia sint, expiari in hac vita posse; et ex dictis de contritione perfecta, in eadem prima parte, articulo quinto, constat hominem baptizatum remissionem pro peccatis ab eo patratis obtinere non posse sine dependentia a sacramento pœnitentiæ, quod, ut mox probabimus, constitutum

est pro fidelibus in peccata post baptismum lapsis, medium omnino necessarium ad eorumdem peccatorum veniam consequendam.—Ergo in hoc sacramento omnia peccata post baptismum commissa, quæcumque sint, remitti possunt.

5. *Ex paritate.*—Minister baptismi, dum baptizat, omnia peccata illius qui baptizatur, vere dimittit:—ergo pariter dicendum est de sacerdote ministro sacramenti pœnitentiæ, nam eadem est auctoritas a Christo accepta ad peccata absque limitatione quoad numerum aut speciem dimittenda. Atque hoc argumento ad hominem sæpe adversus Novatianos usi sunt Patres.—"Sive baptizamus," aiebat S. Pacianus (Ep. 3. ad Sympronianum, n. 7.), "sive ad pœnitentiam cogimus, sive veniam petentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus."—Et S. Ambr. (l. 1. de Pœnit. c. 8. n. 36.): "Cur baptizatis," interrogabat, "si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent?"

ARTICULUS QUARTUS

De necessitate sacramenti pœnitentiæ.

Jam ex dictis patet, Christum Dominum instituisse sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata fidelibus; nunc ulterius procedentes statuimus hoc sacramentum ab auctore omnium sacramentorum fuisse institutum tamquam *medium omnino necessarium* pro omnibus qui mortale peccatum commiserint post baptismum; ita ut sine sacramento pœnitentiæ suscepto sive in re, sive in voto, salus obtineri nequeat.—Dicimus medium necessarium esse pro *peccatis mortalibus*, nam venialia non sunt materia necessaria hujus sacramenti; et in prima parte hujus Tractatus quomodo dimittantur declaravimus:—dicimus sacramentum pœnitentiæ esse sive *in re, sive in voto*, necessarium ad salutem consequendam; quia probavimus (pag. 49. et seqq.) contritionem perfectam, statim ante sacramenti susceptionem, Deo peccatorem pœnitentem utique reconciliare, sed nonnisi dependenter ab hoc sacramento, cujus votum necessario includit.

Doctrina, quam proponimus, credenda est *de fide*. Concilium enim Tridentinum eam tradit in sessione 14. capite 2. his verbis: "Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum *ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Et 4. capite ait "reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto,* quod in illa includitur, *non esse adscribendam:*"—et ejusdem sessionis 14. can. 6. definit: "Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel *ad salutem necessariam esse* jure divino . . . anathema sit."

Hinc

THESIS XVI.

Sacramentum pœnitentiæ, omnibus post baptismum in grave peccatum lapsis, necessarium est necessitate medii, sive in re, sive in voto; et necessitate præcepti.

Prima pars thesis, probatur

I. *Ex Scripturis.* *a*) Etenim ex locis sæpissime citatis (Matt. XVI. 19. et XVIII. 18.) constat Christum Apostolis et eorum successoribus dedisse claves regni cœlorum. Ergo fideles, quibus aditus regni cœlorum, per peccatum mortale quod commiserant, clausus fuit, hunc patentem ac pervium iterum habere non possunt nisi ministerio et potestate clavium.—Et consequentia est manifesta ex ipsa metaphora clavium, quam Christus adhibuit: nam quemadmodum nemo in domum, quæ clausa sit, ingredi potest, nisi ostium ejus aperiat ille, qui clavem habet; ita nemo, cui ob mortale peccatum clausa est domus æternæ beatitudinis in cœlis non manufacta, ingredi eam poterit nisi portæ ejusdem domus cœlestis pateant ei ministerio illius cui Christus claves tradidit ad aperiendum.

Et sane si aliunde patere posset aditus ad illam domum ingrediendam frustra claves Apostolis fuissent traditæ: quid enim prodest habere claves domus, si absque clavibus, invito ostiario, aditus patet? Quare S. Augustinus, eodem modo arguens, ut nuper audivimus, exclamabat (Serm. 392. al. 49. inter Homil. 50. cap. 3. n. 3.): "Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago. . . . . . Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?"

Nec obstat, quod per baptismum etiam illi qui claves non habent

valeant homines introducere in regnum cœlorum. Nam recte huic difficultati Bellarminus respondet (de Pœnit. lib. 3. cap. 2.), "potestas clavium est potestas judiciaria, et ideo proprie erga eos tantum exercetur, qui sunt in Ecclesia. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare,* inquit Apostolus (I. ad Cor. v. 12.). Itaque per baptismum admittuntur homines ad Ecclesiam et sacerdotum judicio ac potestati subjiciuntur: sed si deinde peccaverint, sine clavium beneficio nullo modo reconciliari queunt."

b) Præterea, ex iisdem textibus Scripturarum, apud Matthæi Evangelium relatis, et ex verbis Christi, quæ in cap. xx. Joannis referuntur, demonstravimus Apostolos et eorum successores constitutos fuisse *judices* fidelium in causis peccatorum.—Atqui si hoc, necesse est ut eorum judicio causæ omnes peccatorum dirimantur.—Ergo omnia fidelium peccata ex mandato Christi ad Apostolorum et eorum successorum tribunal afferri debuerunt ac semper debent; et nonnisi ex eorum judiciali auctoritate remitti possunt.

Minor autem hujus argumenti haud difficulter evincitur. Nam, ut idem Bellarminus adnotat (l. c.), "etiamsi possint privati homines, lites quas inter se habent, sine publicorum judicum sententia componere; non possunt tamen eas lites componere, *quas cum rege ipso habent, nisi illum adeant, quem loco suo rex judicem esse voluit.*" Porro peccata omnia causæ sunt, quas cum Deo ipso habemus; et ideo cum Deus judicium de peccatis sacerdotibus permiserit in Ecclesia sua, non possunt qui in Ecclesia sunt, si ejusmodi causas habeant, sine sacerdotum judicio cum Deo reconciliari."

c) Christus Apostolis et eorum successoribus ita potestatem remittendi peccata tradidit, ut etiam retinere illa valeant; seu, quod idem est, tales eos constituit judices, ut ab eis pendeat pronuntiare remissionem vel retentionem peccatorum, quæ post baptismum a fidelibus committuntur. Atqui hanc potestatem retinendi peccata fidelium non haberent, si sacramentum pœnitentiæ non esset omnibus lapsis post baptismum in mortale peccatum omnino necessarium necessitate medii. Ergo.

Minor probatur. Etenim minister sacramenti pœnitentiæ peccata tunc retinet, cum hæc peccata non remittit: tunc igitur in potestate ejus erit retinere peccata, cum efficere poterit ut absque ejus auctoritate peccata non remittantur.—Sed si sacramentum pœnitentiæ, in quo ab-

solutio peccatorum a ministro pronuntiatur, necessarium omnino non esset necessitate medii ad eorumdem peccatorum absolutionem accipiendam,—idest, nisi fideles non modo *possent,* sed etiam *tenerentur uti hoc medio* ad peccatorum remissionem ;—non posset minister sacramenti efficere ut absque ejus auctoritate peccata non remittantur :—possent enim fideles in ea hypothesi independenter a sacramento pœnitentiæ et ab ejus ministro, remissionem peccatorum, quæ commiserant, obtinere. Ergo.

Quare, sicut diligenter Suarez adnotat (de Pœnit. disp. 17, sect. 2. n. 13.), in verbis Christi : "*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt,*" secundum utramque eorum partem spectatis, continetur non solum hæc conditionalis : *si sacerdotes vos a peccatis absolverint, absoluti eritis ;* sed etiam hæc : *si ipsi non remiserint peccata, remissa non erunt,* idest, *retenta erunt ;* et per hæc verba maxime declaratur absoluta necessitas sacramenti pœnitentiæ pro omnibus graviter lapsis post baptismum.

d) Confirmantur ea quæ diximus, ex aliis verbis Salvatoris nostri, quibus Apostolos allocutus est, cum traderet eis potestatem remittendi peccata (Joan. xx. 21.) : "Sicut misit me Pater et ego mitto vos."—Nam his verbis ostenditur Christum potestatem omnem, quam a Patre accepit judicandi homines et remittendi peccata, apostolis suis et eorum successoribus communicasse :—ideoque dicendo, "Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt ;" hunc sensum expressisse : *Ego jam non judico quemquam quoad remissionem peccatorum in hac vita, sed omne judicium meum vobis committo.*—Id intellexerat S. Chrysostomus, cum altissimam sacerdotum potestatem suspiciens exclamabat (de Sacerdotio, l. 3. c. 5.) : "Qui terram incolunt [sacerdotes] in eaque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt. . . . . . . Quid enim aliud illis dedit [Deus], quam *omnem cœlestium potestatem ?* . . . . . . Pater omne judicium Filio dedit ; ceterum video *ipsum omne judicium* a Deo Filio illis traditum."

II. *Ex doctrina Patrum,* thesis quam defendimus vindicatur. Neque opus est alia hic testimonia adducere, præter ea quæ hucusque thesibus XIII. et XIV., dedimus, cum ex illis evidenter res conficiatur.

Et sane Patres ibidem docent—1. potestatem judicialem *plenissimam* accepisse Apostolos et eorum successores, ad peccatorum causas judi-

candas. Hinc aiunt:—*judex sedet in terris, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in supernis comprobat;—terrestre judicium* [Petri] *præjudicata auctoritas est in cœlis, ut quæ in terris ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo.*"

2. Statuunt Apostolos, eorumque successores, *sortitos fuisse principatum superni judicii ut, vice Dei, quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

3. Declarant confessionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum, in sacramento pœnitentiæ faciendam, tam necessariam esse, ex necessitate divini mandati, ad salutem consequendam, ut omnino in æternum pereant, qui noluerint eam facere.—*An melius est,* Tertullianus interrogat, *damnatum latere, quam palam absolvi?*—Et S. Pacianus: *peccator erubescet perpetuam vitam, præsenti pudore, mercari?*

4. Admonent confessionem criminis Deo soli factam non sufficere, sed *necessariam esse confessionem ejusdem criminis in sacramento pœnitentiæ factam sacerdoti.*—"Si hoc fecerimus," inquit Origenes, "et revelaverimus peccata nostra, *non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis,* delebuntur peccata nostra ab eo qui ait: 'Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua' (Is. XLIV. 22.)."

5. Hinc Patres, vel absolute pronuntiant, ut S. Basilius M. (regula 288. ex brevioribus): "*Necessario iis peccata aperiri debent quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei:*"—vel, ut S. Leo M. (Ep. 108. c. 2.) declarant: "*Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*"

6. Demum baptismo comparant pœnitentiæ sacramentum, et hoc ejusdem necessitatis pro fidelibus in peccata lethalia post regenerationem lapsis esse asserunt; sacramentum enim pœnitentiæ appellant *secundum baptismum,* et *secundam tabulam post naufragium,* ut adnotavimus p. 104.

III. Denique *ex difficultate et constanti usu confessionis,* necessitas ejus, ad obtinendam in sacramento pœnitentiæ peccatorum veniam, indubie eruitur.—Nam lex confessionis sacramentalis omnium peccato-

rum mortalium sacerdotibus distincte faciendæ, tam gravis est, ut ei maximopere repugnet in quibusdam præsertim sive status, sive peccatorum, adjunctis humana natura. Idcirco, nisi absolute necessaria esset ex institutione Christi ad salutem capessendam, vel non fuisset, præcipue a potentioribus admissa, vel desuetudine abrogata fuisset, vel saltem interdum aliqui ab ea dispensationem impetrassent.—Sed horum nullum umquam evenit.—Ergo concludendum est, divina lege impositam fuisse omnibus fidelibus obligationem singillatim ac distincte confitendi sacerdotibus omnia peccata gravia, et suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, tamquam necessarium medium ad salutem.

Secunda pars thesis facillime probari, aut potius declarari potest. Si enim sacramentum pœnitentiæ institutum fuit a Christo pro omnibus fidelibus in peccata gravia post baptismum lapsis, tamquam medium ad salutem necessarium, profecto susceptio ejusdem sacramenti præcepta fuit: præcipitur namque usus medii absolute necessarii ad finem præceptum consequendum.—Es si quæratur quandonam divinum præceptum obliget ad confessionem peccatorum faciendam et ad obtinendam sacramentalem a peccatis absolutionem, respondetur, hoc præceptum *per se* et *per accidens* obligare.

Per accidens obligat, ratione alterius obligationis: quinam vero sint casus in quibus hac ratione urgeat, in Theologiæ moralis Tractatibus declaratur.

Per se non obligat statim postquam peccatum aliquod mortale commissum fuit: demonstravimus enim, thesi XII., peccatorem statim postquam lethale peccatum admiserit ad pœnitentiam agendam, qua Deo reconcilietur, non teneri.—Obligat vero quando urget periculum mortis; et etiam extra illud periculum, juxta ea quæ exposuimus, thesi citata.

Hinc in Concilio Lateranensi IV. Ecclesia statuit, ut Tridentini Patres adversus Novatorum errores expresse docent (sess. 14. c. 5.), non ut Christi fideles confiterentur,—quod *jure divino necessarium et institutum esse* intellexerat;—"sed ut præceptum confessionis, *saltem* semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad ætatem discretionis pervenissent, impleretur."—Quod ecclesiasticum præceptum, Concilium Tridentinum, eadem sessione, auctoritate sua firmavit, statuens, canone 8.: "Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse

impossibilem . . . . . aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit."

Difficultibus præcipuis, quibus thesis impetitur, nunc satisfiat.

Opponitur

1. Esto sacerdotes a Christo instituti sint judices in peccatis retinendis vel remittendis, non ideo probatur eos judices esse necessarios, quos adire debeant fideles ut a peccatis absolvantur; possunt enim ad ipsum Deum confugere, et ab eo consequi veniam. Ergo.

Resp. *N. Ant.*—Ad probationem, respondetur nulli hominum interclusum esse aditum ad Deum per sinceram cordis contritionem:—sed hæc contritio si vera sit et perfecta, qua obtineri possit a Deo pro peccatis venia, includere debet voluntatem observandi omnia Christi mandata, et adhibendi media, quæ ut necessaria ad salutem consequendam Christus instituit. Cum igitur Christus statuerit, ut illi, qui post baptismum lapsi sunt, sacerdotum judicio in sacramento pœnitentiæ peccata quæ commiserant aperire debeant, et horum peccatorum per sacramentale judicium accipere absolutionem; nequeunt peccatores pœnitentes veram contritionem habere, et per eam obtinere veniam, nisi in eadem contritione inclusum votum habeant suo tempore sacramentum pœnitentiæ suscipiendi.

2. Responsio data supponit quod est probandum, nimirum, necessarium esse pro omnibus fidelibus in mortalia peccata lapsis, confiteri hæc sacerdotibus, et ab eis in sacramento pœnitentiæ recipere absolutionem. Ergo responsio data nullius est momenti, et vim suam objectio mox proposita totam retinet.

Resp. *N. Ant.*—Non enim *supponitur* necessitas confessionis ex parte pœnitentis et judicii sacramentalis ex parte sacerdotis; sed *ex potestate remittendi et retinendi peccata,* quam Christus concessit Apostolis et eorum successoribus, *illa necessitas recte infertur,* ut in probatione thesis demonstravimus: et consequenter ex eadem potestate a Christo concessa, colligitur etiam contritionem perfectam, qua peccata a Deo remittuntur, includere *votum sacramenti*; et obligationem confitendi peccata sacerdoti legitimo manere post elicitum actum contritionis. Sane potestas illa, ut

demonstravimus, ad omnia peccata mortalia post baptismum commissa se extendit; ideoque necesse est ut circa omnia efficaciter exerceri possit: nullo autem modo illa potestas circa peccata per contritionem remissa exerceri posset, si sacramenti votum in contritione non includeretur, et post contritionem obligatio non maneret subjiciendi peccata Ecclesiæ clavibus.

Quapropter cum peccatum, actu contritionis perfectæ elicito, remittitur, vere quidem et absolute remittitur, quia statim pœnitens vere et proprie justificatur; sed remissio peccati datur cum ordine ad futuram confessionem, idest, cum ordine ad futuram integram satisfactionem ex parte nostra, in nova lege impositam et absolute requisitam ad peccati remissionem.—Quare per sacramentum "completur quodammodo," ait Suarez (disp. 17. sect. 3. n. 7.), "justificatio prior; quæ minus perfecta fuerat ob defectum sacramenti, postea autem perficitur, et infunditur gratia per se sufficiens ad remissionem talium peccatorum: quæ gratia sacramentalis, per se etiam loquendo, erat necessaria, et cum ordine etiam ad illam data fuerat prior remissio. Et ideo, licet quoad ablationem peccati in re nihil ei addatur, tamen quoad positivam formam expulsivam peccati aliquid ei additur. Et propterea fortasse Alensis 4. p. q. 18. membr. 2. a. 1. hoc sacramentum dixit esse veluti formam perficientem contritionem, et effectum ejus, quoad remissionem peccati, quia complet modo explicato hunc effectum. Et sub ea ratione votum ejus est necessarium, non tantum necessitate præcepti, sed etiam medii, quamvis hæc duo separabilia non sint in hoc sacramento."

3. Verbum *retinere* non significat tantum non remittere, sed denotat etiam, immo præcipue, positivum actum ligandi:—ex qua positiva significatione recte colligitur, solutum vel ligatum manere peccatorem qui ad pœnitentiæ tribunal accessit, et ibi a pœnitentiæ ministro absolutus fuit, vel obligatus; sed cum hac ipsa significatione optime stat peccatorem posse aliter ligari aut solvi, quando a pœnitentiæ ministro nec absolvitur nec ligatur, eo quod ad pœnitentiæ tribunal non apparuit.

Resp.—Verbum *retinere* cum referatur immediate ad culpas, sicut verbum *remittere*, non indicat nisi negationem veniæ, seu non *remittere culpas;* judicium vero quo aliquis indignus judicatur absolutione sacramentali est utique positivus actus.—Sed hic actus quin illationem infirmet quæ ex verbo *retinere* deducitur, potius eam corroborat: nam si

ministri sacramenti pœnitentiæ jus habent ferendi judicium, quo juxta merita causæ peccata remittant vel retineant, necesse est ut pœnitentes coram eis appareant, et ad eorum tribunal causam deferant.

Et hic notetur, potestatem clavium, primario quidem in gratiam pœnitentium et ad peccatorum remissionem, sed etiam in favorem divinæ justitiæ institutam fuisse, ut docet Concilium Tridentinum, sessionis 14. cap. 8. ;—quam ob causam, potestas retinendi peccata est suo modo coactiva, et involvit aliquam necessitatem reo impositam; quæ cum nequeat esse in hoc foro pœnitentiæ per externam violentiam, oportet ut saltem sit per obligationem, qua non ea solum peccata quorum se reus accusare voluerit, sed absolute omnia clavibus subjiciantur, ad offensas Deo a peccatore illatas vindicandas.

4. Christus sacerdotes constituit etiam judices peccatorum venialium; et ex eo tamen non infertur judicium sacerdotum in tribunali pœnitentiæ necessarium esse ad horum peccatorum remissionem.—Ergo ex eo quod sacerdotes constituti sint judices peccatorum mortalium, non debet inferri, sacramentum pœnitentiæ esse necessarium medium ad salutem.

Resp. *Dist. Ant.*—Christus constituit sacerdotes judices peccatorum venialium, ut hæc eodem modo remittant aut retineant, quo mortalia remittunt, aut retinent *N.* Ad venialia quidem remittenda, non autem simpliciter retinenda *C.* et *Nego Conseq.*—Etenim licet Christi verba indistincte complectantur peccata mortalia et venialia, sensus tamen illorum verborum utrisque peccatis accomodari debet modo eis proportionato.—Sane, peccatum mortale simpliciter est injuria Dei, quæ claudit homini peccatori aditum in regnum cœlorum; peccatum vero veniale non claudit illum aditum, sed introitum in cœlum ad tempus præpedit.—Hinc, claves quæ ad aperiendam peccatoribus januam regni cœlorum Ecclesiæ traditæ sunt, ac proinde ad remittendum peccatum mortale, valent ad remittenda peccata venialia: potestas enim sufficiens ad tollendum impedimentum perpetuum et ad remittendam injuriam gravissimam, a fortiori sufficit ad tollendum impedimentum temporale ejusdem ordinis, et ad remittendam injuriam secundum quid, cujus longe facilior venia est. Sed non idem dicendum est de potestate retinendi peccata; nam hæc coactionem involvit, et coactio minor esse debet circa minores offensas, quam circa majores.

Præterea, institutio sacramenti pœnitentiæ non mutavit naturam peccati venialis, quod etsi in pœnitentiæ sacramento non remittatur, manet semper impedimentum temporale ad consequendam æternam beatitudinem, quod in purgatorio auferri potest; et ideo nec debuit nec potuit sacramentum pœnitentiæ constitui pro iis qui peccatum veniale tantum habent necessarium medium ad salutem; et potestas retinendi peccata non eodem modo ad venialia se extendit, ut ad mortalia.

5. S. Ambrosius (lib. 10. in Lucam, n. 88.) ait: "Petrus doluit et flevit; quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. . . Lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri:"—ergo juxta S. Doctorem necessaria omnino non est confessio delictorum.

Resp. *N. conseq.*—Nomine *satisfactionis*, S. Ambrosius non confessionem delicti significat, sed excusationem; nam inter verba objecta, hæc addenda sunt, quæ sensum reddunt apertum: "*sed quod defendi non potest, ablui potest.*"—Quod autem necessariam esse confessionem crediderit ad salutem, patet ex multis locis, inter quæ unum seligam. In l. 2. de Pœnit. cap. 7., ad confitenda peccata hortatur his verbis (nn. 52. 53.): "Timeamus Dominum, præveniamus eum confitendo peccata nostra. . . . . Novit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam; non ut puniat, sod ut ignoscat: non vult ut insultet tibi diabolus, et celantem peccata tua arguat. Præveni accusatorem tuum: si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces;"—et (nn. 57. 58.) prosequitur: "Videns itaque grave onus peccatoris, illacrymat Dominus Jesus; solam enim flere non patitur Ecclesiam. Compatitur dilectæ suæ, et dicit defuncto: 'Veni foras' (Jo. XI.), hoc est: Qui jaces in tenebris conscientiæ, et delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris: 'Ore enim confessio fit ad salutem' (Rom. x. 10.). Si confessus fueris, a Christo vocatus, claustra rumpentur, et omnia solventur vincula, etiam si corruptelæ corporeæ fœtor gravis sit."

6. Juxta Gratianum, Causa 33. q. 3., duæ erant illa ætate inter viros sapientes et religiosos opiniones de confessionis necessitate:—ergo libera tunc confessio fuit, non præcepta jure divino.

Resp. *Dist. Ant.*—Juxta Gratianum duæ erant opiniones in Ecclesia de confessionis necessitate quoad effectum, h. e., quoad veniam conse-

quendam *C.* Quoad præceptum *N.* Duplex quæstio est de confessione,—altera catholicos inter et hæreticos de confessionis necessitate quoad præceptum, an omnibus post baptismum in crimina lapsis a Christo præcepta sit, et in Ecclesia semper usurpata;—altera inter theologos de confessionis necessitate quoad remissionem peccatorum, an prima gratia actu contritionis ante confessionem et sacramentum, an vero in sacramento demum obtineatur. Primam quæstionem, de lege Christi circa confessionem, Gratianus hic non attingit; sed secundam, quæ non mediocri animorum contentione in utramque partem tunc agitabatur. Et hanc postremam solum controversiam expendit Gratianus, disputans de effectu confessionis, non de præcepto.

Id vero patet 1.—ex ipso quæstionis titulo: "Si sola confessione cordis crimen possit deleri?" 2.—Ex verbis, quibus primam opinionem exhibet: "Sunt enim," inquit, "qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ et sacerdotali judicio posse promereri." Passim etiam hisce locutionibus promiscue utitur: "sine confessione: ante confessionem: in contritione: non in confessione." 3.—Quia de venia, justificatione, et remissione peccatorum semper loquitur; non autem de salute. 4.—Quia idipsum eruitur ex testimoniis Scripturarum et Patrum, quæ adducit, ut: "Convertimini ad me, et ego convertar ad vos," etc., et illud Augustini: "Nondum pronuntiat ore; et tamen Deus jam audit in corde." 5.—Quia idem suadent comparationes, quas adducit, e. g., de leprosis, qui mundati sunt antequam sese ostenderent sacerdotibus; de Abrahamo, qui justificatus est ante circumcisionem. 6.—Quia hoc idem Gratianus aperte declarat his et similibus verbis: "Ex quo datur intelligi, quod antequam sacerdotibus peccata nostra confiteamur, a lepra peccati mundamur. . . . . Patet, quod antequam quisque confiteatur peccatum, per gratiam internæ compunctionis absolvitur. . . . . Cum ergo ante confessionem, ut probatum est, simus resuscitati per gratiam," etc.

Præterea Gratianus de quæstione loquitur circa quam sapientes et religiosi viri illa ætate varie sentiebant et disputabant.—At nullus illius ætatis theologorum necessitatem confessionis ex divino præcepto faciendæ negabat.—Ergo Gratianus non de confessionis necessitate ex divino mandato, sed de confessionis et contritionis effectu tantum loquebatur.

Quod asserimus, inductione sapientum, qui Gratiano coævi aut suppares erant, demonstramus.

Goffridus Vindocinensis Abbas lib. 5. Epist. 16. (Migne, P. L. tom. 157. pag. 200.) fuse probat, confessionem, non quatuor tantum criminum, ut adstruebat Guilelmus quidam, sed omnium prorsus esse necessariam, atque "hoc esse certum, nihil hoc certius esse, idem ad fidem catholicam pertinere."

S. Bernardus, in exhortatione ad milites templi c. 12. (opp. tom. 1. pag. 938. edit. Migne): "Quod si," inquit, quispiam confiteri confunditur . . . . talis pudor peccatum adducit . . . . quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire." Idem S. Bernardus primum edidit miraculum, ut ne vir quidam nobilis sine confessione moreretur; quemadmodum in vita ejus Guilelmus S. Theodori Abbas Bernardo coævus narrat.

Theobaldus Stampensis in Ep. 1. ad Episc. Lincolniens. scribit, confessionem cordis non fore infructuosam, "si aliquo eventu confessio oris impediatur."

Petrus Cellensis de disciplina claustrali c. 20.: "Maledictus," inquit, "omnis, qui non amputat per confessionem peccata."

Robertus Pullus, Sententiarum lib. 5. cap. 10., et lib. 6. c. 51. et 59. scribit: "Corde contrito et humiliato mox peccatorum veniam concedi; necesse tamen esse postea confiteri."

Hugo Victorinus, Serm. 53. (Mig. t. 3. p. 1051.): "Tunc salus," inquit, "peccatoris incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit; quæ tamen salus tunc perficitur, quando id, unde ingemuit, ore confitetur: quæ salutis perfectio, etsi . . . necessitatis articulo impediatur; per summum tamen sacerdotem . . . . . . adimpletur." Mox pluribus edisserit delicta graviora sacerdotibus pandi oportere. Et t. 3. l. 2. de Sacramentis fidei, part. 14. integra, disputans de confessione, pœnitentia, et remissione peccatorum, expendensque illud Jacob. v.: "Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini," scribit (pag. 552.): "Hoc est, non salvamini, nisi confiteamini."—Et cap. 8. advertit, multos sensisse, quod in sola cordis contritione, etiam ante confessionem oris, peccata dimittantur: sed non ideo tamen confessionis sacerdoti faciendæ necessitatem ac legem sustulisse; post contritionem enim cordis, confessionem

quoque oris esse necessariam: quia (pag. 565.), "si quis, etiam post impetratam veniam peccatorum, confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinæ contemptor . . . erit."

Ricardus Victorinus de potestate ligandi et solvendi cap. 5. (Migne, P. L. t. 196. pag. 1163.): "Vera pœnitentia," inquit, "est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi . . . . . solus sub hac conditione non tenetur, cui exequendi facultas divinitus denegatur;" et c. 8., "nam si facere neglexerit, periculum æternum non evadit."

Petrus Blesensis lib. de Confessione sacramentali (Migne, P. L. tom. 207. pag. 1080.) ejus necessitatem probat verbis S. Augustini, quæ jam recitavimus: "Nemo sibi dicat, occulte ago," etc. Et addit, "si vero pudor prohibeat confiteri, recolat, quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die judicii."

Petrus Lombardus (4. sent. d. 17.) duas movet controversias, perinde ac Gratianus, alteram de vi contritionis; alteram vero deinceps de confessione; et ait ex Jacobi mandato et plurium veterum dictis, "indubitanter ostendi oportere, Deo primum, ac deinde sacerdoti offerri confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si facultas adsit."

Petrus Pictaviensis, Sententiar. p. 3. c. 12. ait pariter, confessionem esse necessariam, et quidem sub pœna peccati mortalis; cap. autem 13., eam fundat in Christi verbis et Apostoli jussu.

Igitur sapientes illi ac religiosi viri, quorum meminit Gratianus, non de confessione dubitabant aut disceptabant; sed de alia re prorsus diversa, hoc est, de contritionis efficacia.

7. Can. 33. Concilii Cabilonensis II., an. 813., hæc habet: "Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque non sine magno fructu intra Ecclesiam fit, ita dumtaxat, ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra . . . et secundum institutionem Apostoli (Jacob. v. 16.) confiteamur alterutrum peccata nostra. . . . . . Confessio itaque quæ Deo fit purgat peccata: ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter purgentur ipsa peccata. Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione."—Ergo illa etiam ætate confessio peccatorum, in sacramento pœnitentiæ facienda, non putabatur ad salutem necessaria.

Resp. *N. cons.*—Hic canon nequit contradicere canoni præcedenti ejusdem Concilii, quo necessitas integræ confessionis inculcatur, his verbis: "Can. 32. Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam cum confitentur peccata sua sacerdotibus non *plene* id faciant. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, *solerti indagatione* debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque *plena* sit confessio, scilicet ut et ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur."—Canone igitur 33. in objectione citato, Concilium commendat confessionem Deo factam, et non negat, immo docet, confessionis sacerdoti faciendæ necessitatem. Controversiam vero, quam commemorat initio canonis, non spectabat necessitatem confessionis, a Christo, institutione sacramenti pœnitentiæ, ut ad salutem necessarii, impositam; sed aliam omnino diversam quæstionem, quæ, ut videtur, eadem erat ac illa quam in solutione objectionis præcedentis indicavimus.

8. In Decreto (p. 2. causa 33. q. 3.) extat cap. 90., in quo legitur: "Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia."—Ergo.

Resp.—Canon, prout in objectione refertur, est mendosus. Hæc enim verba, *ut Græci*, et alia, *ut tota fere sancta Ecclesia*, desunt in capitulari Theodori Cantauriensis, unde canon excerptus fuit; et hoc additamentum probabiliter in textum ex marginali adnotatione cujusdam imperiti scholiastæ irrepsit. Sensus autem canonis ille est, quem mox declaravimus in expositione canonis 33. Concilii Cabilonensis II., cui respondet quasi ad verbum.

ARTICULUS QUINTUS

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

Circa ministrum sacramenti pænitentiæ non unus error fuit.—Waldenses existimabant bonum laicum, sed non malum sacerdotem, potestatem habere absolvendi fideles a peccatis;—et inter articulos, de quibus errorum Wickleffi et Huss suspecti, ex mandato Martini Papæ V. in

Bulla "Inter cunctas," data an. 1413., interrogandi erant, articulus 20. invenitur, in quo quæritur: "Utrum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico, seu laicis, quantumcumque bonis et devotis."

Quod vero sæculi XVI. hæreticos spectat, ex Cardinale Pallavicino (Hist. Conc. Trid. lib. 12. cap. 10.) habemus Concilii Tridentini Patres, inter alios Novatorum errores, illum damnasse qui hoc articulo propositus erat: "Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi nisi Spiritus Sancti gratia et caritate sint prædíti: et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christianis esse dictum: 'Quæcumque solveritis' etc., quorum verborum virtute absolvere possunt peccata."

Præterea quidam pauci opinati sunt concessum diaconis olim fuisse et audire pœnitentium confessiones, et eos sacramentaliter absolvere, cum necessitas urgeret et nullus adesset presbyter aut episcopus.

Hos omnes errores Concilium Tridentinum profligavit. Nam, sessione 14., capite 6. docuit: "Circa ministerium autem hujus sacramenti, declarat Sancta Synodus, falsas esse, et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: 'Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo;' et, 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt:' ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata."—Et ejusdem sessionis, can. 10. definivit: "Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: 'Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo;' et, 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt:' quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit."

De fide ergo credendum est, solos sacerdotes esse sacramenti pœnitentiæ ministros, eosque potestatem ligandi et solvendi retinere etiamsi non sint in statu gratiæ.

At non omnis sacerdos sacramenti pœnitentiæ minister est: nam præter potestatem ordinis, quam in ordinatione sacerdotali accepit, potestate etiam jurisdictionis in foro interno, ut valide pœnitentes absolvat, præditus esse debet.—"Persuasum," ait Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 7., "semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem." Porro jurisdictio, quæ generaliter sumpta est potestas quædam moralis regendi subditos, in re præsenti, est potestas qua sacerdos ut judex legitimus in alterum, tamquam in subditum, sententiam in foro conscientiæ proferre valeat.

Jurisdictio autem est *ordinaria* si sacerdoti competat ex officio cui adnexa sit cura animarum; ac talis est jurisdictio Romani Pontificis pro *utroque foro* in Ecclesiam universam, Episcopi cujuscumque particularis Diœcesis in sua Diœcesi pro *utroque* etiam *foro*, parochi pro subditis suæ parœciæ *in foro interno.*

Jurisdictio *delegata* est ea quæ habetur ex commissione illius qui potestatem jurisdictionis habet ordinariam:—sed ad confessiones secularium audiendas, seu ad ministrandum eis sacramentum pœnitentiæ jurisdictio delegari non potest nisi sacerdoti qui ab episcopo approbatus fuerit, juxta Conc. Trid. præscriptum, sess. 23. *de Refor.* c. 15.: "Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus."

Hujus de jurisdictione doctrinæ immemor, Synodus Pistoriensis putavit ad valide absolvendum pœnitentem, nonnisi ordinem sacerdotii esse necessarium, ita ut quilibet sacerdos, etiam interdictus, valide semper possit absolvere.—Verum perniciosissimum istum errorem, in propositione 37. Synodi insinuatum, Pius VI. Constitutione "*Auctorem fidei,*"

data 28. Aug. 1794., damnavit his verbis: "Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;* quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo, *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta, tamquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea."

Itaque, his præmissis, quia de validitate sacramenti a ministro in statu peccati confecti, in Tractatu *de Sacramentis in genere,* parte 2., articulo 7. disseruimus, ad veritatem catholicam defendendam, demonstrandum est, solos sacerdotes esse pœnitentiæ ministros, et in eis ad valide absolvendos a peccatis pœnitentes, præter potestatem ordinis, requiri potestatem jurisdictionis:—idque præstabit thesis sequens.

THESIS XVII.

Sacramenti pœnitentiæ soli Sacerdotes sunt ministri. In ipsis ad valide in sacro tribunali pœnitentiæ absolvendum, præter potestatem ordinis, potestas jurisdictionis est requisita.

Proposita thesis complectitur duas partes: prima *de fide* credenda est, altera est *certa* et *proxima fidei.*

Prob. 1ª *pars thesis.* 1. *Ex verbis Christi.*—Etenim illi tantum ministri sacramenti pœnitentiæ constituti sunt, quibus Christus fidelium peccata remittendi et retinendi potestatem contulit.

Atqui universo fidelium cetui Christus non contulit hanc potestatem, sed Apostolis eorumque successoribus, quibus (Matth. XVIII. 18.) dixit: "Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo:" et iterum (Joan. XX. 22. 23.): "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt."—

Ergo non fideles omnes, sed soli Apostolorum successores, episcopi videlicet atque presbyteri, ac proinde soli sacerdotes, sacramenti pœnitentiæ ministri sunt.

Minor est evidens ex ipsis Christi verbis, quæ ad eos diriguntur et ad successores eorum, quos Christus alloquebatur, quosque constituebat judices in causis peccatorum.—Successores vero Apostolorum, ut pastores, et judices animarum, primo veluti gradu esse episcopos, altero vero presbyteros, ac proinde sacerdotes, ex universa Traditione constat, et patebit inferius, Tractatu *de Ordine.*

2. *Ex Traditione.* Monumenta enim antiquitatis ostendunt nullos alios, præter sacerdotes, potestate dimittendi in sacramento pœnitentiæ peccata fidelium instructos fuisse; et Patres diserte docent *solis* sacerdotibus a Christo hanc potestatem fuisse collatam.

Brevitatis causa, antiquiorum Patrum textus, quos jam retulimus, hic compendiose subjungam in testimonium.

Sæculo III., Tertullianus (lib. de Pœnit. c. 9.) perhibet, "pœnitentes *presbyteris* advolvi et adgeniculari."—Origenes (Hom. 2. in Lev. n. 4.) ait: "Peccatorum *sacerdoti Domini* indicare peccatum."—S. Cyprianus (lib. de Laps.) inquit, "remissionem factam *per sacerdotes* apud Deum gratam esse;"—et in Ep. Syn. ad Cornel. dicit, "*ad sacerdotes* spectare lapsis tribuere pacem et spei salutaris auxilium."

Sæculo IV. S. Basilius (inter Reg. brev. 288.) hæc habet: "Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est."—S. Ephraem Orat. de Sacerdotio ait: "Absque venerando et divino *sacerdotio* remissio peccatorum mortalibus non conceditur."—S. Ambrosius (l. 1. de Pœnit. c. 2. n. 7.) inquit: "Jus hoc [absolvendi a peccatis] solis permissum sacerdotibus est;" et (cap. 11. n. 8.) subdit: "Officium esse sacerdotis remittere, aut retinere, peccata," atque, "sectas illas ab hoc jure excidisse, quæ sacerdotibus carent."—S. Chrysostomus (l. 3. de Sacer. c. 6.) ex potestate remittendi peccata colligebat, sacerdotes imperatoribus et regibus præcellere.

Sæculo V. S. Augustinus (Ser. 351. al. 51. c. 4. n. 9.) dicit, pro peccatorum remissione accedendum esse "ad Antistites, per quos in Ecclesia claves ministrantur;" et alibi (Epist. 233.) monet, "sacerdotes ne deserant oves in periculo, quia magnum exitium sequitur eos, qui de hoc sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati."—Et S. Leo Magnus (Ep.

108. c. 2.) scribit: "Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri."

Sæculo VI. S. Gregorius Magnus (Hom. 26. in Evang. n. 4. et 5.): "Libet intueri illi discipuli . . . ad quantum culmen gloriæ sint perducti . . . . . . animaram judices fiunt; et alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi locum tenent."

Eidem veritati testimonium etiam reddunt *Libri Liturgici* Latinorum et *Euchologia* Græcorum, quæ modum reconciliationis describentes semper solos episcopos et sacerdotes ejusdem ministros appellant.—Similiter Decreta antiquorum Conciliorum, quæ sacramentum pœnitentiæ respiciunt, nonnisi ad episcopos et presbyteros, seu generatim ad sacerdotes, diriguntur. Sic, ad exemplum, Concilium Cabilonense I., anno 650., statuit "ut pœnitentibus a sacerdotibus data confessione indicetur pœnitentia:"—Concilium Remense, an. 813., c. 16. præcipit, "ut episcopi et presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent:"—Turonense III., an. 813., c. 22. inquit: "Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant."—Quare juxta perpetuam Ecclesiæ fidem Eugenius IV. in Decreto *pro Armenis,* de Pœnitentia dicit: "Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris."

Prob. 2ª *pars thesis.* 1. *Ex Concilio Tridentino.*—Nam in c. 7. sess. 14., cum ait, "nullius momenti absolutionem eam esse debere quam sacerdos in eum profert, in quam *ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem,*" nomine *jurisdictionis* non *potestatem ordinis,* sed *ecclesiasticam jurisdictionem* sine dubio intelligit. Et sane, ille qui caret potestate ordinis non est sacerdos: Concilium vero supponit sacerdotem esse illum qui cum jurisdictione careat "nullius momenti profert absolutionem." Insuper Concilium loquitur de *jurisdictione subdelegata;* hæc autem nequit esse potestas ordinis, quæ a Deo in ordinatione immediate confertur, et cum charactere indebiliter in anima impresso, prorsus est inamissibilis.

2. *Ex Monumentis Ecclesiasticis* quæ ostendunt non cuilibet sacerdoti, sed ei qui legitime ad hoc fuerat constitutus, seu jurisdictionem acceperat, fideles debuisse confiteri peccata, ad accipiendam absolu-

tionem.—Sic, ad exemplum, Concilium Remense, circa an. 630., can. 8. decernit: "Nemo tempore Quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat, præter *pastorem.*"—Concilium Leodiense, anno 710., canone 3. statuit "saltem semel in anno ei [presbytero proprio, seu pastori] confiteantur sua peccata *subditi.*"—Regula Chrodegangi, anno 762., cap. 23. præscribit fidelibus ut ter in anno confiteantur *suo sacerdoti.*—Concilium Ticinense, an. 855., declarat: "Qui occulte deliquerunt, *illis* confiteantur quos episcopi et plebium archipresbyteri idoneos . . . elegerint."—Quinimmo ipsum generale Conc. Lateranense IV. c. 21. decrevit: "Si quis alieno sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum *non possit absolvere et ligare.*"

3. *Ex reservatione casuum*, seu ex potestate qua "merito, ut ait Concilium Tridentinum (sess. 14. can. 7.), "Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare." Quam auctoritatem reservandi Summo Pontifici et episcopis quosdam peccatorum casus, Ecclesia et usu perpetuo sibi asseruit, et anathemate lato in eos qui contradicerent:—Concilium enim Tridentinum, sess. 14., sæpius citata, can. 11., decrevit: "Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit."

4. *Ratione theologica.*—Etenim sacramentum pœnitentiæ a Christo, ut demonstravimus, institutum fuit ad modum judicii; et absolutio sacerdotis, in administratione hujus sacramenti, est actus quo sententia remissionis in causa peccatorum pronuntiatur.—Sed sententia non fertur nisi in subditos.—Ergo non sufficit ut sacerdos aptus sit ad judicium ferendum, ex potestate ordinis quam ordinatione sacerdotali accepit; sed necesse est ut habeat subditos sibi assignatos per jurisdictionem. Quare, sicut in foro civili judices jus dicere non possunt nisi in eos qui ipsis tamquam subditi adscripti sint; ita sacerdotes in foro interno nullam potestatem judicialem, quoad causas peccatorum exercere valent, nisi relate ad eos qui ut subditi eis assignati fuerint.

Ad rem S. Thomas (Suppl. quæst. 8. art. 4.): "Oportet quod ille qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare

aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem. Et ideo sicut ille qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem."

Nonnulla, quæ difficultatem facessere possent, præstat hic enucleare.

1. S. Cyprianus, Ep. 12. (alias 7. aut 18., n. 1.) ad clerum, statuit: "Quoniam . . . . video facultatem veniendi ad vos nondum esse et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres, literis ad nos factis, desideraverunt."—Ex his verbis, cum S. Cyprianus permittat diaconis in casu necessitatis excipere lapsorum confessionem, imponere lapsis manus in pœnitentiam, et dare illis pacem; concludi posset diaconos, saltem *in casu necessitatis*, absolvisse a peccatis, ac proinde eos esse extraordinarios pœnitentiæ ministros.

Respondetur, nihil in verbis S. Cypriani esse quod vel infirmet probationes thesis, vel cogat nos ad admittendum insignem illum Præsulem erroneam hanc opinionem amplexum fuisse.

Et re quidem vera, nomine *exomologesis* non sola sacramentalis confessio apud antiquos, et apud ipsum Cyprianum, ut notissimum est, significabatur; sed etiam vel integra pœnitentia publica et solemnis, vel hujus pœnitentiæ gradus, qui *substratio* dicebatur, et in quo pœnitentes, humili et dimisso habitu, variis pœnis et corporis afflictationibus exerciti, genuflexi ac humi strati, confitebantur se peccasse, et implorabant veniam: *impositio* autem *manus* erat ceremonialis, et a clero etiam inferiori usurpari poterat.—Quapropter verba S. Cypriani significant Sanctum Antistitem, propter urgentem necessitatem, concessisse lapsis ut apud diaconum pœnitentiam quamdam publicam de commisso crimine agerent, et vota sua ad obtinendam in Ecclesia recon-

ciliationem ostenderent; quibus peractis, et canonica ac ceremoniali reconciliatione a diacono accepta, cum sacerdos non adesset, et contritionem perfectam de delicto commisso signis clarissimis pœnitentiæ significarent, possent Eucharistiam ab eodem diacono percipere, atque ita in Ecclesiæ pace iterum recepti migrare ad Dominum.

Quod si nomine *exomologesis* contenderet quis intelligendam hic esse ipsam peccatorum confessionem, neque ex eo deberet inferri illam fuisse confessionem sacramentalem, a diacono exceptam, ad conferendam lapsis absolutionem in sacramento; cum recte intelligi posset confessionem factam fuisse in signum humilitatis ac pœnitentiæ.

Mentem S. Cypriani, juxta sensum a nobis expositum, declarant similes quædam locutiones Conciliorum.—In Concilio Eliberitano, an. 313., canone 32. statutum fuit: "Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit pœnitentiam agere non debere, sed potius apud episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum communionem præstare debere, et diaconum, si ei jusserit sacerdos."—Concilium Londinense anno 1200.: "Non liceat," inquit cap. 3., "diaconis baptizare vel pœnitentias imponere, nisi duplici necessitate: videlicet quia sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, et mors imminet puero vel ægro."—Odo Episcopus Parisiensis, ejusdem temporis auctor, in statutis synodalibus, statuto 56.: "Prohibemus," inquit, "districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate: Claves enim non habent, nec possunt absolvere."

2. In capite *Fures* (Decret. l. 5. tit. 18. *de Furtis*), legitur: "Fures et latrones, si in furando, vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati, presbytero, vel diacono, confessi fuerint, communionem eis non negamus."

Respondemus, lectionem istam canonis esse corrigendam: etenim canon 31. Concilii Tiburiensis, in decretales relatus, ita habet (Labbe, tom. 9. pag. 457. A.): "*Si comprehensi et vulnerati, Deoque et sacerdoti confessi*," etc.—Ceterum lectio objecta explicari etiam recte posset de confessione non sacramentali, sed humilitatis et pœnitentiæ causa, diacono facta.

3. S. Thomas (suppl. q. 8. art. 2.) ait: "Sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et pœnitentia. Baptismus autem, quia est

sacramentum necessitatis, duplicem habet ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem, alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur; et ita etiam minister pœnitentiæ, cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit."

Respondemus, S. Thomam non asserere confessionem sacramentalem posse fieri laico, tamquam sacramenti pœnitentiæ ministro extraordinario; sed solum ad pœnitentiæ ostensionem fieri posse, immo, juxta morem qui illa ætate vigebat, esse faciendam.

Hunc esse sensum S. Doctoris, intelligimus 1)—Ex ipsis verbis citatis, ubi *duplicem ministrum* dicit esse *pro sacramento baptismi;* sed id ipsum *quoad sacramentum pœnitentiæ* non affirmat.

2)—Ex eodem articulo, in responsione ad 1., ubi ait: "In sacramento pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio et satisfactionis injunctio; sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio et confessio. Satisfactio autem jam incipit esse a ministro, in quantum eam injungit. . . . Sed quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, et confiteri cui potest; qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus confessio laico, ex defectu sacerdotis, facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis."

3)—Ex responsione ad 3., ubi dicit de illo qui laico in necessitate confessus fuerit, "oportet quod iterum confiteatur sacerdoti, cum copiam habere potuerit, et præcipue quia, ut dictum est in resp. ad 1., sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit: unde oportet quod perficiatur, ut ex ipsa perceptione sacramenti pleniorem effectum consequatur, et ut mandatum de pœnitentiæ sacramento recipiendo impleat."—Demum ex art. præcedenti, eadem quæst. 8., in quo expresse docet: "*Solus sacerdos minister est hujus sacramenti; et ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio, quæ ministro Ecclesiæ fieri debet.*"

Eodem modo loquitur Magister Sententiarum, qui (lib. 4. dist. 17.): "Si," inquit, "defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio . . . . Tanta itaque vis est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur

proximo . . . Etsi ille, cui confitebitur, potestatem non habeat solvendi ; fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio qui crimen confitetur socio."—Et Sanctus Bonaventura (in 4. distinct. 17. articulo 1. quæstione 1.): "Dicendum," ait, "quod est loqui de confessione dupliciter. Uno modo, prout opus est virtutis directe repugnans hypocrisi, in quo quis se ipsum accusat ne alius, quam sit, appareat, vel etiam mala sua aperit ad investigandam morbi curationem ; et hoc modo confessio cuilibet potest fieri, qui potest adjuvare instruendo, vel orando ; de quo homo potest erubescere et humiliari, non peccatorum cognitione depravari : et sic quis potest peccatum suum cuilibet confiteri, sive clerico, sive laico, sicut etiam dicit Bernardus, *super Cantica :* 'Vir perfectus tantus est veritatis amator, quod vellet omnes nosse sua mala, dum tamen eis non esset occasio mali, sed boni.' Alio modo, confessio est opus sacramentale, prout ordinatur ad reconciliationem, quæ fit per absolutionem et ligationem : et quoniam hæc potestas collata est solis sacerdotibus, sicut melius patebit infra, ideo hæc nulli nisi solis sacerdotibus est facienda."

4. Sacerdotes in ordinatione sua accipiunt potestatem remittendi peccata, et retinendi ; ergo, ut videtur, nulla alia potestate indigent, qua *valide* saltem, peccata in sacramento pœnitentiæ absolvere possint.

Respondemus, omnes utique sacerdotes in ordinatione sua sacerdotali potestatem accipiunt qua absolvere possint fideles a peccatis in sacramento pœnitentiæ, sed incompletam ad hos vel illos pœnitentes absolvendos ;—quæ potestas, sive incompleta dicatur ex parte *principii,* ut quidam theologi loquuntur, sive incompleta *ex parte termini,* compleri tamen debet semper per potestatem jurisdictionis.

"Nullus potest," ait S. Thomas (quodl. 12. q. 19. a. 1.), "absolvere propria auctoritate, nisi eum qui est aliquo modo sibi subditus, quia actus fiunt in materia propria, et absolutio sacramentalis habet judicium annexum ; et hoc judicium non est nisi in subditos et inferiores. Qui ergo non habet subditum non potest absolvere, et sic *jurisdictio dat materiam sacerdoti determinatam.* . . . . Cui ergo nulla cura committitur habet clavem ligatam, ut juristæ dicunt ; scilicet quia non habet omnino materiam."

Eamdem doctrinam clarissime illustrat S. Bonaventura (in 4. dist. 19. a. 2. q. 2.), cujus verba hic adjiciam :

"Dicendum quod, sicut de potentia visiva est loqui dupliciter, vel quantum ad essentiam, vel quantum ad usum ; et quantum ad essentiam fundatur hæc potentia radicaliter in anima, nec animam deserit unquam ; quantum ad usum vero exigit organum bene dispositum, et medium illuminatum : sic in proposito est intelligendum, quod si loquamur de potentia solvendi quantum ad essentiam, sic radicaliter est in ipsa anima, sicut et character, nec videtur ab illo differre, nisi secundum relationem quamdam : et hoc modo inseparabiliter se tenet cum sacerdotali ordine. Alio modo possumus loqui quantum ad usum : et hoc modo necessario requiritur status viatoris, et auctoritas jurisdictionis. . . . Quod requiratur jurisdictio, patet sic : sacerdos enim est mediator, et, in quantum mediator, inferior est Deo, et superior pœnitente, et arbiter et judex homini constitutus loco Dei ad aperiendum, sive solvendum, et ad parcendum, sive puniendum : talis autem judicatio non est sine aliqua jurisdictione in eum qui judicatur, quia nemo potest aliquem judicare, nisi qui judex ejus constituitur ab eo qui potest. Et ideo jurisdictio est tanquam vis motiva ipsius clavis, sive manus : hac autem deficiente, quæ clavem moveat, etsi adsit clavis, nunquam aperiet ; et si amittitur hæc jurisdictio, cessat clavis executio. . . . Et ideo dico quod etsi clavis quantum ad esse ordinem consequatur, tamen quantum ad executionem sequitur statum et jurisdictionem : et sic patet responsio ad tria prima objecta de hæreticis degradatis, et aliquibus separatis, qui dicuntur non posse, quia non sunt ibi quæ necessaria sunt ad usum : et tamen habent potentiam, sicut in anima cæci est potentia visiva, et tamen videre non potest."

Et respondendo difficultati desumptæ ex eo quod frustra daretur potentia quam actus non consequeretur ; ait (ad 4.) "illud verbum intelligitur de actu generaliter, non de hoc, vel de illo ; quia non oportet quod potentia exeat in omnes, sufficit tamen quod aliquid faciat, ita quod non sit otiosum in natura : et sic est in proposito, quia etsi nihil per illam potentiam fiat exterius, tamen illa potest esse in animæ ornatum quantum ad bonos, vel in confusionem quantum ad malos."

5. Si ad valide absolvendum jurisdictio necessaria esset, sequeretur Summum Pontificem a nemine posse absolvi : sicut enim in foro externo

a nemine judicari potest, ita et in foro interno nemini in se dare posset jurisdictionem.

Respondemus negando illationem.— Etenim, propter supremæ dignitatis suæ in terris prærogativam ab auctoritate humana in foro externo Pontifex non judicatur;—sed cum in foro interno auctoritas absolvendi divina sit, et judicium sacerdotale in hoc foro omnibus christianis peccatoribus sit necessarium, Pontifex dum eligit sibi confessarium eo ipso confert illi in se ipsum jurisdictionem. Sic etiam Principes temporales supremi judicibus, quibus causâs suas decidendas committunt, tribuunt in seipsos, quoad illas causas, jurisdictionem.

NOTA.—Jurisdictio et approbatio Ordinarii tam requiritur ad absolvendum a venialibus, quam a mortalibus, ut declaravit Innocentius XI. anno 1679.

ARTICULUS SEXTUS

De materia sacramenti pœnitentiæ remota et proxima.

Sacramenta novæ legis, ut in Tractatu *De Sacramentis in Genere* demonstravimus, part. 2. a. 2., constant duplici parte signi sacramentalis, materia nempe et forma : de his, quoad sacramentum pœnitentiæ, agendum superest :—et cum duplex sit materia sacramentorum *remota* et *proxima*, remotam prius attingemus, deinde proximam.

Materia remota Pœnitentiæ juxta omnes theologos, sine controversia, sunt peccata post baptismum commissa, sive mortalia sint, sive venialia, sive jam in confessione revelata sint et per absolutionem remissa, sive non ; hoc solo discrimine, quod mortalia nondum confessa et virtute clavium a sacerdote non absoluta, materiam constituunt necessariam, venialia vero et mortalia jam confessa et absoluta materiam liberam.

Quod peccata omnia mortalia nondum subjecta Ecclesiæ clavibus sint materia sacramenti pœnitentiæ omnino necessaria, ex dictis de necessitate hujus sacramenti patet.

Quod peccata venialia et etiam mortalia semel sacramentaliter confessa et valide remissa, non sint materia *necessaria*, sed *sufficiens et libera* ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, facile vindicatur adversus Jansenistarum errorem, et Synodi Pistoriensis insinuationem, qua optabat (propositione 39.) confessionem peccatorum venialium "non tanto-

pere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones;"—quæ etiam insinuatio a Papa Pio VI., Constitutione "*Auctorem Fidei*," declarata fuit, "temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria."

Et sane Christus qui potestatem dedit sacerdotibus remittendi *peccata* in sacramento pœnitentiæ, concessit ut peccata venialia quæ, licet leviora, peccata tamen sunt, in hoc sacramento remitti possint.

Hanc verborum Christi significationem, praxis ab initio continuata, et Patrum declarationes, confirmaverunt.—Tertullianus enim in libro *de pudicitia*, conscripto cum in hæresim Montanistarum jam lapsus fuerat, inter peccata quæ virtute clavium remitti possunt, plurima peccata venialia recenset;—et S. Cyprianus, libro *de Lapsis* (c. 28.), de fidelibus sui temporis scribit: "Apud sacerdotem Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam *parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.*"

Similiter S. Basilius praxim confitendi leves culpas communem fuisse testatur in Regula 4. inter Breviores; et S. Augustinus in Psal. XCIX. (n. 16.) his verbis fideles sui ac futuri temporis hortabatur: "Semper confitere, semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita ut sic mutetur homo, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur."

Præterea confessiones venialium frequentatas semper in Ecclesia fuisse, tam apud Orientales quam apud Occidentales, certissima monumenta ostendunt, ut videre est apud Renaudautium, in opere *de perpetuitate fidei*, tom. 5. l. 3. c. 6.

Hinc per Bullam Leonis X. "*Exurge Domine*," an. 1520., inter alios Lutheri errores, articulum ejus 8., in quo docebat: "Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia," Ecclesia damnavit; et in Concilio Tridentino, tum cap. 5. sess. 14. declaravit, "venialia quibus a Dei gratia non excludimur, et in quæ frequentius labimur . . . recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt:"—tum can. 7. ejusdem sessionis, definivit: "Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ . . . . . non licere confiteri peccata venialia; anathema sit."

Et hic merito P. Albertus a Bulsano (Institut. Theol. Theoreticæ, p. 4. sect. 2. tract. 2.) animadvertit "quod ex sententia et praxi adversariorum gravissimum incommodum sequeretur. Nam confessio, quæ

juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem pœnitentium statum, animam emortuam gravium criminum ream. Sic confessionis onus, quod jam per se ob naturalem verecundiam multis satis grave videtur, efficeretur minus tolerabile ; atque ita metu se prodendi et reddendi publice infamem, quilibet a confessione averteretur."

Fructus vero excellentes, quos ex humili confessione venialium peccatorum capimus, indicat S. Franciscus Salesius (Introd. ad vit. spir. p. 2. c. 19.) nuper Ecclesiæ universæ Doctor renuntiatus : "Confitere humiliter et devote semel in hebdomada, et si fieri potest semper ac ad sacram Synaxim accedis, etsi nullius peccati gravis conscientiam habeas ; quoniam per pœnitentiæ sacramentum non tantum a venialibus noxis confessis absolveris, sed magnam tibi comparabis vim ad eas evitandas, magnum lumen ad eas rite dignoscendas, et uberem gratiam ad reparandum damnum ab illis illatum."

Et hæc de venialibus :—quod vero mortalia peccata semel confessa, et absoluta, sint materia remota sufficiens, quamvis libera, sacramenti pœnitentiæ, demonstratur

1. Ex auctoritate Pontificis Benedicti XI., qui Constitutione "*Inter Cunctas*," data anno 1304., apertissime declarat (Extrav. Comm. l. 5. tit. 7. *de Privilegiis*) : "Ceterum licet . . . de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata ; tamen . . . . propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre."

2. Ex consuetudine piorum fidelium, qui peccata in confessione absoluta non raro iterum confitentur, confessariis et theologiæ doctoribus et Ecclesiæ Præsulibus probantibus ac laudantibus.

3. Ex ipsa sacramenti pœnitentiæ institutione. Christus enim qui potestatem dedit remittendi in hoc sacramento peccata fidelibus, non limitavit illam ad unum actum remissionis. Et insuper fini ejusdem sacramenti omnino consentaneum est quod peccata in confessione semel remissa, possint iterum subjici clavibus, cum virtus pœnitentiæ iterum atque iterum actus suos circa eadem peccata elicere possit, et ad majorem securitatem animarum sicut ad humilitatem et devotionem maxime conferat, ut eadem peccata, secluso scrupulorum periculo, et sub prudenti conscientiæ directione, iterum quandoque confiteantur.

Nec dicatur, formam sacramenti non posse eidem applicari materiæ, quia hoc de proxima, non de materia remota verum est; et in casu, licet idem sit peccatum, accusatio tamen peccati est diversa.

Nec etiam objiciatur quod verba formæ sacramentalis in tali casu vera non essent, cum peccatum semel remissum, iterum remitti nequeat, sicut in rebus naturalibus quod semel destructum fuit, nequit iterum destrui, aut in moralibus sententia semel prolata, et executioni mandata, non potest circa eamdem rem iterum proferri.—Nam ut jam, alia occasione, animadvertimus, remissio peccati fit per infusionem gratiæ ac animæ sanctificationem; et verba formæ hunc sensum præseferunt, *ego confero tibi gratiam, quantum de se est, remissivam peccati;* qui sensus semper manet verus, etiamsi peccata jam in subjecto remissa inveniantur.—In judicio autem sacramentali omnimoda similitudo cum judicio forensi observanda non est, nam in judicio sacramentali non est sola liberatio ab exteriori pœna, quæ intenditur, sicut in judicio forensi, sed potius sanitas animæ et sanctificatio.

Et exinde similiter patet, nullum esse inconveniens in eo quod per iteratam absolutionem tollatur reatus pœnæ temporalis ex priori confessione relictus, et nulla sit necessitas ulterioris satisfactionis ex parte pœnitentis; quia et ipsa confessionis iteratio, actus pœnalis et satisfactorius est ex parte pœnitentis.

Quare S. Thomas (in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. sol. 5. ad 4.) de iterata confessione ejusdem peccati jam remissi, dicebat: "Quanto pluribus sacerdotibus confitetur quis, tanto plus de pœna ei remittetur, tum ex erubescentia confessionis, quæ in pœnam satisfactoriam computatur, tum ex vi clavium. Unde toties posset aliquis confiteri quod ab omni pœna liberaretur; nec reiteratio injuriam facit sacramento, nisi illi in quo sanctificatio adhibetur, vel per characteris impressionem, vel per materiæ consecrationem; quorum neutrum est in pœnitentia."

Hactenus de materia remota sacramenti pœnitentiæ. Quod autem *materiam proximam* spectat, diversimode circa hujus materiæ determinationem opinati sunt doctores.

Nonnulli antiquiores theologi, ut Gulielmus Antissidiorensis, Gulielmus Parisiensis, Alexander Alensis, et alii dixerunt proximam sacramenti materiam esse impositionem manuum, a sacerdote factam dum verba absolutionis profert super pœnitentem.—Ad hanc vero sententiam

defendendam adducti fuerunt tum ex quibusdam decretis antiquorum Conciliorum, in quibus præscripta erat illa manuum impositio ad pœnitentium reconciliationem ; tum ex nonnullis Patrum locutionibus, qui dum ritum hunc commemorabant, ad sacramentum pœnitentiæ alludebant; tum ex praxi communiter in Ecclesia servata elevandi manum super pœnitentem in prolatione formæ absolutionis, ita ut etiam nunc in Rituali Romano statuatur: "Cum igitur pœnitentem absolvere voluerit [confessarius] . . . *dextera versus pœnitentem elevata,* dicit: "Indulgentiam" etc.: "et in Concilio Mediolanensi V. S. Carolus Borromæus confessario injunxerit: "Quod in Ecclesia antiqui instituti veterisque consuetudinis est, recte omnino servet, ut dum absolutionis formulam, precesque adjunctas profert, super caput pœnitentis manum dexteram elevet; id quod etiam cum mysterii significatione fit."

At hæc sententia, quæ impositionem manus sacerdotis considerat tamquam materiam sacramenti proximam, generatim rejicitur a theologis, præsertim recentioribus; et merito.

Etenim impositio manus neque in Scripturis, neque in scriptis Patrum unquam, ut materia sacramenti pœnitentiæ, designata fuit.—Canones Conciliorum, et Decreta Pontificum, quæ impositionem manus in pœnitentium reconciliatione præscribunt, sæpissime eos spectant qui pœnitentiæ publicæ subjecti erant, et publice, vel urgente necessitate privatim, a censuris absolvebantur.—Et si aliquando sacramentum pœnitentiæ in veteribus Ecclesiæ documentis et in scriptis Patrum *manus impositio* appellatur, aut per *manuum impositionem* designatur ; ideo id occurrit, quia ab accidentali ritu nuncupatum fuit, non quia ritus ille ad essentiam pœnitentiæ sacramenti pertinet.—Quod et in aliis sacramentis factum est, ita ut, ex. gr., Tertullianus, *de pudicitia,* c. 14., Eucharistiam appellet *sacramentum benedictionis,* et eodem sensu Græci sacramentum hoc passim vocent *Eulogiam,* quia in eo conficiendo benedictio adhibetur exemplo Christi, quamvis Eucharistiæ consecrationi non sit essentialis.

Præterea Concilium Florentinum, et præsertim Tridentinum, distincte ac copiose de partibus hujus sacramenti disserens, ne verbum quidem habet circa manuum impositionem ; immo, ut videbimus, aliam materiam pœnitentiæ proximam esse indicat.

Demum, ut adnotat S. Thomas (3. p. q. 84. a. 4.): "impositio ma-

nuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti; et in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis; unde et II. ad Timoth. I. 6. dicitur: 'Resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.'—Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum; et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum."

Secunda, circa rem præsentem, sententia est Durandi, qui contendebat proximam sacramenti materiam esse pœnitentis confessionem; contritionem vero præcedere tanquam dispositionem, et satisfactionem esse pœnitentiæ fructum.—At si recte opinio hæc intelligatur a sententia communi, quam mox explicabimus, fere non differt. Nam confessio sacramentalis, de qua Durandus loquebatur, non est mera narratio historica peccatorum, sed eorum accusatio dolorosa, ac proinde includere necessario debet contritionem; et quod satisfactionem attinet, theologi qui aiunt eam esse partem sacramenti essentialem, intelligunt nomine satisfactionis non ipsam operis satisfactorii a sacerdote impositi impletionem, sed voluntatem in pœnitente firmam præstandi satisfactionem quæ imponenda est, et imponitur a sacerdote.—Eodem pacto ad sententiam communem reduci possunt duæ aliæ theologorum quorumdam opiniones, juxta quas partes materiales pœnitentiæ essent vel contritio et confessio, vel confessio et satisfactio.

Tertia sententia, hic commemoranda, est Doctoris subtilis. Etenim Scotus (in 4. dist. 14. q. 4. et dist. 16. q. 1.) docuit sacramenti pœnitentiæ rationem seu essentiam in sacerdotis absolutione totam consistere, contritionem vero, confessionem et satisfactionem, necessarias quidem esse ad sacramentum, non tamen ad ejus essentiam pertinere. "Hujus enim [sacramenti] pars nulla," inquit (dist. 16. quæst. 1. num. 7.), "est contritio, quæ est quoddam spirituale in anima; neque confessio, quia nihil est ipsius sententiæ sacerdotis, sed actus rei accusantis se; neque satisfactio, quæ sequitur illam absolutionem sacramentalem. . . . Hæc

tamen tria ad sacramentum pœnitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, vel sequentia."

Hanc sententiam amplexus est, inter alios, Maldonatus, qui in Tractatu de Pœnitentia, parte tertia, thesi 7. Scoti opinionem, tamquam veriorem defendit, et aperte declarat: "in pœnitentia absolutionem, quatenus est externa quædam ceremonia, esse materiam; eamdem vero, quatenus habet vim significandi, esse formam."

Quarta sententia, quæ communior est inter theologos, docet actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem, esse partes materiales, seu materiam proximam, sacramenti pœnitentiæ ex qua intrinsece componitur:—at ad materiam proximam, ut supra innuimus, satisfactionem pertinere, prout dicit voluntatem præstandi satisfactionem a sacerdote impositam, non autem prout est a pœnitente actu præstita, nam in hoc sensu ad sacramenti pœnitentiæ integritatem solum pertinet.

Quæstionem a Concilio Tridentino definitam non fuisse fatemur, sed ex eo argumenta gravissima sumemus ad hanc ultimam sententiam defendendam, in sequenti thesi.—Sit ergo

THESIS XVIII.

Tres pœnitentis actus, contritio nempe, confessio et satisfactio sunt sacramenti pœnitentiæ materia proxima.

Prob. I. *Auctoritate Conciliorum Florentini et Tridentini.*—Concilium enim Florentinum, in Decreto pro Armenis, ita docet: "Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam."

Concilium autem Tridentinum similiter ait (sess. 14. cap. 3.): "Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe

contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur."—Et in can. 4. definivit: "Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur . . . . anathema sit."

Jam vero ex his Conciliorum declarationibus recte deducimus tres pœnitentis actus, nimirum contritionem, confessionem et satisfactionem, constituere materiam proximam sacramenti pœnitentiæ. Nam

1. Concilia hæc cum omnia sacramenta, et in specie sacramentum pœnitentiæ, essentialiter constare statuerint materia et forma (vide hujus operis, vol. 1. p. 153.), cum distincte formam pro sacramento pœnitentiæ determinaverint, et pro materia nihil aliud assignaverint nisi tres pœnitentis actus quos indicavimus; sat aperte pronuntiaverunt hos actus esse materiam sacramenti.

2. Hæc locutio "*quasi materia*" non est adhibita a Conciliis Florentino et Tridentino ad significandum tres illos pœnitentis actus non esse proprie et in rigore loquendo sacramenti materiam, sed solum apponitur ad declarandum in hoc sacramento materiam, quæ in actibus pœnitentis invenitur, non esse *sicut* in aliis sacramentis materia est. "Neque vero hi actus," ait Catechismus Concilii Tridentini (part. 2. de Sacram. Pœnit. c. 17.), "*quasi materia* a Sancta Synodo [Tridentina] appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia *ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur,* ut aqua in baptismo, et chrisma in confirmatione."

3. Concilia citata pœnitentis actus dicunt esse pœnitentiæ *partes:* ergo, cum agatur de *sacramento* pœnitentiæ, dicunt illos actus esse sacramenti partes.—Sed sacramentum nonnisi duplici parte constituitur, nimirum materia et forma; et Concilia aperte docent hos actus non esse sacramenti formam, nam hanc inveniri docent in verbis absolutionis prolatis a sacerdote habente jurisdictionem.—Ergo Concilia docent eosdem pœnitentis actus esse *partes* ex quibus alia *pars* essentialis sacramenti componitur, nempe materia.

4. Quando Concilium Tridentinum (sess. 14. c. 3.), commemoratis tribus pœnitentis actibus, contritione videlicet, confessione et satisfa-

ctione, addidit: "Qui [actus] quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti . . . . . ex Dei institutione requiruntur;" nullatenus significavit tres illos actus ad essentiam sacramenti non pertinere.—Concilium enim non dixit illos actus esse *partes integrales,* sed eos requiri *ad sacramenti integritatem.* Porro in composito ex partibus, quædam sunt quæ faciunt illud esse *integrum in suis constitutivis essentialibus;* aliæ vero partes sunt, quæ compositum, secundum suum esse jam integrum, complent et integrum reddunt secundum eam, quam habere potest, perfectionem. Illæ ad *essentialem integritatem* necessario requiruntur, istæ vero ad omnimodam integritatem, et perfectionem totius pertinent.—Hac ratione in corpore humano cor et caput ita ad integritatem ejus requiruntur, ut iis deficientibus corpus humanum non habeatur; et e contra pes unus et manus, et oculus ad integram perfectionem humani corporis pertinent, quamvis sine his humanum corpus vere sit et existere possit.—Similiter in sacramento confirmationis, juxta communem theologorum sententiam, chrismatio et impositio manus, quæ chrismatis unctionem comitatur, materiam essentialem constituunt illius sacramenti, ac proinde ad integritatem ejus essentialem requiruntur;—inter theologos autem disputatur utrum ad hanc essentialem integritatem obtinendam, seu *de necessitate sacramenti,* chrisma oleo olivarum confici debeat admiscendo balsamum, an validum chrisma haberi possit, etiamsi balsamum omittatur.

Igitur de *essentiali* integritate sacramenti Concilium Tridentinum locutum est:—et cum contritionem, confessionem pœnitentis, et satisfactionem dixit requiri ad integritatem sacramenti, certe nec affirmavit nec innuit, ut contendunt adversarii, hos actus non constituere partem essentialem sacramenti, nempe materiam.—Præterea, animadvertendum est, satisfactionem *actu præstitam* a pœnitente vere esse, ut adnotavimus, partem integrantem sacramenti, non essentialem.

5. Cum alibi Concilium Tridentinum disserit de dispositionibus necessario ad alia sacramenta requisitis, nusquam eas appellat *partes ad eorum integritatem ex Dei institutione requisitas:*—ideoque sub hac appellatione, dum de pœnitentia loquitur, Concilium declarare intendit pœnitentis actus non esse tantum dispositiones prævias ad sacramentum, sed *partes intrinsecas* et essentiales sacramenti, quæ ejusdem sacramenti materiam vere constituunt.

II. Secundo probatur thesis *ex auctoritate S. Thomæ,* quæ in re præsenti maxima est, nam doctrina de sacramento pœnitentiæ in Concilio Florentino, Decreto pro Armenis, proposita, fere *ad verbum* invenitur in opusculo Doctoris Angelici, *de articulis fidei et septem sacramentis Ecclesiæ ad Archiepiscopum Panormitanum,* prout adnotavimus in Tractatu *de Sacramentis in Genere,* p. 154.

Porro S. Thomas (3. p. q. 84. a. 1.) postquam demonstraverit pœnitentiam, quæ in Ecclesia agitur, esse sacramentum, respondet huic objectioni: "Videtur quod pœnitentia non sit sacramentum, Gregorius [id habet S. Isid. l. 6. Etymol. cap. ult.] enim dicit: 'Sacramenta sunt baptismus . . . . . . quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur salutem.' Sed hoc non contingit in pœnitentia, quia non adhibentur aliquæ corporales res, sub quibus divina virtus operetur salutem. Ergo pœnitentia non est sacramentum."

Et hæc est responsio S. Thomæ: "Ad primum ergo dicendum quod nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad pœnam; et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quæ provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia et matrimonio."

Deinde in confirmationem ejusdem doctrinæ, in solutione secundæ difficultatis ait: "In sacramentis quæ habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiæ, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem pœnitentiæ, sicut dictum est in solut. præc., sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex

inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pœnitentem absolvit."

Et ad 3.: "Dicendum quod etiam in pœnitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem."

In eadem quæstione, art. 2. ait: "Dictum est, articulo præcedenti, ad 1. et 2., quod *materia proxima hujus sacramenti sunt actus pœnitentis.*"

In q. 90. art. 1. inquit: "In sacramento pœnitentiæ actus humani se habent *per modum materiæ.*"—Et ad 2.: "Partes assignantur pœnitentiæ in quantum est sacramentum, ad quod *actus humani comparantur ut materia.*"—Et ad 3.: "Peccata sunt materia remota pœnitentiæ, in quantum scilicet sunt materia vel objectum humanorum actuum, *qui sunt materia pœnitentiæ, prout est sacramentum.*"

III. Tertium argumentum ad vindicandam thesim propositam desumitur ex *natura ipsa sacramenti.*—Etenim, ut demonstravimus, p. 2. art. 2., Christus sacramentum hoc instituit ad modum judicii, quo pœnitentes sacerdoti legitimo peccata sua in confessione sacramentali aperiant, dispositi ad acceptandam et suo tempore exequendam satisfactionem ab ipso sacerdote imponendam, et sic accipient ab eo sententiam absolutionis.—Atqui judicium hoc sacramentale necessario includit actus pœnitentis, contritionem nempe, confessionem, et satisfactionem, ut essentiale constitutivum et ut materiam ipsius judicii.—Ergo actus isti pœnitentis essentialiter ad sacramentum constituendum requiruntur, tamquam materia.

Minor fere nulla indiget declaratione. Si enim sacramentum hoc, institutum ad modum judicii, essentialiter requirit accusationem dolorosam pœnitentis, qui dispositus sit ad satisfaciendum Deo offenso; adeo ut sine submissione hac pœnitentis, judicium sacramentale et sacramentum a Christo institutum non habeatur; manifestum est submissionem istam pœnitentis, quæ fit per confessionem dolorosam et promptam voluntatem satisfaciendi, seu per contritionem, confessionem et satisfactionem, de essentia esse sacramenti; ac proinde hos actus pœnitentis esse sacramento essentiales.—Quod autem iidem actus, qui haberi debent ut *constitutivum essentiale* sacramenti, materiam ejus constituant, clarissime patet. Et sane, submissio culparum, in judicio sacramentali, sub

potestate judicis supponitur, tamquam res ab eo per verba sententiæ absolutoriæ determinanda:—ideoque in sacramento pœnitentiæ se habet tamquam *materia* relate ad sacerdotis absolutionem, quæ est *forma*:—in sacramentis enim, sicut in omnibus ex materia et forma compositis, elementum essentiale quod est indeterminatum ac imperfectum, et determinari ac perfici per aliud debet, vocatur materia; elementum vero determinans atque perficiens, ut sunt verba sacramentalia, vocatur forma.

Objicitur

1. Concilia Florentinum et Tridentinum satisfactionem dicunt esse partem pœnitentiæ, sicut contritionem et confessionem. Atqui Concilia illa certe non dicunt satisfactionem esse sacramenti partem essentialem. Ergo contritionem et confessionem ad essentiam sacramenti pertinere non affirmant.

Resp. *Dist. min.*—Concilia non dicunt satisfactionem esse de essentia sacramenti, quatenus est a pœnitente actu præstita, secundum sacerdotis præscriptum *C.* Non dicunt satisfactionem esse de essentia sacramenti, quatenus firmum propositum satisfactionem injunctam subeundi significat, seu quatenus satisfactio a pœnitente acceptanda est *N.*— Etenim, ut egregie notat Catech. Concilii Tridentini (p. 2. de Pœnit. c. 29.), "pœnitentia est veluti quædam delictorum compensatio, ab ejus voluntate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Quare et voluntas compensandi requiritur, in quo maxime contritio versatur; et pœnitens sacerdotis judicio, qui Dei personam gerit, se subjiciat necesse est, ut pro scelerum magnitudine pœnam constituere in eum possit: ex quo tum confessionis, tum satisfactionis ratio et necessitas perspicitur."—Et exinde etiam constat quod idem Catechismus animadvertit (ibid. capit. 28.), nimirum pœnitentiæ partes adeo inter se esse connexas, "ut contritio confitendi et satisfaciendi consilium et propositum inclusum habeat."

2. Contritio non est sensibilis:—ergo non potest esse pars materialis sacramenti pœnitentiæ.

Resp. *Dist. Ant.*— Non est sensibilis, prout in corde pœnitentis concipitur *C.* Prout ab eo signis externis, et ipsa confessione dolorosa, manifestatur *N.* et *Nego conseq.*

3. Dolor et confessio rei non pertinent ad substantiam judicii :—ergo non sunt partes sacramenti, quod per modum judicii est institutum.

Resp. *Dist. Ant.*—Non pertinent ad substantiam judicii forensis *C.* Non pertinent ad substantiam judicii reconciliativi, quod in hoc pœnitentiæ sacramento Christus instituit *N.* et *N. Cons.*—In causis civilibus et criminalibus nihil refert, utrum reus crimen aut debitum fateatur, an non ; utrum debitum aut pœnam libens an invitus solvat; modo, causa cognita, legitime fuerit condemnatus :—alius enim in illo judicio est accusator, alius est reus.

At res aliter se habet in pœnitentia, quæ est ad amicitiam cum Deo redintegrandam; in hoc enim judicio sacramentali reus ipse voluntarie sistit coram judice, et delictum suum libere aperit ei, qui accepta per hanc confessionem cognitione causæ eum absolvit, imponendo condignam satisfactionem.

Audiatur hic Doctor Angelicus. "Alio modo," dicit (3. q. 90. a. 2.), "fit recompensatio offensæ in pœnitentia, et in vindicativa justitia. Nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi ; sed in pœnitentia fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur ; quia hic non quæritur sola redintegratio æqualitatis justitiæ, sicut in justitia vindicativa ; sed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pœnitentis, primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem : secundo quod se subjiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione ; tertio quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio et satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ."

4. Sacramenti pœnitentiæ minister solus est sacerdos.—Sed si pœnitentis actus ejusdem sacramenti essent materia, pœnitens sacramenti minister esset :—minister enim sacramenti est, qui materiam ejus subministrat.—Ergo.

Resp. *Neg. min. et prob.*—Non est enim sacramenti minister qui materiam ejus suppeditat ; sed qui applicando formam materiæ conficit signum sacramentale ;—et hic in sacramento pœnitentiæ solus est sacerdos.

5. Sacramentum gratiam producit non solum ratione formæ, sed etiam materiæ, ex qua constat.—Sed actus pœnitentis non producunt gratiam, secus pœnitens ipse sibi gratiam conferret, et peccata dimitteret.—Ergo.

Resp. *Ad Maj. Dist.*—Sacramentum gratiam producit non modo ratione formæ, sed etiam materiæ, idest, sanctificat ratione *totius signi sacramentalis, in suo esse constituti C.* Idest, materia sacramenti per se, independenter a forma, gratiam producit *N.*—"Detrahe verbum," aiebat S. Augustinus (Tract. 80. in Joan. n. 3.), "et quid est aqua [baptismi], nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum." —Confer ea quæ diximus in Tractatu *De Sacramentis in Genere*, p. 2. aa. 2. et 3.

Ad Min. Dist.—Actus pœnitentis non producunt gratiam, de se et independenter ab absolutione sacerdotis, quæ est forma *C.* Actus pœnitentis, quatenus verbis absolutionis conjunguntur, et cum eis unum signum sacramentale constituunt, non producunt gratiam *N.*

Et *N. prob. min.*—Nam licet actus pœnitentis concurrant tamquam materia in signo sacramentali, ut mox declaravimus, ad producendum ex opere operato effectum sacramenti, seu gratiam sanctificantem; dici tamen nullo pacto potest, pœnitentem sibimet gratiam conferre, et per actus suos, ex opere operato peccatum remittere. Per sacramentum enim gratia ex opere operato confertur, quæ peccata remittit; et non ipse pœnitens, sed sacerdos solus est qui sacramentum conficit et confert, cum ipse solus sit qui sententiam proferat absolutionis, juxta potestatem a Christo acceptam remittendi peccata.

Hanc vero doctrinam Concilium Tridentinum tradere voluit, dicens (sess. 14. c. 3.): "Docet præterea Sancta Synodus, sacramenti pœnitentiæ *formam, in qua præcipue ipsius vis sita est,* in illis ministri verbis positam esse: 'Ego te absolvo,'" etc.—Et S. Thomas eamdem doctrinam declaravit in 3. q. 86., a. 6. "Omne sacramentum," inquit, "producit effectum suum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ; ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra habitum est, q. 60. a. 6. ad 2. et art. 7. Unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ; principalius tamen virtute formæ, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam remissio culpæ est effectus pœnitentiæ; principalius quidem ex virtute

clavium quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, ut supra dictum est, q. 84. art. 3.; secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ."

6. Sola absolutio sacramentalis significat gratiam quæ per sacramentum pœnitentiæ confertur: ergo sola absolutio essentialiter constituit signum sacramentale.

Resp. *N. Ant.* — Licet enim verba formæ distinctius significent sacramenti effectum,—et hoc est omnibus formis sacramentalibus proprium,—actus tamen pœnitentis, prout formæ sacramentali ut materia conjunguntur, suam etiam habent significationem; nam, ut ait Suarez (disp. 18. sect. 2. n. 12.): "Signa contritionis sunt etiam signa interioris remissionis; et per confessionem significatur, quod sicut peccata exterius manifestantur, ita etiam ab anima ipsa excluduntur. Satisfactio etiam aperte significat remissionem pœnæ."

ARTICULUS SEPTIMUS

De contritione ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum requisita.

Contritionem essentialiter, ut materiæ proximæ partem, requiri ad sacramentum pœnitentiæ constituendum, in præcedenti articulo, demonstravimus:—sed contritio vel est perfecta, vel imperfecta, quæ vocatur attritio; ex his duabus estne contritio perfecta necessaria, an attritio sufficit?

Quæstioni huic varium responsum dederunt Theologi.

Inter antiquiores, Petrus Lombardus (4. sent. dist. 18.), S. Bonaventura (ib. a. 2. q. 1.), Gabriel et alii putaverunt contritionem perfectam ad remissionem peccatorum mortalium semper requiri.—Ut hanc sententiam emollirent, Henricus (quodl. 1. q. 32.), Ferrariensis (in lib. 4. contra Gentes c. 72.) aliique dixerunt perfectam contritionem esse per se necessariam ad sacramenti effectum percipiendum; sed quandoque sufficere attritionem; tunc enim sacramentum efficere ut pœnitentis actus ex attritione transiret in contritionem, vel quia perficeret ipsum attritionis actum, vel quia moveret pœnitentem ad eliciendam contritio-

nem, vel quia per habituum infusionem efficeret ut homo attritus æquivalenter contritus evaderet.—Hoc ultimum docuerunt Franciscus Victoria, Sotus, Ledesma et quidam alii.

Verum communissima et moraliter certa sententia docet contritionem, sive veram, sive existimatam, in sacramento pœnitentiæ non requiri, sed sufficere attritionem. Immo Suarez postquam propositionem hanc statuerit (disp. 20. sect. 1. n. 10.): "Sacramentum [pœnitentiæ] habet virtutem ad justificandum peccatorem per solam veram, supernaturalem et integram attritionem dispositum; et in hoc sensu efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attritio contritum;" addidit: "Hanc conclusionem existimo hoc tempore adeo certam, ut non possit absque errore negari, loquendo, ut loquimur, absolute de efficacia, abstrahendo a modo quo id fit."

Sed etiam postquam communiter admissa fuerit hæc sententia, juxta quam perfecta contritio ex parte pœnitentis necessario non requiritur ad sacramentum pœnitentiæ ejusque effectum suscipiendum, controversiæ non cessarunt inter Theologos.

Etenim Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 6., describens modum præparationis ad justificationem pro adultis, docuit: "Disponuntur autem ad ipsam justitiam . . . dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, *illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*"—In sessione vero 14. cap. 4. loquens de attritione, quin dilectionem Dei commemoraverit, dixit: "Quamvis [attritio] sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit."

Et exinde contentio orta est inter doctores, aliis dilectionem inchoatam seu amorem Dei, quem vocant initialem, absolute requirentibus ut attritio in sacramento pœnitentiæ proxime ad gratiam consequendam disponere possit; aliis id negantibus.

Sed et amor ipse initialis, de quo controvertitur, varia significatione, secundum varias contendentium opiniones, sumitur.

Juxta nonnullos sæculi XVII. Lovaniensium doctores amor ille

est benevolentiæ et amicitiæ, seu vera est caritas, qua Deus propter se et quia summe bonus ac perfectus est diligitur, actu tamen remisso.

Juxta alios theologos, quos inter eminet Pallavicinus, inchoata dilectio, quæ cum attritione necessario conjuncta inveniri debet, ut peccatorum remissio in sacramento pœnitentiæ conferatur, ea omnis et sola est, qua Deus propter se, tamquam finis *cui* diligitur, sed nondum super omnia :—nam etiamsi, inquiunt, divina bonitas creatis omnibus præstet, eisque anteferri mereatur ; vere tamen et sincere diligi potest propter se, licet non secundum totam dignitatem et amplitudinem suam. Possumus enim vere ac sincere, aiunt, amplecti motivum aliquod, etsi illud non amplectamur secundum totam suam dignitatem et amplitudinem. Et in hanc rem affertur Bellarminus, qui (l. 6. de Gr. et lib. arb. c. 7.) ait: "Dilectio Dei, alia est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponit; alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus ceteris præfert." Et infra: "Dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen caritatis, neque implet legem, neque conveniunt illi encomia, quæ passim tribuuntur in divinis litteris caritati: tamen ex iisdem locis convincitur, imperfecta illa dilectio donum esse Dei, et ex solis naturæ viribus haberi non posse."

Alii demum nomine inchoatæ dilectionis spem intelligunt, qua Deus nondum amore *benevolentiæ*, sed amore *concupiscentiæ* diligitur, cum in Deum tamquam in *proximum finem cui* amans non feratur, sed *proximum subjectum cui* sit ipse amans.

Disputatio circa attritionem et amorem initialem necessarium ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, vehementi æstu sæculo XVII. agitata, Decretum Alexandri VII. provocavit, quod subjungimus:

"Feria 5. die 5. Maii 1667.—Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. cum accepisset. . . . Scholasticos quosdam acrius . . . . inter se contendere, an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in sacramento pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, et invicem adversam sententiam censurantibus ; Sanctitas sua enixe cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque fomitem scissuræ extingui, auditis votis Eminentiss. et Reverendiss. Dominorum Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum . . . . . . hoc præsenti Decreto, in

virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic Sanctæ Sedi reservata, aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, et singulis fidelibus, quocumque gradu, et dignitate . . . . . ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, ceterosque erudient, non audeant alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum."

Verum P. Viva (Damnat. Thesium Theol. Trutina p. 3. prop. XV. ab Alexan. VIII. num. 33.) postquam Decretum hoc retulerit, monet: "præceptum istud in virtute S. Obedientiæ, ne censura ulla his opinionibus inuratur, non impedire, quominus aliqua ex iis dici possit improbabilis, et falsa, ut docent theologi communiter; tum quia inter censuras theologicas non recensetur falsitas, et improbabilitas; tum etiam quia evidens est alterutram ex his opinionibus extreme oppositis, quæ censurari non possunt, esse falsam."

His ad rectam quæstionis intelligentiam præmissis, subjungitur

THESIS XIX.

Ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, perfecta contritio non requiritur; sed attritio, ut talis etiam cognita, sufficit. Hæc autem attritio, quæ ex parte finis et termini dilectionem Dei, seu caritatem, profecto respicit, nullum alium amorem erga Deum, ex parte subjecti et principii, comprehendere debet, ut proxima ad gratiam sacramenti dispositio sit, præter amorem spei, quo Deus diligitur ut nobis bonus.

Duas partes complectitur thesis: una statuit contritionem perfectam in pœnitente non requiri ad sacramenti pœnitentiæ susceptionem, sed attritionem sufficere;—altera declarat naturam attritionis requisitæ, et

ostendit quo sensu amor initialis, cum attritione necessarius ad obtinendam sacramenti gratiam, intelligi debeat. Articulatim utramque partem vindicabimus.

Prob. 1ª *pars thesis.* I. *Ex institutione et natura sacramenti.*—Etenim ex hucusque probatis disertissime constat Christum dedisse Petro, et in eo ceteris episcopis et presbyteris claves, quarum vi fidelibus pœnitentibus foras cœli, eis ob peccatum clausas, aperire possint; dedisse Apostolis et ipsorum successoribus potestatem solvendi et remittendi peccata; instituisse sacramentum pœnitentiæ, in quo et per quod lapsi post baptismum possint iterum Deo reconciliari.—Atqui hæc vera non essent, si pœnitentes ad sacramentum pœnitentiæ sine contritione perfecta accedere non possent, et attritio sola non esset in eis dispositio sufficiens ad sacramenti gratiam percipiendam. Ergo.

Prob. min.—Ex thesibus V. et VI., quas 1. parte, articulis 5. et 6., demonstravimus, certum est, contritionem perfectam, in quocumque gradu intensitatis, etiam extra casum necessitatis, semper, peccatorem pœnitentem statim, ante sacramenti susceptionem, Deo reconciliare.—Ergo si ad pœnitentiæ sacramentum accedere pœnitens non posset sine contritione perfecta, sacramentum istud suscipere non posset nisi prius per contritionem perfectam Deo jam esset reconciliatus.—Sed si res ita se haberet, perfecto pœnitens *in sacramento et per sacramentum* Deo unquam reconciliari non posset, nec ab peccatis absolvi, nec habere vi clavium Ecclesiæ reseratas cœli januas, quas sibi occluserat per peccatum. Ergo verum non esset, Christum dedisse Ecclesiæ claves ut per eas cœlum pœnitentibus aperiretur, et tradidisse Apostolis atque eorum successoribus potestatem qua lapsis fidelibus peccata remitterent, eosque in sacramento pœnitentiæ iterum Deo reconciliarent.

II. *Ex doctrina Patrum.*—Et re quidem vera, juxta ipsos, morientium salus ita ab absolutione sacerdotis pendere potest, ut defectu hujus absolutionis quandoque damnentur.—Atqui id falsum omnino esset, si perfecta contritio ad absolutionem sacerdotis obtinendam necessario requireretur.—Ergo.

Prob. min.—Nam si morientes contritionem perfectam haberent, salvarentur, absolutione sacerdotis etiam deficiente:—si contritionem non haberent, etiamsi acciperent absolutionem sacerdotis, salvari non possent.—Ergo.

Major ex testimoniis Patrum, sæpius commemoratis, patet; et clarissime asseritur his verbis S. Augustini (Ep. 180. al. 228. num. 8.): "Si ministri [sacramentorum] desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel *ligati*. Si autem ministri adsint . . . omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii *reconciliantur*."—Idipsum proclamat S. Cœlestinus Papa I. Epist. 4. ad episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis (n. 3.): "Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. . . . . Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam, sua crudelitate, *ne absoluta esse possit*, occidere?"

Juxta eamdem doctrinam, Patres in Concilio Carthaginensi III., can. 34., præscripserunt omnes ægrotantes in mortis articulo baptizari, vel *absolvi*, modo aliorum testimonio constaret, hæc sacramenta ab eis expetita fuisse.—Et ex sensu totius Ecclesiæ, quin cetera hujus doctrinæ documenta innumera prosequar, Concilium Tridentinum (sess. 14. c. 7.) declaravit: "Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla reservatio sit in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt."

III. *Ex Concilio Tridentino.*—Sane, in sessione 14. capite 4., Sancta Synodus docuit: "Contritionem . . . . aliquando caritate perfectam esse . . . . hominemque Deo reconciliare, *priusquam hoc sacramentum* [pœnitentiæ] actu suscipiatur. . . . Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ . . . donum Dei esse . . . quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit."—Porro ex his verbis manifestum est Concilium docuisse duplicem dari dispositionem ad consequendam gratiam justificationis; unam extra sacramentum, quæ est contritio, cujus prius meminit, et alteram *in sacramento*, quæ est attritio, de qua deinde loquitur. Ergo, juxta Concilium Tridentinum, attritio est *in sacramento* pœnitentiæ dispositio sufficiens ad justificationis gratiam consequendam.

Nec dicatur ex doctrina Concilii attritionem in sacramento esse qui-

dem dispositionem ad gratiam sanctificantem; sed *dispositionem remotam* non *proximam* :—nam

1. Concilium in verbis mox citatis contritioni perfectæ opponit contritionem imperfectam, seu attritionem.— Ergo cum de contritione perfecta dicat eam esse extra sacramentum dispositionem *proximam* ad gratiam consequendam, quia extra sacramentum Deo hominem reconciliat; de contritione imperfecta, seu de attritione, dicens per se non posse peccatorem ad justificationem perducere, sed *disponere eum ad Dei gratiam in sacramento*, loquitur *de dispositione proxima*, et docet attritionem *esse talem dispositionem* ad gratiam, *in sacramento*, non *extra sacramentum, ut est contritio.*

2. Concilium distinguens inter attritionem *extra sacramentum*, et attritionem *in sacramento*, affirmat attritionem *extra sacramentum* esse dispositionem *remotam* ad gratiam consequendam; nam ait pœnitentem per illam attritionem parare sibi viam ad justitiam.—Ergo cum docet attritionem *in sacramento* esse *dispositionem* ad gratiam recipiendam, de dispositione *proxima* loquitur, et non remota :—secus enim inutiliter inter attritionem extra sacramentum, et attritionem in sacramento distinxisset.

3. Quinimo, si attritio non esset in sacramento dispositio proxima ad gratiam consequendam, falso Concilium dixisset attritionem "ad Dei gratiam *in sacramento* impetrandam disponere." Nam ad id *numquam* disponeret; sed juxta sententiam, quam impugnamus,—et quæ requirit contritionem perfectam in pœnitente ut gratiam sacramenti percipiat,—disponeret ad impetrandam contritionem perfectam, qua posita, *ante sacramenti susceptionem*, peccator gratiam justificationis consequeretur.

4. Mens Concilii apertissime patet in verbis quæ, capite 4. citato, mox subjungit: "Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre; quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit." Hanc autem illationem Concilium deducit ex doctrina, quam ibidem prius asseruit ac probavit, nimirum, motum attritionis "esse Dei donum et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis."—Sed hæc illatio futilis omnino esset, si sacramentum pœnitentiæ gratiam non conferret, nisi prius actum contritionis perfectæ pœnitens elicuisset; in hac enim hypothesi, — et evidenter

appareret gratiam in sacramento pœnitentiæ non dari absque bono motu suscipientium, nam manifeste constat contritionem perfectam esse bonum actum pœnitentis;—et nulla esset ratio refutandi calumnias adversus catholicos scriptores latas, cum nemo umquam ex adversariis negaverit contritionem perfectam esse bonam;—et ut demonstraretur sacramentum pœnitentiæ non suscipi sine bono motu suscipientis, ostendi non deberet attritionem esse bonam, si attritio non esset in suscipiente actus, qui, cum confessione rite absoluta et propositum satisfaciendi, pœnitentem in sacramento immediate disponeret ad gratiam justificationis per sententiam sacerdotalis absolutionis consequendam.

IV. *Ex declarationibus post Concil. Tridentin. latis.*—Clerus Gallicanus in Conciliis generalibus, an. 1700 celebratis, duo "ex sacrosancta Synodo Tridentina" monenda esse declaravit, et primum illorum esse "ne quis putet, in utroque sacramento [baptismo et pœnitentia] requiri ut præviam contritionem illam, quæ sit caritate perfecta, et quæ cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat."

Et jam ab anno 1638. Facultas Parisiensis, inter alias sententias ab ea damnatas in libro de Virginitate edito a Claudio Seguenotio Oratoriano, quasdam rem nostram spectantes proscripserat his verbis: "Quæ tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta caritate necessitate ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, et quæ addit et approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, et censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi et omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti pœnitentiæ imminutivas, et insuper temerarias et erroneas."

V. *Ex suavitate legis Evangelicæ* confirmatur thesis, quam defendimus. Lex enim nova longe facilior ac suavior est veteri:—at talis non esset circa remissionem peccatorum consequendam, si contritio perfecta in pœnitentiæ sacramento requireretur. Ergo.—*Prob. min.*—In lege antiqua ad peccatorum remissionem obtinendam actus contritionis sufficiebat, sine sacramento aut ejus voto: nunc autem in nova lege, præter contritionem, sacramentum pœnitentiæ requireretur.

Prob. 2ª *pars thesis.*—Et in primis dicimus,—*attritionem, ex parte finis et termini, respicere Dei dilectionem:*—idque cuique vel leviter attendenti clarissime patet. Etenim pœnitens ad sacramentum recon-

ciliationis accedit, ut per illud remissionem peccatorum accipiat, Deo reconcilietur, in ejus amicitiam iterum admittatur, et accipiat gratiam sanctificantem et caritatem.—Ergo finis a pœnitente intentus est amicitia Dei recuperanda ; et terminus cui tendit est hæc ipsa amicitia, quæ mutua caritate habetur inter Deum et hominem.

Hinc Concilium Tridentinum attritionem in sacramento pœnitentiæ requisitam describens, dixit, verbis superius citatis, "eam esse Spiritus Sancti impulsum . . . quo pœnitens adjutus *viam sibi ad justitiam parat*," et eam esse quæ pœnitentem *ad Dei gratiam* in sacramento pœnitentiæ *impetrandam* disponit."

Præterea dicimus,—*attritionem, quæ est proxima dispositio ad gratiam sacramenti recipiendam, comprehendere amorem spei, quo Deus diligitur ut nobis bonus.*

Et hoc etiam facili negotio demonstratur: nam 1. Concilium Tridentinum, cum dixerit attritionem parare pœnitenti viam justitiæ, eumque in sacramento disponere ad gratiam consequendam, expresse statuit (sess. 14. cap. 4.), *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ.* Hæc autem spes veniæ, qua ad sacramentum pœnitentiæ accedimus ut cum Deo reconciliemur, nequit haberi, ut patet, sine amore concupiscentiæ erga Deum, quo Deus diligitur ut nobis bonus.

2. Idem Concilium, sess. 6. c. 6., loquens de dispositione in adultis ad justificationem, ait: "De hac dispositione scriptum est 'Accedentem ad Deum oportet credere, quia est et quod inquirentibus se remunerator sit.' Et 'Confide fili remittuntur tibi peccata tua.'" Porro quis non videt, accedere ad Deum ut Remuneratorem, eique confidere, esse spei et amoris concupiscentiæ æternæ in cœlis felicitatis?

3. Attritioni,—quæ imperfecta solum contritio est, quia non elicitur ex motivo caritatis erga Deum,—descriptio Tridentini convenit, qua dicit contritionem esse "animi dolorem et detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero."—Sed dolor et detestatio peccati non habentur sine amore illorum, quæ per peccatum amisimus et recuperare desideramus, nimirum divinam gratiam, et jus ad æternam beatitudinem.—Ergo attritio, quæ est dolor et detestatio de peccato commisso, elicitur cum amore et ex amore consequendi divinam gratiam, et iterum acquirendi jus ad æternam beatitudinem; qui amor est concupiscentiæ, seu spei supernaturalis.

4. Non minor dispositio requiritur ad peccatoris justificationem in pœnitentiæ sacramento, quam ad justificationem adulti per baptismum. —Atqui pro adulto ut in baptismo justificetur requiritur ut Deum "diligere *incipiat* tamquam omnis justitiæ fontem," ut declarant Tridentini Patres; et hæc verba saltem de amore spei intelligenda sunt;—mox vero probabimus, non significari per illa caritatem.—Ergo et attritio, quæ proxima sit dispositio ad gratiam in sacramento pœnitentiæ consequendam, comprehendere debet amorem spei.

5. Homo, qui peccando ab amore Dei se avertit, et ad amorem creatæ bonitatis se convertit, ad divinam amicitiam admitti nequit, nisi relinquendo inordinatum creaturæ amorem, ad Deum amandum se convertat.—Si igitur necesse non erit ut Deum perfecte diligat, tamquam bonum in se, caritate perfecta; saltem necesse erit, ut eum diligat amore minus perfecto, seu concupiscentiæ, quatenus est bonus nobis.—"Offensa peccati mortalis," ait S. Thomas (3. q. 86. a. 2.), "procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, et proposito emendandi."—Et, responsione ad 1., addit: "Adulto, in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in baptismo, sine actuali immutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam."— Illam vero immutationem voluntatis cum conversione ad Deum, non requirere in sacramento amorem Dei benevolentiæ et amicitiæ, qui esset cum contritione perfecta, declarant hæc alia verba clarissima S. Doctoris (in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. solut. 1. ad 5.): "Ad hoc quod homo se præparet ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non caritas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio."

Demum dicimus,—*opus non esse ut attritio alium amorem erga Deum comprehendat, præter amorem spei, quem vindicavimus.* Et id ostendimus

1. Quia hic amor Dei initialis, præter spem, nequit esse, ut quidam contendunt, caritas ex suo formali objecto perfecta, sed quoad intensionem, seu vehementiam actus, remissa. Etenim caritas in quocum-

que gradu remisso intensionis, vere est caritas; et contritio ex caritate perfecta, est contritio perfecta. Porro in prima parte hujus thesis demonstravimus contritionem non esse necessariam ad obtinendam in sacramento pœnitentiæ justificationem.

2. Amor initialis non est, ut alii volunt, dilectio Dei imperfecta, qua peccator aliquo modo erga Deum afficitur, sed eum non præfert ceteris rebus.—Profecto iste dilectionis erga Deum motus valde imperfectus, qui neque cor hominis a rebus creatis inordinate amandis avertit, neque ad implendam legem Dei voluntatem inclinat, nequit dici dispositio proxima requisita ad obtinendam gratiam justificationis in sacramento.—In mentem revoca ea quæ mox declaravimus de natura attritionis in sacramento ad justificationem necessaria, et de mutatione voluntatis, sine qua, etiam in sacramento, peccator non est proxime dispositus ad consequendam sanctificationis gratiam, et peccatorum, quæ admiserat, remissionem.

3. Concilium Tridentinum, sessione 6. cap. 6., dicens peccatores ad justificationem sese disponere dum Deum, "tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt," nullam aliam dilectionem pro adulto qui se disponit ad gratiam in sacramento consequendam requirit, præter spem.—Nam hæc verba per se spem significant, cum dicant nos Deum diligere tamquam auctorem nostræ justificationis, seu *prout est nobis bonus et salutaris;* et *hæc dilectio* non eliciatur nisi *a spe theologica.*

Nec dicatur Concilium utrumque ibi distincte commemorasse, scilicet, spem et dilectionem Dei, tamquam omnis justitiæ fontis; ideoque, præter spem, aliam dilectionem requirere tamquam dispositionem proximam ad obtinendam gratiam sacramenti.—Hæc illatio non recte deducitur ex verbis Synodi.—Etenim Concilium non dicit: peccator se disponit ad gratiam justificationis *per actum spei, et per dilectionem erga Deum;* sed ait: peccator, *dum se convertit ad considerandam Dei misericordiam, in spem erigitur, fidens Deum sibi propter Christum propitium fore, et illum incipit diligere.* Hinc mens Concilii est declarare hoc unum, nempe peccator, dum sperat in Deum misericordem, incipit eum diligere:—et hoc plane fatemur, spes enim est ex amore concupiscentiæ.

Et contextus Capitis confirmat hanc interpretationem. Nam ad comprobandam ex Scripturarum testimoniis doctrinam, quam proposuit,

Concilium statim hæc duo refert, quæ ad spem pertinent: "*Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit;*" et, "*Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*"

4. Etiamsi concederetur in verbis Concilii Tridentini nuper citatis intelligi posse indicatum amorem benevolentiæ erga Deum; immo hunc solum amorem esse ibi significatum, non autem amorem concupiscentiæ, qui est spei; nihil ex hac concessione sequeretur quod infirmaret thesim nostram.—Et sane, tunc admitti posset illud quod cum quibusdam aliis contendit Suarez (in 3. p. S. Thomæ, disp. 28. sect. 2.), nimirum, "Concilium non descripsisse dispositionem simpliciter necessariam; sed vel eam, quæ optima est omnium, magisque certa, et hominibus, etiam ante baptismum, magis consulenda (fortasse enim ideo abstinuit a verbo *necessitatis;* solum dixit 'quam ante baptismum agere oportet');—vel . . . . enumeravit eos actus, qui per se loquendo, sunt aliquo modo necessarii; *non determinans, an omnes simul sint necessarii in omni justificatione intra et extra sacramentum:* an vero *perfectiores* sint necessarii *extra sacramentum*, alii *minus perfecti cum sacramento sufficiunt;* quod clarius ipsummet Concilium docuit sess. 14. cap. 4."

5. Sessionis 6. canon 3., quem adversarii nostri citant ut probent alicujus dilectionis perfectæ necessitatem præter spem, in pœnitente, qui proxime in sacramento disponitur ad justificationem, quæstionem nostram non attingit. Ille canon ita se habet: "Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, ejusque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit."—Et definitionis scopus est, ut patet, adstruere *divinæ gratiæ necessitatem* ad habendam Dei dilectionem, non vero *necessitatem dilectionis Dei in sacramento pœnitentiæ.*—Id Andreas Vega, qui Concilio Tridentino interfuit, testatur inquiens: "Ex qua definitione colligi non potest, dilectionem Dei super omnia antecedere justificationis gratiam, sed solum inde colligitur ad quamcumque sufficientem dilectionem opus esse auxilio Spiritus Sancti speciali."—Vide Tournely, de sacram. Pœnitentiæ, q. 5. a. 2.

6. Cum in Concilio Tridentino ageretur de doctrina circa motum attritionis ad consequendam sacramenti pœnitentiæ gratiam statuenda, hoc fuit schema propositum, et ab Angelo Massarello secretario recita-

tum, die 16 Novembris, an. 1551. (V. Acta Genuina SS. Concilii Tridentini integra edita ab Aug. Theiner, Zagabriæ t. 1. p. 584.): "Illam vero contritionem, quam theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, et solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit hæc S. Synodus et declarat: non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, et per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur."

Porro in hoc schemate verba illa "*cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat*" expuncta fuerunt, post animadversionem episcopi Tudensis in Congreg. gener., die 24 Novembris ejusdem anni 1551 (V. Acta Conc. p. 600.); et sessione 14. celebrata die 25 Novembris 1551, hæc alia verba in Decreto inserta: "*cum spe veniœ.*"—Ex quo facto luculenter apparet Concilium utique admississe *aliquem dilectionis motum* erga Deum esse necessarium ad consequendam gratiam justificationis in sacramento; sed illum non esse alium præter *amorem spei.*

7. Nec objiciatur in schemate hæc etiam verba: "*sufficere ad sacramenti hujus constitutionem,*" fuisse expuncta;—nam verba quæ in Decreto approbata sunt eamdem ideam, ut probavimus supra, exprimunt, et quidem majori locutionis rectitudine: non enim proprie dicitur attritionem *sufficere* ad constitutionem sacramenti, cujus *aliqua pars materialis* tantum est. Præterea noluit illis verbis Concilium sententiam Scoti aperte proscribere, qui in sola absolutione sacerdotis essentiam hujus sacramenti consistere voluit.

8. Scripturarum testimonia et Patrum, quæ nobis objiciuntur ab adversariis ad rem non pertinent. Dicunt enim hominem sine caritate manere in morte peccati, et cum caritate illico esse justum:—sed hæc ostendunt peccatorem extra sacramentum nonnisi per contritionem, caritate perfectam, justificari posse, et de facto per illam statim ante

sacramenti susceptionem justificari; quod tenemus et in prima hujus Tractatus parte vindicavimus;—sed non arguunt necessitatem caritatis ad justificationem obtinendam in sacramento.—Immo ex ipsis contrarium constat: nam si caritas actualis requireretur in eo qui ad sacramentum pœnitentiæ accedit, peccator non justificaretur *in sacramento pœnitentiæ,* sed semper deberet *ante sacramenti hujus susceptionem* justificari; ideoque pœnitentia non esset sacramentum *mortuorum,* ut est, et admittitur ab adversariis, sed *vivorum.*

Scholion I.—Quandoque Patres de sacerdotali potestate in sacramento pœnitentiæ loquentes, afferunt exemplum Lazari, quem prius a morte Dominus suscitavit, deinde discipulis commisit solvendum a fascis sepulchralibus.—Ita, ex. gr., S. Augustinus (Serm. 67. de verbis Evang., alias 8. de verbis Domini num. 2.), "Quis," inquit, "eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset."—Et S. Gregorius M. (Hom. 26. in Evang. n. 6.): "Tunc," ait, "vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. . . . Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum."

Sed hæc non asserunt Patres, quasi sacerdotes in sacramento per absolutionem rite collatam peccata non dimittant, et sacramentum non suscipiant nisi illi qui per contritionem caritate perfectam jam a Deo ex morte peccati fuerant resuscitati.—Alia prorsus est sententia Patrum; et superius, articulis 1. et 2., hujus 2. Tractatus partis, plenissime ac copiosissime demonstravimus, Patres juxta traditam fidem docuisse sacerdotes vera potestate judiciali gaudere in causis peccatorum, qua culpis ligatos solvant, qua reis pœnitentibus peccata remittant.

Quare S. Augustinus, in loco objecto, duos in peccatore ad justitiam traducto effectus agnoscit: alter quidem est gratia excitans et adjuvans ad odium peccati, ad melioris vitæ propositum, et ad sinceram peccatorum confessionem, qua velut inchoatæ et imperfectæ vitæ motus exercet; atque vita hæc a solo Deo intus vocante et operante oritur: alter vero effectus provenit ab Ecclesia exterius ministrante, et a vinculis peccatorum solvente, cui dictum est, *quæ solveritis super terram,* etc., et a Deo

ipso ratam Ecclesiæ sententiam habente, ut ita expeditus peccator omnes vitæ perfectæ motus edere possit.

Atque ista tradit S. Augustinus loco mox citato, sed nullibi clarius et elegantius quam Serm. 352. (al. 27. inter Hom. 50. n. 8.): "Est pœnitentia gravior," inquit, "atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent et bibant. Illa ergo pœnitentia luctuosa est. Grave vulnus est: adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum: sed omnipotens medicus. Jam post suggestionem facti et delectationem et consensionem et perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet: sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit, *Lazare, prodi foras.* Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ: cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo: et ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto et a tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? 'Quæ solverit,' inquit, 'in terra, soluta erunt et in cœlo' (Matth. XVIII. 18.). Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem; jam cetera implet Ecclesiæ ministerium: 'Solvite illum, et sinite abire' (Joan. XI. 39–44.)."

Eamdem vero S. Gregorii mentem fuisse ex ipsa Homilia citata intelligi licet, ubi, "videndum est, quæ," ait, "culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat."

Scholion II.—Ex dictis in probatione thesis præcedentis, clare deducitur quo sensu verum sit hominem in sacramento fieri ex attrito contritum, nimirum *quoad æquivalentiam et quoad effectum;* nam in sacramento attritio est dispositio proxima ad accipiendam gratiam justificantem; et ita in sacramento attritio æquivalet contritioni, quæ extra sacramentum est dispositio ultima ad justificationem.

Scholion III.—Quæri solet an *licite ad sacramentum pœnitentiæ accedere peccator valeat cum attritione supernaturali,* quæ concepta ex timore gehennæ excludat voluntatem peccandi et sit cum spe veniæ, *quin insuper*

aliquis alius actus dilectionis Dei in eo requiratur?—Ratio vero dubii et inquisitionis est quia in iis quæ valorem sacramenti spectant, non possumus uti sententia probabili, omissa tutiori; ac proinde videtur in praxi nos uti non posse sententia quæ negat ad suscipiendum pœnitentiæ sacramentum aliam Dei dilectionem esse necessariam præter amorem concupiscentiæ, qui est spei; nam hæc sententia videtur esse mere probabilis, et doctores non pauci acriter pugnant pro sententia opposita, quæ tutior est.

Respondemus, verbis P. Viva (in prop. 15. Alex. VIII. num. 31.): "Pene communissima DD. sententia tenet, licitum esse in sacramento pœnitentiæ adhibere attritionem supernaturalem absque alia dilectione Dei inchoata, condistincta a voluntate reconciliandi se cum Deo, ab odio peccati, quod apprehenditur esse Dei malum et offensa, a proposito non peccandi de cetero, et a spe de remissione obtinenda; in quibus actibus initialis aliqua Dei dilectio continetur, prout explicavimus. Ratio est, quia, ut diximus in expositione tertiæ propositionis ab Alexan. VIII. proscriptæ contra Sinnichium, et alios Tutioristas, in sacramentis conferendis, quamvis illicitum sit uti opinione probabili de illorum valore, omissa tutiori; non est tamen illicitum uti opinione moraliter certa, omissa tutiori. Aliter nec sufficeret attritio cum aliquali dilectione ad mentem adversariorum, sed requireretur contritio perfecta in sacramento Pœnitentiæ, utpote tutior. Opinio enim moraliter certa non subest morali periculo falsitatis, sed periculo tantum valde remoto, quod cavere in humanis actionibus est moraliter impossibile, ac proinde ad illud cavendum non obligamur; sicut in articulo mortis post elicitos nonnullos actus dilectionis Dei super omnia, et contritionis, non tenemur ad iterandos alios et alios intensiores et intensiores actus amoris Dei ad vitandum periculum remotissimum nostræ damnationis, in casu videlicet, quod priores actus non fuerint sufficientes ad justificationem. Atqui opinio de sufficientia attritionis ex puro pœnarum metu conceptæ non solum pertingit ad supremum gradum probabilitatis, verum etiam ad moralem certitudinem, spectatis verbis, ac mente Tridentini, spectatis rationibus, ac spectata communissima Theologorum auctoritate apud Lugo disputatione 5. de Pœnitentia numero 133., et apud Haunoldum de Pœnitentia numero 996.; non secus ac per adversarios moraliter certa est sententia de sufficientia attritionis aliqualem Dei

dilectionem involventis, quamvis non pauci apud Suarium, disp. 20. de Pœnit. s. 1. cum Magistro Sent., Hugone, Richardo, Alensi, Bonaventura, Gabriele, Medina, Adriano, Soto, et aliis putent requiri contritionem perfectam. Ergo licite in sacramento pœnitentiæ adhibetur attritio ex mero pœnarum metu concepta; esto nonnulli contradicant, ita ut ab illorum auctoritate aliqua tenuis extrinseca probabilitas in sententiam oppositam derivetur."

Quod Decretum Alexandri VIII., superius relatum, spectat, adnotamus cum eodem P. Viva—1. prohibitionem a Pontifice latam non significare utramque sententiam,—unam negantem alium amorem Dei, præter spem, ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum esse necessarium, alteram id affirmantem,—esse probabilem; nam hujusmodi prohibitiones sæpe fiunt in bonum pacis et ad vitandas dissentiones atque turbas.—2. Summum Pontificem, in Decreto citato, sententiam, quam defendimus, approbare quodammodo, dum authentice asserit eam esse inter Scholasticos communiorem.—"Quis refugiat," ait Viva (l. c. n. 34.) "in praxim deducere sententiam, de qua certo constat ex communiori Theologorum calculo haberi veriorem præ opposita?"

S. Alphonsus de Liguori (Theol. Mor. lib. 6. tract. 4. n. 440. et seq.) sententiam a nobis in superiori thesi propugnatam amplectitur, et ait *esse fere communem.* Et Sanctus Doctor, postquam hanc sententiam multis rationibus vindicaverit, concludit (n. 442.):—"Non negamus, ad justificationem requiri initium amoris; nec negamus illud requiri etiam in sacramentis mortuorum . . . sed qualis, quæso, amor a Concilio requiritur? Numquid perfecta caritas, vel an tantum initium caritatis? . . . Hoc autem initium amoris . . . jam habetur in attritione, quam supra descripsimus: *Primo* per timorem divinæ vindictæ, juxta illud Eccles. (xxv. 16.):—'*Timor Dei initium dilectionis ejus:*'—*Secundo* per spem veniæ . . . *Tertio* per spem beatitudinis æternæ, cum doceat S. Th. (1. 2. q. 40. a. 7.) loquens de spe theologica, eam esse quidem initium amoris erga Deum, his verbis: '*Ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare.* Unde idem S. Doctor (2. 2. quæst. 17. art. 8.) inquit: "*Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur; imperfectus quo quis amat aliquod, seu ut bonum sibi ipsi proveniat.*" Hæc autem omnia . . . . . necessario in attritione includuntur, dum qui

cum illa et spe veniæ ad sacramentum accedit, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem diligere incipit."

Et ad praxim quod attinet, animadvertit: "Verum nostra sententia utique proderit, ut si quis accedat *cum sola attritione,* non se retrahat ab hoc sacramento, et Confessarius eum non rejiciat tamquam indispositum."

SCHOLION IV.—Circa "propositum non peccandi de cetero" quod in pœnitente requiritur cum peccatorum dolore et detestatione, tres theologorum sententias referre hic debeo.

Prima exigit formale et expressum propositum, eamque defendunt Cano, Cajetanus, et alii.—*Secunda,* quam tuentur Major, Vega, Medina, Navarrus, existimat sufficere virtuale propositum, in efficaci detestatione peccatorum inclusum.—*Tertia,* quæ est Suaresii, et aliorum plurimorum tenet, formale propositum, per se loquendo, necessarium esse ad consequendam gratiam, sed *aliquando* sine formali proposito solam detestationem sufficere. Et Suaresius adnotat (d. 4. s. 3. assert. 1. n. 4.) propositum expressum et formale requiri "quando reliquum est aliquod tempus præsentis vitæ: nam si homo in ipso mortis articulo pœnitentiam agat, non est quod de proposito vitæ futuræ sollicitus sit: nec enim obligandus est ad habendum illud propositum sub conditione, *si vixero;* tum quia hi actus conditionales circa futura, per se et absolute loquendo, non sunt necessarii ad salutem; tum etiam quia fieri potest, ut vita futura jam sit moraliter desperata, et ideo nulla ratio postulat, ut talis actus sit tunc simpliciter necessarius. Et hoc etiam confirmat usus: nam si hominem damnatum vel ad mortem exhortamur ad pœnitentiam non multum curamus de futuris actibus in præsenti vita, sed de dolore præteritorum; quia, licet aliquantulum vitæ supersit, moraliter tamen quasi nihil reputatur: nam quod parum distat, nihil distare videtur; et perseverando eo tempore in dolore et detestatione præteritæ vitæ, satis proponitur observantia mandatorum pro eo brevi tempore."

De his tribus sententiis S. Alphonsus de Liguori (Theol. Mor. lib. 6. tract. 4. n. 450.) ait: "Hæ duæ sententiæ sunt quidem probabiliores, sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum tutior sequenda est." Dicit autem, "*ante factum*" quia multi Theologi tenent confessionem non esse repetendam si facta fuerit sine formali proposito, sed *cum vero dolore, et bona fide;* licet ipse Sanctus Doctor aliter,

hac in re, sentiat: "quia cum prima opinio," inquit, "sit sufficienter probabilis, pœnitens, qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter, sed etiam certe validam."

Hujus loci non est hanc ultimam conclusionem perpendere, et inquirere utrum obligari possit pœnitens ad repetendam confessionem, quam sine *formali* proposito expleverat in bona fide.

At sane ad rem nostram pertinet breviter declarare an *recte S. Alphonsus dixerat sententiam primam, quæ exigit propositum formale, non carere sua probabilitate;* an Suarez *huic sententiæ primæ contradictoriam thesim statuerit;* an *unanimis dici debeat scholæ catholicæ sententia hæc,* nimirum "confessionem absque formali, seu explicito proposito, et solum cum proposito virtuali seu implicito peractam, esse validam, atque adeo non esse necessario iterandam."

Quam appellavimus *primam sententiam non defendimus,* nec obligationem repetendi confessionem pro pœnitente qui bona fide confessus fuerit, cum vero dolore de peccatis, propugnamus; sed *pro veritatis amore,* quæstiones propositas, quæ ad theologicam eruditionem pertinent, dilucidare proposuimus.

Id autem, ne Scholion hoc modum excedat, præstabimus paucis contenti testimoniis.

P. Suarez (in 3. S. Th. q. 85. disp. 4. sect. 3.) num. 1. ait: "Antiqui theologi omnes requirunt propositum vitæ futuræ ad contritionem. . . . . . . *Moderni autem distinctius explicarunt hoc propositum debere esse formale et expressum:*"—n. 2. addit: "Nihilominus, *multi et graves* Doctores existimant ad contritionem sufficere virtuale propositum, quod in efficaci et perfecta detestatione includi putant;"—n. 3. concludit: "*Hæ sententiæ probabiles sunt;* inter eas vero censeo judicandum, sicut de amore in præcedente sectione dixi. Itaque primo asserendum est, *formale propositum, per se loquendo, necessarium esse ad consequendam gratiam, et remissionem peccati.* Est enim hæc pars securior, et ita populo prædicanda. Et testimonia adducta satis illam confirmant, si considerentur quæ in simili dixi præcedente sectione, nam revera simpliciter, et absolute requirunt hoc propositum. Necessitas autem talis actus auctoritate magis, quam ratione probanda est, cum ex divina ordinatione simpliciter pendeat. Possunt autem hujus ordinationis non

leves congruentiæ ex dictis sumi. Prima est, quia unus ex præcipuis finibus pœnitentiæ est correctio, et emendatio vitæ præteritæ: merito ergo præcipitur peccatori, ut voluntatem, et intentionem expressam habeat corrigendi mores, et servandi mandata: nam ad assequendum finem aliquem nullus actus aptior est, quam intentio, et definitum propositum obtinendi illum. Unde unum ex mediis utilioribus ad emendationem peccatoris est hoc propositum formale; merito ergo eis præcipitur. Secunda, quia hic actus ex natura rei est valde proportionatus ad recompensandam in suo ordine divinam injuriam: quid enim est magis consentaneum humanæ naturæ, et rationi, ad impetrandam veniam injuriæ factæ, quam ut is, qui illam intulit, proponat omnino a similibus injuriis abstinere? merito ergo exigit Deus a peccatore hujusmodi actum" etc.

Idem P. Suarez loquens de necessitate propositi non peccandi, cum de susceptione sacramenti pœnitentiæ agitur, inquit (disp. 20. sect. 4. n. 32.): "Si confessio sit de mortalibus peccatis, per se loquendo, *necessarium esse propositum formale vitandi illa*, quia revera tale propositum est per se loquendo necessarium ad habendam veram pœnitentiam et attritionem de tali peccato, ut ex dictis constat. Unde fit, ut si aliquis sciens et videns, confiteatur de hujusmodi peccato sine tali proposito, et in ea dispositione velit absolutionem recipere, sine dubio graviter peccet, *et consequenter sacramentum sit nullum*, juxta principia supra posita. . . . . . A posteriori etiam potest sumi morale signum: nam qui videt se non habere propositum, et non vult illud efficere, signum est nec propositum virtuale habere: nam hoc habito, et posita dicta advertentia, facillimum esset habere formale. Unde nihil est magis usitatum in administratione hujus sacramenti, quam *exigere* a fidelibus propositum cavendi peccata, præsertim mortalia."

Demum P. Suarez (ibid. n. 33.) addit: "Ultimo vero addo formale propositum *non videri mihi tam necessarium quam formalem dolorem, et maxime quando materia est venialis.* Unde si quis bona fide vere detestetur peccatum quod confitetur, *et non advertat ad formale propositum in futurum, ita ut in omittendo non peccet, existimo* sacramentum esse validum, et sufficere propositum virtuale in dolore inclusum."

Audiamus nunc Cardinalem Bellarminum.

In Controversiis *de Pœnitentia*, libro 2. c. 6., hæc habet:

"Catholici scriptores in eo quidem consentiunt, ut ad veram contritionem, et peccati detestatio, et vitæ melioris propositum requiratur: sed in eo non conveniunt, utrum hoc propositum expressè, et formaliter necessarium sit, an sufficiat virtuale, atque implicitum. Neque enim dubitari potest, quin is, qui serio peccata sua odit, ac detestatur, et ob ea perpetrata dolet; cupiat simul ac velit, saltem implicite et virtualiter, ut sic loquamur, deinceps in melius vitam mutare.

Et quidem veteres theologi, ut Petrus Lombardus . . . . . simpliciter docent de ratione contritionis esse, cum detestationem peccati, tum propositum bene vivendi: et quamvis non distinguant inter formale et virtuale propositum, tamen *satis aperte indicant de formali* esse loquutos. Id quod apertius postea docuerunt Adrianus Pontifex VI., in quinto quodl. a. 3.; Thomas Cajetanus in additionibus ad 3. partem S. Thomæ q. 1. a. 1.; Dominicus a Soto in 4. sent. dist. 17. q. 2. a. 1.; et Melchior Canus in relectione de Pœnitentia par. 1.

Non defuerunt tamen *pauci quidam* qui contra disputaverint, ac de virtuali proposito, quod in peccatorum detestatione includitur, contenti, formale propositum necessarium esse, et in ratione contritionis includi, negaverint. In iis fuerunt Joannes Major, et Jacobus Almaynus in 4. Sent. dist. 14. q. 1., et qui eos sequutus est, Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 21.

Sed nobis communis ac trita a veteribus via semper visa est tutior et commodior. Probatur igitur, *ad contritionem requiri explicitum ac formale propositum vitæ melioris.* Primo, ex divinis Litteris." . . .

Et hic multa loca affert, et refutat responsiones, quas contra argumentum ex Scripturis desumptum, Vega proponit.—Deinde Bellarminus prosequitur:

"Sed quod me maxime *ad hanc sententiam amplectendam* ac defendendam movet, est sacrosancta Florentinæ ac Tridentini Synodi auctoritas. In Concilio Florentino, in instructione Armenorum, et in Concilio Tridentino, sess. 24. c. 4.; ita contritio explicatur, ut sit '*dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.*' Neque vero responderi potest, Concilia ista loqui de proposito implicito. Nam cum propositum implicitum a peccati detestatione nullo modo separari possit; sine causa Concilia addidissent illa verba: '*Cum proposito non peccandi de*

cetero.' Quorsum enim ista expressio, si propositum non expresse requiritur? Si Concilia ita posuissent, contritio est detestatio peccati commissi cum proposito implicito non peccandi de cetero; nemo esset qui non judicaret supervacaneam partem illam posteriorem definitionis, cum detestatio peccati sine proposito illo implicito numquam reperiatur. Igitur aut verba illa de formali proposito intelligenda sunt, aut certe, quod absurdissimum est, supervacanea sunt. Quid, quod in eodem cap. 4. Concilium Tridentinum paulo post adjungit, propositum novæ vitæ principaliter in contritione contineri, cum sic ait: 'Declarat igitur Sancta Synodus, contritionem non solum cessationem a peccatis et vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium continere?' "

Denique Bellarminus (l. c.) prosequitur et concludit: "Sicut peccati detestatio propositum non peccandi implicitum et virtuale includit; sic etiam contra, propositum non peccandi detestationem peccati implicitam et virtualem includit.—Quare si detestatio peccati commissi sine proposito formali non peccandi de cetero, ad justificationem aliquando sufficiet; etiam aliquando propositum non peccandi de cetero, sine formali detestatione peccati commissi: nulla enim ratio reddi potest, cur hæc paria non sint.—Atqui ipse etiam Vega, loco citato, recte negat, sine detestatione formali peccati commissi, per solum propositum non peccandi de cetero, impium posse justificari: *negandum igitur etiam est, sine proposito formali non peccandi de cetero,* per solam detestationem peccati commissi, impium posse justificari."—Et postea, integro capite 7., distincte ac copiose solvit quæ a Vega objiciuntur.

Postremo unum alium testem proferam, P. de Valentia.

In disputatione 7. de Pœnit. q. 8. puncto 6.:

"Assero," inquit, "*eodem præcepto, quo tenetur aliquis veram pœnitentiam agere, obligari etiam ut habeat propositum explicitum non peccandi de cetero.* Ita Ruardus Tapperus. . . . Probatur *primo* assertio. Nam Scriptura. . . . Ea vero quæ Major et Medina asserunt pro sua opinione, tantummodo evincunt non requiri *expressum illud propositum* necessitate *etiam medii* ad justificationem; sed *quandoque* posse peccatorem cum implicito tantum ejusmodi proposito, quod ipsa videlicet detestatione peccati præteriti contineatur, justificari: nempe, extra tempus præcepti, vel etiam *præcepti tempore, si tum aliquis subitaneo casu præpediatur, quo minus de futuro cogitare possit.*"

Et hæc sufficiant ut evidenter appareat,—*merito et rectissime* S. Alphonsum dixisse *primam sententiam*, quæ exigit propositum formale et expressum, *sua non carere probabilitate*:—ab hac prima sententia, pro confessionis *ordinaria praxi*, non differre *tertiam*:—te contra veritatem assertum fuisse, absque ulla limitatione aut declaratione, *unanimem Scholæ catholicæ hanc esse sententiam, nimirum confessionem absque formali seu explicito proposito, et solum cum proposito virtuali seu implicito peractam, esse validam.*

Hinc etiam patet non esse affirmandum ad veniam peccatorum in sacramento pœnitentiæ "æquiparari, ut sufficientia, *tum dolorem imperfectum, seu attritionem, tum propositum mere implicitum.*"—De attritionis sufficientia, post Concilium Tridentinum, adeo communis est sententia Doctorum, ut Suarez jam tempore suo dixerit, eam *absque errore* negari non posse:—de sufficientia vero propositi virtualis, Theologi dubitaverunt.

ARTICULUS OCTAVUS

An sacramentum pœnitentiæ possit esse validum et informe.

Validum est sacramentum quod a legitimo ministro conficitur, rite applicando formam sacramenti materiæ:—*formatum* dicitur cum gratiam confert, quæ est forma ultima et extrinseca, ad quam ordinatur:—*informe*, cum impedimentum ad infusionem gratiæ invenit ex parte subjecti; ita ut valide suscipiatur, sed sine effectu gratiæ sanctificantis. Hac ratione sacramentum baptismi, in peccato lethali ab adulto susceptum, validum est sed informe.—Potestne sacramentum pœnitentiæ *valide* suscipi quin pœnitenti, conferendo gratiam, peccata remittat?

"Partem negativam," aiebat Billuart (de Pœnit. diss. 7. a. 1.), "tenent hodie plures Thomistæ, et extranei *communiter*:" iisque adherebat.

Et de illis, qui affirmativam partem sequebantur de Lugo (de Pœnit. disp. 14. s. 6. n. 69.) loquens, adnotabat eos sententiam suam "non uno modo, sed diversissimis explicare. Aliqui primo dicunt id contingere quando fit confessio sine dolore, quam adhuc esse validam, et non repetendam, docuit Bernard. de Gammaco citatus a Capreolo in 4. d. 12. q. 2., *ad argumenta Gothgredi.* Alii dicunt, eum defectum debere ignorari a pœnitente invincibiliter. Alii dicunt, ignorantiam non obstare, etiam

culpabilem. Alii sufficere, si pœnitens accuset se de illo defectu doloris in eadem confessione."

At, his relictis, duo tantum casus P. Suarez et Cardinalis de Lugo commemorant, in quibus admittunt sacramentum pœnitentiæ validum esse et simul informe. Primus est casus, "quo aliquis qui commisit," ait de Lugo (l. c. n. 74.), "duplex peccatum mortale, ex. gr., alterum furti, alterum odii, confitetur peccatum furti, de ipsoque dolet propter specialem turpitudinem, et fœditatem furti; de peccato autem odii non dolet, nec illud confitetur, quia illius invincibiliter est oblitus." In eo casu, idem auctor prosequitur, "cum homo apponat materiam, scilicet confessionem formaliter integram, et dolorem efficacem cum proposito absoluto; nihil videtur deesse ad hoc, ut adveniente absolutione, fiat verum, et validum sacramentum; et tamen non confertur gratia, quia datur obex peccati odii non retractati per dolorem aliquem, formaliter, aut virtualiter:—nam dolor de furto, cum sit ex speciali motivo turpitudinis propriæ furti, ut supponimus, non potest extendi virtualiter ad peccatum odii, quod illam tupitudinem non participet, sed aliam diversam: unde remitti non potest etiam indirecte per tale sacramentum, ut constat: atque adeo sacramentum in hoc casu erit validum et informe."

Alius casus, qui admittitur a de Lugo (ibid. n. 89.), est de homine qui "ex ignorantia invincibili crederet non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus," doleret tamen de peccato aliquo.

Partem quam sequimur, ostendit

THESIS XX.

Nequit pœnitentiæ sacramentum esse validum et informe.

Cum ex hucusque demonstratis evidenter constet nullum esse sacramentum pœnitentiæ, si pœnitens peccata sine contritione confiteatur; thesim in primis vindicamus ostendendo sacramentum pœnitentiæ validum et informe non dari in casu quo pœnitens habeat attritionem non veram, sed existimatam:—deinde loquemur de casu quo quis de uno peccato mortali doleat propter ejus specialem turpitudinem, et de alio peccato, quod commiserat, non habeat attritionem, quia hujus peccati invincibi-

liter est oblitus:—denique verbum dicemus de casu a P. de Lugo proposito, nempe illius qui ex ignorantia invincibili crederet non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum pœnitentiæ sine dolore de peccatis omnibus, et ideo non de omnibus doleret, sed de aliquo.

Et *primo* quidem sacramentum pœnitentiæ validum et informe non datur in casu attritionis existimatæ.

1. Quia sacramentum nequit esse validum si desit pars materialis ex qua sacramentum essentialiter constare debet.—Sed si pœnitens habet attritionem non veram, sed existimatam, deest pars materialis ex qua sacramentum pœnitentiæ essentialiter constare debet.— Ergo si pœnitens habet attritionem existimatam, sed non veram, sacramentum pœnitentiæ validum esse non potest.

Major est evidens:—*Minor* patet ex dictis, p. 2. art. 6. et 7.: pars enim materialis sacramenti pœnitentiæ, ex qua sacramentum hoc essentialiter constare debet, est contritio saltem imperfecta, seu attritio, ut illis articulis demonstravimus: sed in eo qui habet attritionem existimatam, et non veram, attritio deest: ergo in eo deest pars materialis sacramenti pœnitentiæ, ex qua essentialiter constare debet.

2. Argumentum præcedens confirmatur a simili. Sicut aqua existimata, etiam invincibiliter, si revera non est aqua, non est materia baptismi sufficiens, ideoque sacramentum in tali casu non conficitur:—ita attritio, invincibiliter etiam existimata, cum revera non sit attritio, non est sufficiens materia ad sacramentum pœnitentiæ conficiendum.

3. Ratio præcipua, qua adducti fuerunt nonnulli auctores ad defendendam sufficientiam attritionis existimatæ, nullo modo valet. —Aiunt, si dolor verus absolute requireretur, et non posset sufficere existimatus, anxii essent pœnitentes, et nimium solliciti ut repeterent confessiones.

Sed respondetur, 1)—si pœnitens fecit quod in se erat cum divina gratia ut verum dolorem de peccatis conciperet, et bona fide, proponendo emendationem vitæ, accessit ad confessionem; ille profecto habuit dolorem verum non existimatum: Deus enim qui excitavit in peccatore salutares cogitationes et affectus ad pœnitentiam agendam, eum gratiæ non obsistentem, immo respondentem, adjuvit ut sufficienter doleret de peccatis. 2)—Supposita possibilitate doloris insufficientis in pœnitente, qui fecit quod in se erat ad habendam attritionem veram de peccatis, confessio utique

erit invalida, sed durante bona fide pœnitentis, peccata quæ non fuerunt remissa, in subsequente confessione valida, indirecte remissa erunt. 3)—Si postea *aperte* constiterit defectus prioris confessionis, "non mirum," ait de Lugo (disp. 14. sect. 6. n. 72.), "quod oporteat eam repetere, sicut si constat de defectu jurisdictionis in confessario, qui eam audivit."

Secundo, sacramentum pœnitentiæ validum esse nequit in casu a Suaresio,deLugo et aliis admisso.—Agitur de homine qui duo lethalia peccata commisit, et unius invincibiliter est oblitus, alterum vero confitetur, atque de eo, *vera attritione*, dolet propter specialem ejus turpitudinem. Et in hoc casu dicimus, sacramentum non erit validum et informe, sed *validum* et *formatum*, seu producens *gratiam*.

Et sane in hoc pœnitente *vera attritio* supponitur, ut sacramentum dicatur validum :—sed si attritio vera, quæ ad sacramentum valide conficiendum requiritur, adest, et confessio formaliter integra fit cum voluntate satisfaciendi ; jam ex parte pœnitentis concurrunt omnia, quæ materiam sacramenti exhibent, et disponunt proxime pœnitentem ad gratiam in sacramento recipiendam :—ergo, accedente forma sacerdotalis absolutionis, sacramentum validum erit et gratiam conferet.

Nec reponatur, attritionem hanc pœnitentis sufficere ad partem materialem sacramenti constituendam, sed non sufficere ad hoc ut pœnitentem disponat ad gratiam sacramenti recipiendam.

Etenim Concilia Florentinum et Tridentinum numquam distinguunt *inter attritionem quæ sit pars materialis constitutiva sacramenti, et attritionem quæ sit dispositio ad gratiam ;*—immo eamdem omnino attritionem statuunt esse partem materialem sacramenti et dispositionem proximam ad gratiam in sacramento.

Reapse Concilium Florentinum postquam dixerit : "Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ;" et enumeraverit alias partes, nempe oris confessionem, et satisfactionem ; et indicaverit formam, in verbis absolutionis, quæ proferuntur a sacerdote ; statim addit : "Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis."—Ergo, si vera habeatur contritio ad partem materialem sacramenti requisita ; si adsint aliæ partes materiales, et

accedat absolutio sacerdotis legitimi, effectus sacramenti habebitur; et ad hunc effectum percipiendum, nempe ad gratiam, et ad remissionem peccati, pœnitens dispositus sufficienter erat per contritionem, confessionem et satisfactionem.

Et clarius Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 3. postquam docuerit: "Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio," illico subjungit: "Qui [actus] quatenus *ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*"

In cap. autem 4., ejusdem sessionis 14., Concilium expresse declarat: "Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel *ex turpitudinis peccati consideratione* . . . concipitur . . . donum Dei esse . . . *quo pœnitens viam sibi* ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen *eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*"

Ergo ex doctrina Concilii, clarissime proposita, *attritio ad integritatem essentialem sacramenti requisitam, est illa quæ requiritur ad plenam et perfectam peccatorum remissionem;—attritio quæ ex consideratione turpitudinis peccati concipitur, ea est qua pœnitens viam sibi parat ad justitiam; ea est quæ peccatorem ad Dei gratiam in sacramento disponit.* Ac proinde vel attritio hæc, quæ est *pars sacramenti,* in pœnitente non invenitur; et tunc sacramentum pœnitentiæ nullum erit;—vel adest, et tunc non modo valet ad sacramentum validum constituendum, sed etiam ad fructum ejusdem sacramenti percipiendum, nempe gratiam; ideoque ad sacramentum *validum* et *formatum.*

Sed aiunt, peccator qui attritionem conceperat propter motivum speciale turpitudinis alicujus peccati, et alterius peccati oblitus est; de hoc non dolet; ac proinde hoc peccatum non retractat, ei adhuc in animo habitualiter adhæret; et consequenter obicem opponit gratiæ in sacramento percipiendæ, quod, hac de causa, erit *validum* sed *informe.*

Respondemus:—peccatorem, si *veram* habeat *attritionem,* de illo etiam peccato, cujus invincibiliter non recordatur, implicite dolet; et ideo nullum obicem opponit gratiæ, eamque consequitur in sacramento.—Nam etsi ex *consideratione specialis turpitudinis alicujus peccati, tamquam ex motivo extrinseco,* adductus fuerit peccator ad eliciendum actum attri-

tionis; hic tamen actus habet *motivum intrinsecum universale,* quod omnia omnino peccata complectitur, et ex quo omnia peccata mortalia detestantur: idcirco, hoc actu attritionis, non modo peccator pœnitens de peccato quod confitetur dolet, sed *implicite* et *virtualiter* de illo etiam peccato cujus est oblitus.

Et hoc constat. 1. *Ex natura ipsa attritionis.*—Attritio enim, ut omnes fatentur, ad virtutem *pœnitentiæ* pertinet. Sed virtus pœnitentiæ habet pro motivo formali *honestatem quæ reperitur in reparatione juris divini per quodcumque peccatum læsi;* ideoque habet motivum universale, respiciens omnia peccata mortalia. Ergo attritio elicitur ex motivo formali intrinseco, quod universale est et omnia peccata mortalia respicit atque complectitur; ac proinde ex eodem motivo omnia peccata mortalia detestatur.—Confer ea quæ habentur in 1. parte hujus Tractatus, aa. 2. et 4.

2. *Ex doctrina Concilii Tridentini.*—Concilium enim ad sacramenti validitatem requirit attritionem, quæ etsi concipiatur "*ex turpitudinis peccati consideratione,*" "excludat tamen *peccandi* voluntatem," et "*contineat* non solum *vitæ novæ propositum et inchoationem,* sed *veteris etiam odium.*"—Atqui talis attritio extendere se debet saltem *implicite* et *virtualiter* ad omnia peccata commissa, ratione motivi sui intrinseci et universalis; nec ullo modo concipi potest limitata ad unam tantum peccatorum speciem, et non ad aliam.—Ergo.

Major desumpta est ex verbis Tridentini in capite 4. sess. 14. sæpissime citatis.—*Minor* est evidens; si enim attritio posset esse ex motivo aliquo intrinseco limitato, non excluderet *voluntatem peccandi,* sed voluntatem committendi *hoc* peccatum; non contineret inchoationem *novæ vitæ* et *odium veteris,* sed propositum non iterandi *illud* peccatum, et *odium* relate ad *hoc idem unum peccatum.*

Præterea ex doctrina ejusdem Concilii (sess. cit. c. 5.) peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: "Ab occultis meis munda me, Domine."—Atqui peccata oblita nequeunt intelligi in confessione aliorum inclusa, nisi attritio pœnitentis, utpote ex motivo universali intrinseco, omnia peccata complectatur, et de illis omnibus doleat.—Ergo.

Minor patet, nam confessione sacramentali,—quæ debet esse dolorosa,

seu sensibilem reddere debet pœnitentis contritionem,—peccata omnia oblita intelligi non possent inclusa si contritio confitentis, ex motivo aliquo particulari, neque *virtualiter* peccata omnia mortalia detestaretur, neque de commissis omnibus peccatis, *virtualiter* saltem, doleret.

Circa casum a P. de Lugo propositum de peccatore qui accederet ad sacramentum pœnitentiæ cum dolore de aliquo peccato, sed non de omnibus, quia crederet invincibiliter id fieri posse, respondemus:—

Si pœnitentem supponimus, qui non habeat *formalem* et *explicitum* dolorem de omnibus et singulis peccatis, quæ commiserat; sed eis in voluntate non adhæreat, et de aliquo ex *vera attritione* doleat; hic etiam de omnibus habet *virtualem* dolorem, et non ponit obicem ad gratiam, ac proinde suscipit sacramentum pœnitentiæ validum et formatum.

Si vero pœnitentem supponimus, qui de uno peccato doleat, sed aliis in corde adhæreat, hic sane non habet *veram attritionem*, quæ a Concilio Tridentino ad sacramenti validitatem requiritur; ac proinde sacramentum pœnitentiæ, manente hac pœnitentis dispositione, validum confici nequit.

Thesis quam defendimus, auctoritate Doctoris Angelici merito confirmatur.—Etenim in Suppl. q. 29. art. 8., agens de Extrema Unctione dicit: "Hoc sacramentum (extremæ unctionis) non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione [al. oratione] ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti etiam rite peractis, sicut character in baptismo et confirmatione, et transsubstantiatio in Eucharistia, et remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti." Ergo juxta S. Thomam, contritio ita est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ, ut ea posita habeatur sacramenti effectus, scilicet remissio peccati, ideoque sacramentum non potest esse validum et informe.

Dices, S. Thomam contrarium docuisse in supp. q. 9. a. 1.: ibi enim quærit, "*Utrum confessio possit esse informis*," et respondet:

"Dicendum quod confessio est actus virtutis, et est pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie: et sic confessio non valet sine caritate, quæ est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claves Ecclesiæ, qui per confessionem conscien-

tiam confitentis cognoscit; et secundum hoc confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere sacerdoti, et clavibus Ecclesiæ se subjicere; et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri."

Sylvius, Billuart et alii, ut difficultatem solvant, concedunt S. Doctorem sententiam, quam hic, q. 9. suppl. proposuerat, in q. 29. suppl. retractasse.

Sed, ut videtur, aliter et melius difficultati responderi potest.

S. Thomas, suppl. q. 9. a. 1., non dicit sacramentum pœnitentiæ dari *validum* et *informe;*—sed *confessionem* posse fieri sine dolore ad absolutionem recipiendam sufficienti: et in hoc casu, *absolutionem peccatorum esse nullam,* ideoque nullum esse sacramentum; confessionem vero valere apud eumdem confessarium, ita ut postea pœnitens non teneatur ei illam iterare, sed accusare solum se prius ad confessionem accessisse indispositum, et sic accipere absolutionem.

Hic sensus eruitur 1. ex titulo quæstionis, quæ *non spectat sacramentum,* sed *confessionem.*—2. Ex conclusione: "Ergo non est *de necessitate confessionis quod sit caritate formata.*"—3. Ex responsione *in corpore* articuli: "Secundum quod est [confessio] pars sacramenti . . . . potest esse etiam *in eo qui non est contritus. . . .* Unde non tenetur *iterare confessionem, qui fictus accedit,* sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri."—Hinc S. Thomas *confessionem informem* appellat eam, quæ fiat absque contritione; nam contritio confessionem veluti informat, reddens eam sacramentalem, ad sacramentum aptam.

Demum notetur, si articulus iste 1. quæstionis 9. suppl. intelligeretur de *sacramento pœnitentiæ valido et informe,* admitti deberet S. Thomam docuisse *validum esse sacramentum sine dolore susceptum, ab eo qui peccata sua narravit, sed non accusando seipsum fassus est.* Quod sane absurdum est, aperte contrarium doctrinæ S. Doctoris, (V. supra, p. 2. art. 6.) et rejicitur a theologis nobis hac in re adversis.

Sequela, quam indicavimus, patet tum ex objectione 3. a. S. Thoma proposita in eodem articulo 1. quæstionis 9.; tum ex ejus solutione.

Hæc est objectio:—"Præterea, in confessione oportet quod os cordi concordet, quia hoc ipsum nomen confessionis requirit. Sed ille qui

adhuc manet in affectu peccati, si confitetur, non habet cor ori conforme, quia corde peccatum tenet, quod ore damnat. Ergo talis non confitetur."

Respondet Angelicus:—"Ad tertium dicendum quod ille qui peccata quæ habet narrat, vere loquitur; et sic cor concordat voci vel verbis quantum ad substantiam confessionis, quamvis discordet a confessionis fine."

ARTICULUS NONUS

De confessione.

Sacramenti pœnitentiæ pars altera materialis est confessio, de qua multa in Theologia Morali pertractantur: hic solum quædam ad rem nostram spectantia declarabimus.

Confessio peccatorum *materialiter* integra aut *formaliter* esse potest. *Materialiter* integra confessio dicitur ea, in qua omnia omnino peccata mortalia a pœnitente commissa, secundum species suas et numeros, distincte accusantur; *formaliter* vero confessio integra est illa in qua peccata mortalia accusantur, quæ hic et nunc a pœnitente in confessione accusari possunt. — Porro, confessionem materialiter integram per se requiri ad sacramenti pœnitentiæ suscipiendum patet ex omnibus quæ in hac secunda Tractatus parte dicta sunt: hic igitur solum demonstrabimus confessionem formaliter integram quandoque sufficere.— Præterea confessionem validam non esse ostendemus, quæ facta fuerit *sacerdoti absenti* per litteras, aut per internuncium:—et insuper ex confessione sacramentali oriri in sacerdote obligatio sigilli probabimus, ob quam in nullo casu licebit ei peccata quæ in confessione audiverit, sine licentia pœnitentis manifestare.

Subsequens tripartita thesis hæc præstabit.

THESIS XXI.

Ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum sufficit confessio formaliter integra, cum impotentia physica, vel moralis, obstat quominus a pœnitente confessio materialiter integra perficiatur: sed sacerdoti absenti per litteras aut per internuncium confessio non potest fieri.—Porro ex omni et sola confessione sacramentali obligatio sigilli exurgit, qua ille qui confessionem audivii, perpetuo arctissimeque tenetur nemini unquam ea quæ sibi pro confessione pœnitentis credita fuerunt, absque ipsius pœnitentis venia, revelare.

Prob. 1ª *pars thesis.*—Et quidem confessionem formaliter integram sufficere, *si adsit impotentia physica* ad confessionem materialiter integram perficiendam, patet

1. Quia Christus, cum confessionis legem instituit, profecto non voluit ut supra id quod possent homines obligaret: si ergo, physice pœnitens nonnisi confessionem formaliter integram facere potest, ad hanc solum tenetur, et hæc sufficit.

2. Eadem veritas constat ex declarationibus Conciliorum et Romanorum Pontificum.—Ad exemplum citamus Concilium Arausicanum I. can. 12.: "Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut *pœnitentiam* accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu:"—Concilium Carthaginense IV. cap. 76.: "Is qui in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit; dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori ejus Eucharistia:"—S. Leonem Papam I. in Ep. 108. ad Theodorum Episcopum: "Si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur."

Et etiam extra hos casus, in quibus nonnisi per signa quædam ægroti eo modo quo valent confitentur, confessionem formaliter integram sufficere declaravit Concilium Florentinum, dicens: "peccator omnia pec-

cata, *quorum memoriam habet*, suo sacerdoti confiteatur integraliter."— Et Tridentina Synodus idipsum confirmavit statuens (sess. 14. cap. 5.): "Reliqua autem peccata, *quæ diligenter cogitanti non occurrunt*, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur."

3. In Rituali Romano a Paulo V. edito et proposito toti Ecclesiæ, sufficientia confessionis formaliter integræ iterum asseritur, nam in eo legitur: "Quod si inter confitendum, vel antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus et signis conetur [confessor], quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est."

Et hæc est universalis et perpetua praxis in Ecclesia.

Quod autem ab integritate materiali excuset etiam impotentia moralis indubium est:—nam præceptum confessionis cum sit positivum, possunt dari casus in quibus ab hoc præcepto *totaliter* implendo pœnitens eximatur:—hi vero casus in Theologia Morali perpenduntur.

Prob. 2[a] *pars thesis.*—Ex celebri Decreto Clementis Papæ VIII. dato die 20 Junii, anno 1602., ad dirimendam litem in Hispania præsertim inter Theologos agitatam.—Hæc sunt Pontificis verba: "Proposita quæstione, utrum liceat per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus Dominus noster, auditis votis Patrum Theologorum, et re cum Illustrissimis et Reverendisimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus mature ac diligenter considerata; hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam, damnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam, tamquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur."

Hoc autem Decretum intelligi non debet solum *copulative*, sed etiam *disjunctive;*—ac proinde non tantum damnat confessionem absenti factam cum absolutione ab *absente* sacerdote post confessionem prolata; sed etiam ipsam confessionem absenti factam per litteras, vel per internuncium.

Et certe, licet confessio possit aliquando a pœnitente fieri nutibus, aut scripto, aut per interpretem, ut ostendunt Ecclesiæ praxis, et documenta quæ pro priori parte thesis attulimus, ac ratio ipsa confirmat;—*in absentia* tamen sacerdotis, qui confessionem suscipiat, non potest perfici.

Quod ex eadem Ecclesiæ consuetudine constat; immo ex ipsa sacramenti institutione. — Nam pœnitens coram sacerdote, ut reus ante tribunal justitiæ sistere se debet, ac sacerdoti, tamquam judici, *præsentem statum* conscientiæ suæ, et *præsentem pœnitentis animi sui dispositionem* manifestare, ut, secundum eam, sacerdos absolutionem impertiat, aut deneget. Porro confessio missa sacerdoti absenti per litteras aut per internuncium manifestare potest pœnitentis dispositionem, dum epistolam scribit, aut peccata sua revelat nuntio; sed manifestare nequit ejusdem pœnitentis dispositionem eo tempore quo sacerdos absolutionem impertit.

Nec dicatur:—Concilia, quæ mox citavimus ad primam partem thesis comprobandam, nec non S. Leonem M., et Rituale Romanum statuere fidelem moribundum a sacerdote superveniente esse absolvendum, si desiderium pœnitentiæ sive per se, sive per alios prius ostenderit, atque ita sacerdoti peccatorum suorum confessionem aliquo modo fecerit.—Ergo confessio facta sacerdoti absenti valida est, et Decretum Clementis VIII. non spectat confessionem factam sacerdoti per litteras, aut per nuncium; sed confessionem absenti sacerdoti factam cum absolutione ab eo lata, postquam confessionem illam accepit.

Respondemus negando consequentiam. Etenim in casu moribundi, de quo Concilia, S. Leo M. et Rituale loquuntur, confessio sacramentalis valida, ob quam sacerdos superveniens absolutionem impertit, non est illa quæ *in absentia* sacerdotis facta est; sed alia quæ in ejusdum sacerdotis *præsentia*, in quantum fieri potest, perficitur a moribundo.

Sane suspiria, gemitus, oculorum membrorumque aliorum motiones, et ipsamet anxia respiratio, haberi possunt ut signa quibus pœnitens moribundus contritionem animi sui, voluntatem accusandi se, et desiderium absolutionis obtinendæ a sacerdote præsente conatur exprimere; et ideo his signis positis, quæ dubie saltem confessionem moribundi exhibent, ejusque dispositionem ostendunt ad sacramentum pœnitentiæ

suscipiendum, sacerdos potest, immo debet, beneficio absolutionis *sub conditione,* periclitanti homini opitulari.

Et certe nonnulli, fide dignissimi, qui ad extremum usque vitæ limen adducti fuerant, recuperata contra spem valetudine, de recusata eis a sacerdote præsente, dum in articulo mortis erant, absolutione conquesti sunt, asserentes se eam ardenter concupivisse, et omnibus quibus poterant signis implorasse; quæ tamen adstantes vel non attenderunt, vel tamquam mere naturalia judicaverunt.

"Quod si," inquit Viva (thesi confixa de Conf. et Absol. per litteras § 10.), "fere semper sacerdos absolvere possit, ac debeat, morti proximum, saltem sub conditione mente concepta, ex hoc præcise, quod vita ejus anteacta, christiano ritu instituta, det prudens motivum ad judicandum, quod velit in eo mortis articulo suscipere sacramentum pœnitentiæ, et quod anxiam respirationem, et alia signa sensibilia dirigat, quantum potest, ad ostendendum hoc desiderium, etiamsi neque in præsentia, neque in absentia sacerdotis potuerit expresse petere absolutionem sacramentalem . . . . . . a fortiori poterit, ac debebit eumdem sacerdos absolvere, saltem sub conditione, si ad hæc omnia adjungatur testis, qui deponat, moribundum, antequam sensibus destitueretur, absolutionem petiisse, esto hujus testis depositio non fiat coram infirmo."

Et exinde patet ratio eorum quæ præscripta fuerunt a Conciliis, a S. Leone M. et a Rituale Romano superius citatis; et manifeste apparet eis Decretum Clementis VIII. nullatenus contradicere.

Ceterum quod Decretum istud intelligi debeat etiam *disjunctive,*—ita ut confessio facta sacerdoti absenti, etiam sejunctim ab absolutione quam ipse sacerdos absens conferret, proscripta sit,—*authentice* declaratum fuit tum ab ipso Clemente VIII., tum a Paulo V. in Congregatione Sancti Officii, die 14 Julii 1605., ut referunt Cardinalis de Lugo (de Pœnit. disp. 17. sect. 4. n. 65.), et P. Viva (l. c.).

Quod autem Decretum Clementis VIII. dicat confessionem, in absentia sacerdotis factam, esse non modo *illicitam,* sed *invalidam,* communiter, contra nonnullos, theologi docent:—idque recte deducitur ex ipsis verbis illius Decreti, quæ prohibent "*ne umquam tamquam aliquo casu probabilis* [opinio de confessione per litteras aut per internuncium] *defendatur . . . . . aut ad praxim quovis modo deducatur.*"—Profecto, si confessio facta absenti de se *valida* esset, aliquo saltem casu *licita* foret, nimirum in articulo mortis et in casu extremæ necessitatis; tunc enim

omnia media, quæ ad salutem consequendam *valida* sunt, ut *licita* etiam, ob periculum æternæ damnationis haberi debent.

Præterea Decretum Pontificis latum fuit ad dirimendas controversias, quæ spectabant *validitatem*, non *liceitatem*, confessionis factæ sacerdoti absenti, ut Joannes a S. Thoma, qui tempore illarum controversiarum in Hispania floruit, aperte testatur. V. Billuart, *de Pœnitentia*, disp. 7. a. 3. § 2.—Et insuper *validam* non esse illam confessionem ostendunt etiam rationes, quas attulimus ad Decretum Summi Pontificis vindicandum.

Prob. 3[a] *pars thesis.*—Et *primo* quidem dicimus obligationem sigilli sacramentalis oriri *ex omni et sola confessione sacramentali.* Enim vero *ex sola confessione sacramentali* oritur, quia nonnisi *sacramento* sigillum, de quo loquimur, adnexum est; ac proinde ad confessionem non sacramentalem, quæ *neque sacramentum inchoat,* non se extendit:—et *omnem confessionem sacramentalem* complectitur, quia eadem ratio est de quacumque confessione, ita ut etiam de confessione publice facta loqui non liceat, nisi quatenus ipsiusmet pœnitentis hæc est voluntas.

Dicimus *secundo* obligationem sigilli, *perpetuam et pro omni casu,*—quam Theologi communiter admittunt, rejecta contraria opinione tamquam erronea,—oriri non tantum ex eo quod teneamur jure naturali et divino non revelare occulta proximi, ne infametur; aut ex eo quod pœnitens, qui intima cordis sui sacerdoti revelat, silentium circa ea strictissimum tacite condicat; sed, ut videtur, potissimum oriri ex injuria quæ sacramento fieret, si aliquando secretum confessionis revelaretur; confessio enim odiosa fieret, et peccatores ad medium hoc salutis cum fiducia non possent accedere.

Id vero optime declaratur a Suar. (d. 33. s. 1. n. 7.) sequenti pacto:—"Quia si vel in uno casu daretur licentia, jam hoc esset committendum arbitrio et prudentiæ confessoris: quia causa, vel casus, in quibus id esset licitum, non essent omnino definiti; ergo semper possent pœnitentes timere hujusmodi arbitrium confessoris. Atque hinc etiam factum est, ut quoties pœnitens timet revelationem secreti, excusetur ab obligatione illud confitendi, ut in superioribus dictum est; fundaturque in naturali ratione: quia nemo cogitur, ut se prodat; qui autem confiteretur peccatum a confessore revelandum, jam ipse se proderet; ergo ad hoc non tenetur. Ergo, ut ipsi pœnitentes non possint excusari a con-

fessione peccatorum, necessarium fuit, ut omnino præcluderetur via revelandi confessionem.—Dices: Non est inconveniens pœnitentem interdum excusari. Respondeo, excusari per accidens, et ex malitia confessoris non est inconveniens: tamen excusari ex vi, et modo institutionis ipsius sacramenti, et ex facultate a Christo data ipsi confessori pro aliquo casu, esset magnum inconveniens: et contra debitam institutionem, et finem talis sacramenti. Eo vel maxime, quod hoc ipso destruitur omnis ratio, vel utilitas, quæ esse posset in tali revelatione: nam quoties pœnitens timeret revelandum esse peccatum, aut id esse licitum, non diceret illud; ergo cessaret utilitas, quæ fingi posset in usu talis secreti. Unde tandem concluditur ratio; quia hæc revelatio est nociva sacramento, et nunquam potest esse vere, ac moraliter utilis; ergo nunquam est licita."

Ex his autem patet, præceptum sigilli, quamvis supernaturale sit et divinum,—superat enim omne secretum naturale, respicit sacramentum pœnitentiæ, et sequitur ex actione sacra et supernaturali,—non esse tamen præceptum mere positivum superadditum institutioni sacramenti pœnitentiæ; sed esse quasi connaturale et intrinsecum ipsi sacramento, prout a Christo Domino institutum est, ita ut ex ejus institutione exurgat, tamquam per necessariam quamdam consecutionem.—Et si dicatur, Christum potuisse sacramentum pœnitentiæ instituere quoad substantiam et effectum ejus, quin imponeret ministro sacramenti tam arctam obligationem secreti sacramentalis; respondit Suarez (l. c. num. 10.): "Si de absoluta potentia [Christus] potuit, non tamen secundum convenientem modum providentiæ; et ideo de facto ita fecit hanc institutionem, ut haberet hanc obligationem conjunctam:—illam vero talem fuisse, consensus, et traditio Ecclesiæ satis docent, et convenientiam ejus probat experientia perpetua, qua constat, et hunc rigorem fuisse utilissimum, et nunquam [quod sciamus] occurrisse casum, in quo aliud expediret."

Præter præceptum naturale, et præceptum positivum divinum, ex quibus obligatio oritur servandi secretum arctissimum, numquam violandum, de illis quæ in confessione sacramentali audita fuerunt, extat etiam præceptum ecclesiasticum, quod indicatur in verbis S. Gregorii M. (c. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6.), quibus vetat peccata in confessione audita *cuique hominum* recitari:—et renovatum legitur in c. 21. Concilii Lateranensis IV., ubi hæc habentur: "Caveat autem [confessarius]

omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam, ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum."

ARTICULUS DECIMUS

De satisfactione.

In re præsenti, nomine *satisfactionis* significatur, *pœnæ alicujus temporalis voluntaria perpessio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, et ad redimendam pœnam temporalem post remissum peccatum reliquam.*

Satisfactio *extrasacramentalis* vocatur illa quæ, proprio arbitrio, a peccatore assumitur:—*sacramentalis* autem ea quæ in sacro tribunali pœnitentiæ a sacerdote imponitur et pertinet ad sacramenti integritatem.

Protestantes omnem satisfactionis necessitatem rejicere conati sunt, et dixerunt:—1. Peccatum non posse condonari a Deo, quin simul pœnæ totius, tum æternæ, tum temporalis, remissio fiat.—2. Satisfactiones, a nobis exhibitas, passioni ac morti Christi Redemptoris, et satisfactioni ab eo præstitæ, irrogare injuriam.—3. Deo satisfieri non posse pro peccatis, quoad temporalem pœnam, sive per satisfactiones quæ a pœnitente sponte suscipiuntur, sive per eas quæ injunctæ fuerunt a sacerdote.

Has hæreticas assertiones Concilium Tridentinum, sess. 14. capit. 8., refutavit his verbis: "Falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in Sacris Litteris exempla reperiuntur quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. . . . . . Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.

. . . Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre."

Et postea idem Concilium, eadem sessione, prædictos Novatorum errores distinctis definitionibus condemnavit, quas subjungimus.

Can. 12. "Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; A. S.

Can. 13. "Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; A. S.

Can. 14. "Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; A. S.

Can. 15. "Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; A. S."

Ex alio capite Petrus de Osma et Jansenistæ circa satisfactionis sacramentalis doctrinam erraverunt: docuerunt enim executionem pœnitentiæ, seu satisfactionis a sacerdote injunctæ, absolutioni sacramentali, juxta pœnitentiæ sacramenti naturam et legem Christi, præmittendam esse.

At pravam hanc sententiam Romani Pontifices, iterato ictu, confixerunt.—Sixtus namque IV., anno 1479. damnavit ut scandalosam et hæreticam propositionem 5., inter novem Petri de Osma, quæ sic se habet: "Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta."—Alexander VIII. die 7. Decembris 1690, propositiones duas sequentes proscripsit, scilicet 16.: "Ordinem præmittendi satisfa-

ctionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante." Et 17.: "Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus."—Demum Pius VI., Constitutione "*Auctorem Fidei*," die 28. Aug. 1794., censura notavit prop. 35. in qua Synodus Pistoriensis innuit "pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem:"—et illam propositionem declaravit "falsam, temerariam, communi praxi Ecclesiæ injuriosam, inducentem in errorem, hæreticali nota in Petro de Osma confixum."

His itaque prænotatis, ad catholicam doctrinam de sacramentali satisfactione defendendam, tria demonstrabimus:—1. Non semper simul totam pœnam cum culpa remitti a Deo, sed, remissa pœna æterna, manere plerumque pœnas temporales, quæ tamen per pia ac laboriosa opera in hac vita expiari possunt.—2. Ministros sacramenti pœnitentiæ salutares pœnitentibus satisfactiones injungere posse, ac debere.—3. Has vero satisfactiones non necessario ante sacerdotis absolutionem esse implendas.

Quod autem satisfactiones quas Deo offerimus satisfactioni a Christo pro peccatis nostris exhibitæ non detrahant, sed, e contra, vim suam ab ea mutuentur totam, et illam infiniti valoris satisfactionem maxime commendent, patet. Etenim, ut optime adnotat P. H. Hurter S. J. (Theol. Specialis, pars altera, t. 3. n. 557.), "adverti debet Christum abundanter Deo Patri satisfecisse: verum nulli hanc satisfactionem prodesse, nisi ei applicetur. Voluisse autem Deum, ut adultis fructus satisfactionis Christi non communicetur citra eorum cooperationem et conditiones ab ipsis servandas. Inter has vero conditiones esse etiam pœnitentis *satisfactionem*, præsertim si relaxationem pœnæ temporalis, post dimissam culpam pœnamque æternam, reliquæ impetrare intendit." Præsupponunt ergo satisfactiones nostræ Christi satisfactionem et meritum 1. quia supponunt Deum hominibus placatum, reconciliatum, paratum ad peccatorum pœnarumque remissionem; quæ Dei benignitas fructus est satisfactionis Christi; 2. quia ad eas requiritur gratia, quæ fructus est

sanguinis Christi; quia 3. Christus promeruit, ut opera pœnalia a Deo acceptarentur in satisfactionem.

THESIS XXII.

Non semper simul cum culpa tota pœna peccatori a Deo remittitur; sed æterna pœna sublata, plerumque pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ remanent expiandæ; quæ tamen piis et laboriosis operibus in hac vita redimi queunt. Possunt igitur, immo debent, sacramenti pœnitentiæ ministri salutares ac convenientes satisfactiones pœnitentibus injungere;—quæ non necessario, sive ex præcepto Christi, sive ex natura sacramenti, ante absolutionem sacerdotis implendæ sunt, sed recte post absolutionem acceptam expleri possunt.

Prob. 1ª *pars thesis*, et ante omnia ostenditur:—*totam pœnam temporalem non semper simul cum culpa remitti a Deo.*

Id ex dogmate *de existentia Purgatorii* deducitur; sed directe hic demonstratur

1. *Ex Scripturis.*—Inter multa, quæ Sacræ Litteræ ad veritatem propositam vindicandam exhibent, exempla sequentia seligam.

Adamus, ut legitur Sap. x. 2., veniam a Deo de commisso peccato obtinuit, et nihilominus ipsi pœnæ temporales, seu pœnalitates fuerunt inflictæ, Gen. III.

Israelitæ in pœnam peccati obmurmurationis, jam ad precem Moysis remissi, in deserto perierunt, et a terra promissa exclusi fuerunt. Hæc enim habentur in libro Numerorum (XIV. 19–23.): "Dimitte, obsecro, [ait Moyses Domino], peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. Attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam."

Moyses ipse,—de quo Dominus dixit (Num. XII. 7.): "In omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per

ænigmata et figuras Dominum videt;"—in ultionem diffidentiæ simul cum Aarone admissæ ad aquas contradictionis, hæc audivit verba a Domino (Deut. XXXII. 49–52.): "Ascende in montem istum Abarim, ... in montem Nebo ... et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte ... sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor ... quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel, ad Aquas Contradictionis in Cades deserti Sin: et non sanctificastis me inter filios Israel. E contra videbis Terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel."

David quoque veniam peccatorum adulterii et homicidii accepit, et audivit a propheta Nathan (II. Reg. XII. 13.): "Dominus quoque transtulit peccatum tuum:"—sed hæc alia verba ab eodem propheta simul audivit (ibid. 14.): "Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur."

Eumdem David, licet peccati, quod numerando populum commisit, pœnituisset, atque is sine dubio Deum placasset, pœna tamen hujus peccati relaxata non fuit, sed optionem ei Deus per prophetam Gad reliquit aut famis septem annorum, aut trium mensium fugæ ab hostibus, aut pestilentiæ trium dierum, ut 2. libro Regum cap. 24. ver. 13. recensetur.

2. *Ex apertissima Patrum doctrina,* quos habere adversos Calvinus ipse (Inst. lib. 3. cap. 4.) non diffitebatur. Sufficiat hic afferre ad exemplum Joannem Chrysostomum, Augustinum et Gregorium Magnum.

"Ne peccantes," inquit S. Joannes Chrysostomus (Hom. de Pœnit. et Conf.), "et inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium; sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam."

S. Augustinus (Serm. 351. n. 12.) ait: "Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis."—Et Tract. 124. in Joan. (n. 5.): "Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis; quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. Ac per hoc .... temporaliter hominem detinet

pœna, quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa."—Demum, Enarrat. in Ps. L. (VIII. 11.) ita prosequitur: "*Veritatem dilexisti,* id est, impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti. *Veritatem dilexisti;* sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti; ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur, veritas, quia peccatum punitur."

S. Gregorius Magnus scribit (Mor. l. 9. c. 17.): "Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur: sic David audire post confessionem meruit: '*Dominus transtulit peccatum tuum;*' et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit."

Præterea,—*pœnas aliquot temporales peccatis debitas posse in hac vita piis et laboriosis operibus redimi,* constat

1. *Ex Scripturis:*—innumera enim exempla legimus in sacris paginis, quæ illud ostendunt. Satis erit hic commemorasse Israelitas, qui, ut narratur in libro Judicum, toties ob defectionem suam a Deo castigati, easdem castigationes jejuniis, lacrymis et precibus averterunt:—Ninivitas, qui (Jonæ, ult.) eisdem mediis prædictum post quadraginta dies urbis excidium effugerunt;—Manassem regem (II. Paral. XXXIII. 12. 13.), qui "postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente; et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum."

Similiter Scriptura proclamat (Eccli. III. 33.): "Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis." (Tob. IV. 11.): "Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras."—Sed a culpa sola pœnitentia liberat; ergo eleemosyna liberat a pœna peccati. Huc pertinet, quod Prov. (XVI. 6.) dicitur: "Misericordia et veritate redimitur iniquitas."

2. Eamdem doctrinam probat *usus Ecclesiæ perpetuus* pœnitentibus opera laboriosa imperantis; et confirmant *Patrum testimonia,* quibus satisfactiones a pœnitentibus exhibitæ pro redemptione pœnarum temporalium quæ Deo exsolvendæ erant, laudantur atque suadentur.

Testis sit Tertul., *de Pœnit.* (c. 6.). "Quam porro ineptum," inquit, "quam iniquum pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum

sustinere, hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem."—Et in eodem libro (c. 9.) satisfactoriam pœnitentiam commendans, ait: "Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet."

Et S. Cyprianus (*de lapsis*, c. 35.), ad bona opera quæ pœnas peccatis debitas redimant adhortatur, his verbis: "Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. . . . Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur. Quod adversarius auferebat Christus accipiat. Nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. . . . . Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut inde crimen et culpa redimatur."—Et librum suum ita concludit (c. 36.): "Si quis plus eum [Deum] suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursum quibus victus armetur, reparat et corroborat vires quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, provocabit hostem, et quidem factus ad prœlium fortior per dolorem. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam."

His testimoniis, brevitatis causa, addam tria solummodo, quæ sequuntur.

S. Ambr. (lib. 7. in Luc. n. 156.) ait: "Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione caritatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur."

S. Hieronymus, in Ep. 108. ad Eustochium de Obitu S. Paulæ, sic eam

loquentem inducit: "Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, et cerussa, et stibio sæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis; longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia, et serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda."—Sane S. Paula a multis jam annis eximia sanctitate prædita non efflagitabat illis corporis afflictationibus peccatorum suorum veniam a Deo; sed satisfaciebat pro peccatorum reliquiis, seu ad redimendam temporalem pœnam, quam post remissionem peccatorum expiandam esse noverat.

S. Cæsarius Arelatensis, Serm. 1. de Eleemosyna: "Si," ait, "bonis operibus ipsa [venialia] peccata non redimimus, tamdiu in illo Purgatorio moras habebimus, quamdiu supra dicta minuta peccata, tanquam lignum et fœnum et stipula consumantur."

Prob. 2[a] *pars thesis.* 1. *Ex perpetua et universali praxi Ecclesiæ,* quæ innotescit:—

a) ex antiqua pœnitentiæ publicæ, pro quibusdam gravioribus peccatis, disciplina.

b) ex libris pœnitentialibus, in quibus modus et mensura satisfactionis pro varietate delictorum statuebantur.

c) Ex Conciliis, jam superius commemoratis (pag. 183.), in quibus de satisfactionibus arbitrio sacerdotis impositis et a pœnitente implendis agitur.—Illis addas Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, ubi loquens de sacramenti pœnitentiæ partibus, ait: "Tertia [pars] est satisfactio pro peccatis, *secundum arbitrium sacerdotis;* quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam."

Et Concilium Tridentinum (sess. 14. cap. 8.) docet: "Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas,

etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum."

d) Ex apertissimis Patrum documentis, quæ Concilium Tridentinum, in verbis mox citatis, appellat.—Speciminis causa citemus pauca:—

S. Basilius (in Reg. brev. inter. 106. et 288.) ait: "Pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur; hoc sit in judicio positum eorum, qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt."

S. Innoc. I. ad Decentium (Ep. 1. al. 25. c. 7.) scribit: "De pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis ac tunc jubere dimitti [pœnitentem], cum viderit congruam satisfactionem."

S. Augustinus (Serm. 351. n. 9.) inquit: "Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tanquam bonus jam incipiens esse filius . . . . a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum."

S. Leo M. (Ep. 108. cap. 2.) ad Theodorum Episc. Foroiul. scribit: "Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent."

S. Gregorius Magnus (in I. Reg. lib. 3. cap. 5. n. 13.) ait: "Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis."

Quapropter S. Thomas, juxta doctrinam semper in Ecclesia traditam (lib. 4. Contra Gentes c. 72.) docebat: "Quandoque per contritionem amota culpa, et reatu pœnæ æternæ soluto, remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per pœnam. Cum autem subire pœnam pro culpa judicium quoddam requirat, oportet quod pœnitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi judicium in taxatione pœnæ expectet; quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut et cetera sacramenta."

2. *Ex rationibus theologicis,* quas Tridentina Synodus innuit in c. 8. sess. 14. nuper citato.—Et re quidem vera, Christum dedisse sacerdo-

tibus potestatem imponendi salutares pœnitentias illis quos a peccatorum vinculis absolvunt, patet ex verbis Petro dictis (Matth. XVI. 12.): "Quæcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis;"—et omnibus simul Apostolis (Matt. XVIII. 18.): "Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlo:"—Hac vero potestate sacerdotes non modo *posse*, sed, sub obligatione ex genere suo gravi, uti *debere*, ita ut pœnitentias convenientes et salutares pœnitentibus *communiter loquendo* imponere *teneantur*, constat:

a) quia in sacramenti pœnitentiæ administratione ineffabilis Dei misericordia extollenda est, ita ut simul et justitiæ, quoad fieri potest, ratio habeatur.

b) quia non eadem conditio est eorum qui per baptismum regenerantur, et aliorum qui post baptismum per pœnitentiam Deo reconciliantur. Regeneratio enim citra magnum laborem nascituri accidit; ægroto vero sanitas ordinarie non redditur, præsertim si letali morbo laboret, nisi ingratis, ac dolorosis remediis ab eo adhibitis:—nec ille qui, postquam filiorum Dei adoptionem, divinam amicitiam et innumera divinæ misericordiæ beneficia acceperit, fœdus cum Deo initum violavit, eadem facilitate veniam accipere meretur ac ille, qui sacramentum fidei non suscepit, et in ejus susceptione se divina mandata fideliter ac inviolate servaturum non spopondit.

c) quia non expedit pœnitentem post patrata crimina, absque salutari pœnitentia imposita, dimittere, ne facilitate ipsa veniæ ad peccandum iterum provocetur; sed præstat ut pœnis coercitus et gravitatem delictorum, quæ admisit, agnoscat, et horum odio virtutisque amore sensim discat vitiorum habitus extirpare, christianamque perfectionem acquirere atque augere.

Dixi sacerdotes, obligatione ex genere suo gravi, teneri, *communiter loquendo*, ad convenientes et salutares pœnitentias imponendas, quia constat, ut adnotat P. de Lugo (disp. 25. sect. 4. nn. 47. 48.) excipi aliquos casus, quos ita enumerat:—

"Primus est, quando pœnitens est impotens, ut si sit morti proximus, maxime si caret jam sensibus, et non potest pœnitentiam impositam percipere. Addunt tamen aliqui, si infirmus habeat sensus, exponendum illi esse, quam pœnitentiam mereatur, et imponendum, ut si convaluerit, eam impleat: quo sensu intelligunt textum in cap. *ab infirmis*

26. q. 7. ubi subditur. 'A quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, impositum sibi a sacerdote pœnitentiæ modum diligenter observet.' Quæ verba non possunt bene intelligi de pœnitentia, quæ postea imponatur, cum jam non liceat sacerdoti loqui de peccatis illis cum pœnitente. Addunt etiam aliqui, debere imponi aliquam pœnitentiam præsentem, saltem parvam, quam etiam in illo articulo potest explere. Denique, si infirmus potest satisfacere per eleemosynas; hæ sunt illi injungendæ in pœnitentiam.

Secundus casus est, quando confessarius ex confessione, et aliis circumstantiis, intelligit pœnitentem integre satisfecisse pro pœna debita: et licet raro, vel nunquam possit hoc constare, addit tamen Petrus de Soto, lect. ult. *de satisfactione,* sufficere quod probabiliter videatur satisfecisse.

Tertius casus huic similis est, quem alii addunt, quando, absque satisfactione, instat perfectæ remissionis remedium: ex. gr., si instat martyrium subeundum: quod alii extendunt ad indulgentiam plenariam lucrandam, saltem quæ sit moraliter certa.

Quartus casus est, quando pœnitens ob suam fragilitatem nullam credatur acceptaturus pœnitentiam: aliquando enim oportebit condescendere ejus imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quod aliquam, levem saltem, pœnitentiam non sit acceptaturus."

Prob. 3ª *pars thesis,* in qua statuimus, *satisfactiones a sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ impositas, post absolutionem acceptam, impleri posse:* —1. *Ex universalis Ecclesiæ praxi,* quæ jam a pluribus sæculis viget. Porro "si quid," ait S. Augustinus (Ep. 118. c. 5.), "totum per orbem frequentat Ecclesia . . . quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est."

2. *Ex ipsa antiquissimæ Ecclesiæ praxi.*—Indubium enim est, in multis saltem casibus, absolutionem sacramentalem concessam fuisse antequam a pœnitente impleta fuerit satisfactio imposita.

Reapse cum pœnitens in vitæ discrimen veniebat, ante expletum pœnitentiæ tempus, absolvebatur. Ita cautum legimus in Conciliis Nicæno I. generali, can. 13.; Carthag. IV. can. 76.; Arausicano I. c. 7. —Et S. Innoc. I. Ep. 1. al. 25. ad Decent. Episc. Eugub. c. 7. (Migne P. L. t. 20. p. 559.): "Si quis," inquit, "ægritudinem incurrerit atque usque

ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat." Et Sanctus Leo M., Epistola 108. ad Theodorum Episcopum, capite 4.: "His," inquit, "qui in tempore necessitatis, et periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio."

Item pœnitentes absque mora absolvebantur cum periculum erat ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad Hæreticos vel Schismaticos deficerent. Ita S. Cyprianus, Ep. 11. (al. 52. vel 55.) ad Antonianum, num. 15., ait: "Quorum si pœnitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur."—"Quapropter," concludit, "opem nostram, medelam nostram vulneratis exhibere debemus."

Similiter cum persecutio instabat, lapsis absolutio et Eucharistia indulgebatur ante expletam pœnitentiam. Ita Sanctus Cyprianus docet Epist. 12. (alias 54. vel 57.) ad Cornelium, Synodica, num 2. "Merito," inquit, "trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies et tranquillitas aderat. . . . . . . At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus."

Denique, præter alios etiam casus, cum pœnitens vehementem de peccatis suis dolorem demonstrabat, pro magnitudine contritionis temperabatur rigor pœnitentiæ. Id testatur S. Gregorius Nyssenus, Epistola canonica, can. 5. "In iis quoque," dicit, "pœnitentis voluntate examinata, ut si sit fide digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata, ad Ecclesiæ restitutionem et boni participationem compendio reducatur."—Et eodem pacto, in Concilio Ancyrano, can. 5., "statuimus," aiunt Patres, "ut Episcopi, modo conversionis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præcedens vita, et quæ consecuta est, examinetur, et sic eis clementia impertiatur."

Et hic adnotare juvat eos publicæ pœnitentiæ fuisse subjectos qui publice gravissima crimina committebant; ideoque solum relate ad hos pœnitentes, non relate ad omnes asseri debet servatam fuisse, *generatim loquendo*, disciplinam, juxta quam, nonnisi post pœnitentiam impletam, pœnitentes absolvebantur.—Quod nec etiam concedi debet, nisi supposita tamquam vera sententia, communius ab eruditis recepta, quæ tenet *absolutionem a peccatis*, pœnitentia publica expiandis, datam fuisse *in fine* vel *sub finem* ejusdem pœnitentiæ, idest post absolutam tertiam stationem *substrationis*. At non pauci, nec mediocris auctoritatis, theologi affirmant absolutionem illam et reconciliationem, quæ, solemni pœnitentia peracta, pœnitentibus dabatur, fuisse tantum *ceremonialem;* ac proinde in Ecclesia, antiquioribus etiam sæculis, viguisse praxim, quam S. Bonifacius in Concilio Leptinensi, an. 743. stat. 31. inculcavit: "Curet unusquisque presbyter *statim* post acceptam confessionem pœnitentium singulos data oratione reconciliari."—Vide P. Hurter, op. cit. n. 551. in nota.

3. *Ex ratione theologica.*—Nam, ut superius dictum est, et per se patet, satisfactio actu exhibita a pœnitente non pertinet ad essentiam, sed solum ad sacramenti pœnitentiæ integritatem: potest ergo, ante satisfactionem exhibitam, sacramentum essentialiter perfici, absolutione sacerdotis.

Præterea, fundamentum Jansenianorum—satisfactionis executionem absolutioni præmittendam esse contendentium—est, peccata ministerio sacerdotis non tolli, sed, postquam fuerint expiata, et divinitus jam condonata, declarari remissa: atqui doctrina ista falsa est, et proscripta a Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. et can. 9.; ergo.

Demum ad complementum doctrinæ addimus hanc P. Viva (in prop. XVIII. ab Alex. VIII. n. 6.) animadversionem: "Theologi omnes, teste Suar., d. 32. de Pœn. s. 3. docent, non solum posse, sed etiam teneri confessarium secundum se pœnitenti rite disposito absolutionem impertiri, nec posse illam sine rationabili causa differre, qualis esset, ex. gr., si promisisset alias restituere, aut proximam occasionem peccandi tollere, nec steterit promissis; præsertim si non semel id promisisset. Ratio autem, cur teneatur confessarius statim absolvere, est, quia hoc postulat ratio judicii; tenetur quippe judex statim absolvere reum, si dignus est qui absolvatur. Id exigit etiam munus ministeriale confessarii, qui

tenetur sacramentum administrare juxta voluntatem Christi principaliter absolventis, qui ad id potestatem dedit ligandi, atque solvendi, ut dispositi absolvantur: unde injuria illis fieret, tam si negaretur, quam si differretur absolutio; nisi forte aliquando in remedium confessarius ut medicus putet dilationem profuturam."

Adversus ultimam thesis partem mox vindicatam, adversarii ex auctoritate Patrum arguunt et asserunt:—

1. Patres docuisse, peccata non redimi nisi *pretio* satisfactionis *soluto.* Notissima enim sunt verba Tertulliani lib. *de pœnitentia,* (cap. 6.); "quam iniquum pœnitentiam non adimplere et veniam delictorum sustinere [expectare]: hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum emittere."

2. Docuisse, concessionem veniæ ante pœnitentiam impletam divinæ institutioni adversam esse. Hinc S. Cyprianum dixisse, in l. *de lapsis* (c. 15.): "Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita et falsa pax, periculosa dantibus et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam."

3. Docuisse, incertam admodum esse absolutionem datam, ob impendens mortis periculum, ei qui antea pœnitentiam non impleverat. Sufficiat citasse S. Augustinum, qui (Serm. 393. al. 41. inter 50.) ait: "Agens pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus."—Et alibi (Serm. 57. de temp., alias 255. in append.): "Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit."

4. Et Theodoretum (lib. 4. hæret. fab. c. 10.) Audianos redarguisse eo quod peccatores statim, post confessionem ab eis factam delictorum, absolverent.

Respondemus—*a*) Patres docent peccatorem absolvendum non esse a sacerdote, nisi prius contritionem de peccatis admissis concipiat, eaque, prout potest et debet confiteatur, exhibens jam per hos pœnitentiæ actus *quamdam* Deo *satisfactionem C.* Patres docent peccatorem non esse absolvendum nisi prius impleverit *satisfactionem a sacerdote impositam. Sub.* semper *N.* In quibusdam casibus, et si hæc fuerit Ecclesiæ lex disciplinaris *C.*

b) S. Cyprianus invehit in eos qui, sine vera animi conversione, præcipiti et inconsiderata reconciliatione, absolvebantur a præscripta pœni-

tentia, juxta morem illius ætatis lapsis imposita, et ad participationem Eucharistiæ admittebantur.—De illis enim, immediate post citata verba, prosequitur (c. 15.): "Operiuntur morientium vulnera, et plaga letalis altis et profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurrat Scriptura divina et clamet et dicat: 'Omnis mundus manducabit carnem, et anima quæcunque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo' (Lev. VII. 20.). Apostolus item testetur et dicat: 'Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini communicare et mensæ dæmoniorum' (I. Cor. x. 17.). Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et denunciat, dicens: 'Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini' (I. Cor. XI. 27.)."

c) Patres de veritate absolutionis concessæ infirmis, qui satisfactiones pœnitentiales adhuc implere non poterant, non dubitabant quia satisfactiones absolutioni non præcesserant; sed quia seram pœnitentiam, et ad tempus imminentis mortis dilatam, raro veracem, atque ad remissionem peccatorum sufficientem, esse putabant.

In Sermone, sub nomine S. Augustini citato (Serm. 57. de temp. al. 255. in app.), hæc habentur: "Datur quidem in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. . . . Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur."

d) Theodoretus Audianos non ex eo culpat quod statim post confessionem pœnitentes absolverent, sed ex eo quod, nulla satisfactione injuncta, eos qui de peccatis admissis contritionem non habebant, et validam peccatorum confessionem non peragebant, absolverent. — Hæc sunt verba Theodoreti, loco citato: "Hi autem peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (hos enim eximie arcanos et mysticos existimant), et ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque, et pec-

cata sua confiteri: deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed ex potestate condonantes. Scientes autem, qui sic transeunt, ludum esse quod agitur, vera peccata celant, et parva quædam risu digna dicunt, quæ et dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi amentia teneatur."

ARTICULUS UNDECIMUS

De forma sacramenti pœnitentiæ.

Tria circa sacramenti pœnitentiæ formam potissimum quæruntur; scilicet, quænam sit, quis ejus sit sensus, quomodo materiæ conjungi debeat;—et de his agemus, in thesi quam subjungimus. Utrum vero absolutionis forma deprecatoria adhiberi potuerit, et adhibita in Ecclesia aliquando fuerit, Scholio declarabimus.

THESIS XXIII.

Licet, ex præscripto Ecclesiæ, forma hæc a sacerdote, dum pœnitentem absolvit, proferri debeat: "Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen;" sola tamen verba "Absolvo te" essentialem sacramenti pœnitentiæ formam constituunt:—quæ non significat, Ego te ostendo aut declaro a peccatis absolutum; nec significat, Ego te absolvo ab obligatione subjiciendi peccata clavibus; nec demum, Ego absolvo te a pœna peccatis debita;—sed hanc præsefert significationem, Ego sacramentum absolutionis tibi impendo; ideoque significat: Ego tibi gratiam confero, quantum de se est, remissivam peccati.—Et hæc pœnitentiæ forma non potest scriptura aut nutibus, intentionem sacerdotis absolventis manifestantibus, proferri; sed verbis voce prolatis, et ad pœnitentem, qui ministro sacramenti præsens sit, directis, exprimi debet.

Plurimas, ut patet, propositiones thesis complectitur; easque distincte demonstrabimus.

1. *Sacramenti pœnitentiæ formam præceptam esse verba: "Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen,"*

constat.—*a*) Ex Conciliis Florentino et Tridentino, quæ non modo statuunt formam esse: "Ego te absolvo;" sed addunt "*et cetera*:"—hoc enim commate satis declarant integram sacramenti pœnitentiæ formam in Ecclesia usurpatam esse adhibendam.—*b*) Ex Rituali Romano, in quo verba a nobis citata referuntur, hac etiam addita monitione: "Urgente . . . . . aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter [idest, ceteris omissis a sacerdote] dicere poterit: 'Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.' "

2. *Hæc tantum verba: "Absolvo te" essentialem formam constituunt.*—Id communius Doctores tenent, sequentes doctrinam S. Thomæ, qui (3. q. 84. a. 3.) idipsum probat sequenti pacto:

"Hoc sacramentum, scilicet pœnitentiæ, non consistit in consecratione alicujus materiæ, nec usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cujusdam materiæ, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ, ut ex supra dictis patet, art. præc. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: *Ego te absolvo.* Nam peccata sunt quædam vincula, secundum illud Proverb. (v. 22.): 'Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.' Unde patet quod hæc est convenientissima forma hujus sacramenti: *Ego te absolvo.*"—Cum autem pronomen *ego* nihil *in re* addat quod expressum non sit in verbo *absolvo*, et in hoc verbo illud pronomen intrinsece exprimatur ac intelligatur, de essentia formæ non est ut distincte pronuntietur; ideoque ad essentiam formæ hæc duo verba sufficiunt: "Absolvo te."

Præterea Catechismus Concilii Tridentini (de pœnit. n. 19.) doctrinam quam propugnamus aperte tradidit inquiens: "Est autem forma, 'Ego te absolvo;' quam non solum ex illis verbis licet colligere: 'Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis;' sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. Ac quoniam sacramenta id significant quod efficiunt, et illa 'Ego te absolvo,' ostendunt peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici; planum est hanc esse pœnitentiæ perfectam formam. Sunt enim peccata tanquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, et ex quibus pœnitentiæ sacramento laxantur."

Accedit quod in judiciis forensibus hæc duo verba, "absolvo te," a judice prolata, sufficiunt ad sententiam absolutoriam pronuntiandam;

ac proinde recte infertur, hæc eadem verba in judicio sacramentali sufficere ad exprimendum totum effectum formæ, et ad eam essentialiter validam constituendam.

Denique sententia, quam tuemur, ex refutatione aliarum opinionum optime confirmatur.

Et sane *a*) verba "in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen," ad essentiam formæ non pertinere, jure meritoque theologi, contra Durandum paucosque antiquiores, communiter docent. Christus namque de invocatione SS. Trinitatis nullam mentionem fecit in institutione sacramenti pœnitentiæ; in Ecclesia usurpata antiquitus non fuit; et ad effectum hujus sacramenti significandum necessaria non est magis ac in aliis sacramentis, in quibus invocatio illa non adhibetur.

b) Verba "a peccatis tuis," necessario non requiruntur, ut nonnulli contendunt, ad determinandam significationem verbi "absolvo," in eo innixi quod vox illa "absolvo" de se non exprimit utrum pœnitens absolvatur a culpa, an a pœna, aut a censura;" verba enim "*te absolvo*," supposita confessione, satis per se determinatam habent significationem. Profecto cum sententiam exprimant sacerdotis, prolatam super accusationem *peccatorum* factam a pœnitente, *determinate* significant absolutionem a sacerdote pronuntiatam *in tali causa et materia;* ac proinde significant absolutionem *a peccatis*, etiamsi verbum "*a peccatis*" in ipsa prolatione formæ non addatur. "Sicut in judicio humano," ait Suarez (de Pœnit. disp. 19. s. 1. n. 21.), "non oportet in ipsa sententia iterum exprimi culpam: sed eo ipso quod audita accusatione, et tota causa, judex pronunciat hunc esse immunem, vel esse reum talis pœnæ, satis declarat mentem et sententiam suam: ergo similiter in præsenti."

Sed cum eodem Suaresio (l. c. num. 22.) hic est animadvertendum: "Quia vero [comma illud *a peccatis tuis*] facillime adjungi potest, existimo nunquam rationabiliter omitti: quia nec moraliter potest accidere causa, quæ ad hoc cogat: neque est in eo aliqua utilitas: et aliunde adjungendo illud, vitatur qualecumque periculum, quia opposita sententia improbabilis non est. Et fortasse propter hanc causam addiderunt Concilia illam particulam, *etc.:* vel forte, ut ab opinionibus Theologorum abstinerent. Nam prædicta verba exprimendo, id declararunt, quod certum est; alia vero tacuerunt: noluerunt tamen definire reliqua omnia non esse de essentia, et ideo illam particulam addiderunt."

c) Demum solum verbum "*absolvo,*" quin addatur pronomen "*te,*" non sufficit ad formam essentialem sacramenti pœnitentiæ constituendum. Et revera verbum "*absolvo*" non habet *de se determinatam significationem personæ quæ a peccatis absolvitur;* ideoque in nullum subjectum cadit, ac proinde sola nequit esse forma valida sacramenti.

Verum, adnotat P. de Lugo (de Pœnit. disp. 13. sect. 1. n. 26.), "licet verbum *absolvo* non sufficiat, sufficere tamen, si sacerdos diceret, *absolvo a peccatis tuis*; quia in illo *tuis*, implicite contineri videtur illud *te.* Nam sicut in baptismo sufficit dicere, 'Baptizatur Petrus in nomine Patris,' etc. Sic in sacramento pœnitentiæ sufficeret: 'Remittuntur a me peccata Petri,' etc. licet non diceretur, 'Remittuntur Petro peccata sua:' quia eo ipso, quod dicis remitti peccata Petri, dicis implicite remitti Petro: ergo sufficiet dicere: 'remittuntur peccata tua,' quia implicite dicitur, 'remittuntur tibi,' etc. Atque ideo sufficiet dicere, 'Remitto peccata tua,' seu, 'absolvo a peccatis tuis,' quia idem videtur significari, si dicam, 'solvuntur vincula, vel peccata tua,' ac si dicam, 'absolvo a vinculis, vel peccatis tuis.' Nam licet modus ille loquendi, juxta Grammaticæ legem, non videatur carere barbarismo, propter defectum accusativi, quem exigit illud verbum *absolvo:* hic tamen idem fere defectus reperitur in illa loquutione, 'Remitto, vel condono peccata tua,' cum illa etiam verba exigant dativum personæ, cui condonatur; in utraque tamen videtur esse sufficiens sensus, ut fiat sacramentum: si enim judex, proposita accusatione, et examinato processu, proferret sententiam his verbis, 'Ego absolvo ab hac instantia et accusatione,' sententia videretur valida, quia satis significat absolvi reum ab accusatione proposita. Similiter ergo in absolutione sacramentali dicendum videtur."

3. *Sensus formæ sacramenti pœnitentiæ non est: ego te ostendo aut declaro a peccatis absolutum.*—Id evidenter eruitur ex iis quæ superius demonstravimus, cum de natura sacramenti pœnitentiæ ageremus, secunda parte hujus Tractatus, art. 2. Ex illis enim meridiana luce clarius apparet Apostolos eorumque successores, seu ministros sacramenti pœnitentiæ, constitutos fuisse a Christo *judices in causis peccatorum,* eosque in hoc sacramento vera potestate pollere ad absolvendos fideles pœnitentes a peccatis.—Et huc faciunt verba Richardi a S. Victore (de potestate ligandi atque solvendi, c. 12.): "Extat quorumdam de potestate ligandi

atque solvendi sententia tam *frivola*, ut *ridenda* potius videatur, quam *refellenda*. Putant enim et prædicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed *ostendendi* homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit: Quodcumque ligatum *ostenderis* erit ligatum, et quodcumque solutum *ostenderis* erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque *ostendendi*, cum Dominus *hoc non dicat. 'Quorum remiseritis,'* inquit, *'peccata,'* non quorum remissa ostenderitis, *remittuntur eis*."

4. *Nec sensus formæ absolutionis est: ego te absolvo ab obligatione subjiciendi peccata clavibus.*—Nam

a) Christus potestatem dedit sacerdotibus remittendi lapsis fidelibus peccata in sacramento pœnitentiæ: solvere autem quemdam *ab obligatione præcepti* non est *peccata remittere.*—Forma ergo absolutionis, qua sacerdos potestatem a Christo acceptam exercet, et sacramentum pœnitentiæ conficit, non significat sacerdotem, sacramenti ministrum, absolvere fidelem pœnitentem ab obligatione præcepti subjiciendi peccata, quæ admiserat, Ecclesiæ clavibus.

b) Si quis peccata venialia, aut lethalia jam rite in alia confessione declarata et absoluta, confiteatur, absolvi potest; in hoc tamen casu forma absolutionis significare non potest pœnitentem absolvi ab obligatione subjiciendi peccata clavibus: hac enim obligatione pœnitens non tenebatur.

c) Interdum quis absolvitur a peccatis, quin ab obligatione confitendi peccata solvatur, ut in Theologia Morali, cum de casibus reservatis agitur, declaratur.

d) Si verba absolutionis sensum haberent, quem impugnamus, gratia per illa verba non conferretur; verba enim, absolutionis si liberationem ab obligatione confitendi peccata significarent, *gratiam non significarent*, cum necessaria non sit gratia ad absolvendum hominem ab hac obligatione;—et verba formæ sacramentalis *gratiam conferunt, quam significant.*

5. *Nec etiam sensus absolutionis est: ego absolvo te a pœna peccatis debita.*—Ut enim paulo ante diximus, sacerdotes in sacramento pœnitentiæ potestatem exercent a Christo concessam, qua non pœnas tantum pecca-

torum, sed peccata ipsa remittunt.—Præterea, contingere potest ut quis iterum se accuset peccatorum sive mortalium, sive venialium, quæ jam pœnitentiæ virtute et sacramento abunde quoad culpam et pœnas omnes expiavit; et in hoc casu, forma absolutionis nullum haberet effectum, si solum absolutionem a pœna peccatis debita significaret.

6. *Verba, quæ formam sacramenti pœnitentiæ constituunt, hanc præseferunt significationem: ego sacramentum absolutionis tibi impendo; ideoque significant: ego tibi gratiam confero, quantum de se est, remissivam peccati.*—Hanc ultimam declarationem apponimus ut verus sensus appareat juxta quem S. Thomas (3. quæst. 84. art. 3. ad 5.) dixerat: "Esset autem [formæ sacramenti pœnitentiæ] perfectior expositio: *Ego te absolvo,* id est, *sacramentum absolutionis tibi impendo.*"—Etenim, ut egregie Suaresius adnotat (disp. 19. sect. 2. n. 20.), non sensit Doctor Angelicus significationem illius formæ sacramentalis esse applicationem, seu exhibitionem sacramenti; quia in hoc sacramento minister non confert sacramentum applicando suscipienti materiam, sed illam supponit—utpote quæ ab ipso suscipiente sacramenti pœnitentiæ exhiberi debeat,—et adhibet formam. Voluit itaque S. Thomas hoc unum tradere nobis, nempe, sicut sacramenta significant effectus suos non omnino absolute, sed quantum est ex parte sua; ita formam sacramenti pœnitentiæ significare efficaciam, quantum est ex se, absolutionis a peccatis, quæ obtinetur infusione gratiæ sanctificantis; ac proinde significare collationem, per signum sacramentale, gratiæ, quantum de se est, remissivæ peccati:—et hoc S. Doctor expressit dicens, formam significare exhibitionem *sacramenti absolutionis,* seu *sacramenti ex se peccatorum remissivi, non utique in actu signato, sed in actu exercito.*

Quod autem hic sit sensus verus formæ, scilicet: '*Ego tibi gratiam confero, quantum de se est, remissiva peccati,*' facile ostenditur.

Nam verbum *absolvo* significat profecto vinculi solutionem, ac proinde peccati remissionem; sed quia vinculum illud non solvitur, et peccatum non remittitur, sine infusione gratiæ, ideo, juxta subjectam materiam, significat, et quidem *primario et immediate,* gratiam, quatenus remissiva est peccati.—Quod evidentius apparet a contrario: dicamus enim, formam pœnitentiæ significare et efficere *primario ac immediate* remissionem peccati, et gratiam *secundario* tantum *ac indirecte;*—inferre debemus, ergo peccati remissio antecedit gratiam; cum tamen causa

formalis unica nostræ justificationis sit gratia, juxta Concilium Tridentinum, sess. 6. capit. 7.; et omnis formæ veteris privatio formæ novæ inductione posterior censeatur.

Præterea, significatione illa admissa quam defendimus, nulla difficultas contra veritatem formæ absolutionis afferri potest, desumpta ex eo quod super hominem jam justificatum aliquando pronuntietur. Etenim si per illam formam *primario ac directe* significatur, ut contendimus, collatio gratiæ, seu talis formæ positio, quæ ex se faciat hominem formaliter ex peccatore justum; sive pœnitens sit jam ante absolutionem justus, sive adhuc peccator, semper vere in eo absolutionis sacramentalis forma profertur; licet in solo peccatore, qui *sola attritione* ad susceptionem gratiæ sit dispositus, forma illa, dum sacramentum perficit, remissionem peccatorum formalem et significet, et operetur.

7. *Forma sacramenti pœnitentiæ non potest scriptura aut signo alio quocumque exprimi, quo intentio sacerdotis circa absolutionem pœnitentis sufficienter manifestetur; sed omnino necessarium est, ad sacramenti validitatem, ut forma ejus verbo proprio, voce prolato, proferatur.*

Conclusio hæc est certa.—Probatur in primis ex doctrina Concilii Florentini, in Decreto pro Armenis, ubi generatim Concilium statuit sacramenta novæ legis constare *verbis.* Et hoc quod Concilium circa verba formæ sacramentalis docuit, *secundum analogiam* pro aliquo sacramento interpretari non debet, nisi ex traditione Ecclesiæ et ex sententia Patrum atque Doctorum id constiterit: qua ratione pro sacramento matrimonii fatemur verba *propria,* seu *voce expressa,* non esse essentialia.—Sed in forma sacramenti pœnitentiæ, neque ex traditione Ecclesiæ, neque ex sententia Doctorum talis interpretatio admittitur; ergo est rejicienda.

Secundo probatur conclusio nostra ex eodem Concilio Florentino, in Decreto citato, ubi non tantum generatim, sed etiam speciatim de sacramento pœnitentiæ dicitur: "*Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: ego te absolvo etc.*"—Notentur in sententia Concilii, duo illa, *profert* et *dicit,* quæ procul dubio denotant verborum et locutionis humanæ proprietatem.

Et insuper animadvertatur, Concilium, agens inferius de sacramento matrimonii, dicere: "Causa efficiens matrimonii *regulariter* est mutuus consensus per verba de præsenti expressus:"—et per limitationem ibi

appositam, adverbio *regulariter*, declarare, se uti *verborum* nomine in omni significationis proprietate; si enim latius ea voce uteretur, certe non adderet particulam *regulariter*, nam de essentia matrimonii semper est consensus mutuus de præsenti aliquo sufficienti signo expressus.—Itaque Florentina Synodus de *verbis*, propria significatione intellectis, loquitur; et, quia hæc non semper ad matrimonium perficiendum requiruntur, addit limitationem illam *regulariter*:—unde sequitur quod pro sacramento pœnitentiæ, cum eamdem limitationem non addiderit, de *verbis*, propria et stricta significatione sumptis, loquatur, et hæc simpliciter necessaria esse declaret in forma hujus sacramenti.

Demum ratio hujus veritatis primaria invenitur in ipsa Christi institutione, qua voluit sacramenta novæ legis,—solo matrimonio excepto propter rationes suo loco innuendas,—perfici forma sacramentali, expessa verbis propriis ac vocalibus. Idque, ait Suarez (d. 19. s. 1. n. 4.), "colligi potest ex verbis institutionis: 'Quorum remiseritis peccata,' æquiparando illa cum verbis, *baptizantes eos*, et cum verbis Eucharistiæ, *hoc facite.* Nam in illis non dixit expresse Christus, baptismum, aut Eucharistiam, conficienda esse, formaliter proferendo talia verba: nihilominus tamen ex sensu et traditione Ecclesiæ habemus hanc fuisse mentem Christi, quia voluit sacramentum legis novæ determinatam et expressam habere significationem: et ideo voluit verbis consummari. Quæ ratio, et forma verborum Christi, ac denique traditio Ecclesiæ, et Conciliorum doctrina eamdem vim habent in hoc sacramento. Ergo vel in aliis etiam sacramentis hoc non est certum, quod dici non potest: vel in hoc negari non potest; quod verissimum est."—Confer etiam, si lubet, quæ habentur in hoc opere *de Re sacramentaria*, vol. 1. lib. 1. p. 144. et seq.

Nec quidquam virium habent argumenta allata ad suadendam sufficientiam aliorum signorum, quæ loco verborum formalium exprimerent voluntatem sacerdotis absolventis pœnitentem a peccatis, post confessionem eorum rite peractam.

Dicitur *a*) Cum pœnitentia instituta sit ad modum judicii, nihil, quod non sit de essentia judicii, essentialiter postulat: atqui de essentia judicii non est, ut verbis formalibus sententia feratur, sed scripto solet sæpe dari, ac nutibus etiam ferri potest; ergo.

Respondetur:—*N. M.* Nam actio sacramenti pœnitentiæ in pluribus

a judicio forensi discrepat: idem enim in hoc sacramento actor, reus, et testis est, cui pro se et contra se fides habetur; et qui, si pœnitens vere accessit, numquam condemnatur, sed semper absolvitur.

Dicitur *b*) Absolutio ab excommunicatione in scriptis data valida est; ergo etiam absolutio a peccatis.

Respondetur:—*Neg. conseq. et paritatem.* Sicut enim absolutio ab excommunicatione non requirit certam formam verborum, ita nec verba proprie dicta: quia non operatur ut instrumentum Christi ad effectum supernaturalem; sed ut instrumentum superioris, qui in absolvendo a censura, utpote principalis, potest sibi medium determinare. Absolutio a censuris non est actio sacramentalis, et arbitrio Ecclesiæ omnino permissa est; e contra sacramenti forma a Christo determinata fuit, et ab Apostolis Ecclesiæ tradita, ita ut debeat solis verbis, voce humana prolatis, pronuntiari.

Dicitur *c*) Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, tradit, *confessionem oris* esse partem materialem sacramenti pœnitentiæ; et confessio tamen scripto, aut nutu facta, sufficit: ergo licet idem Concilium declaret absolutionem verbis impertitam esse sacramenti pœnitentiæ formam, scriptura tamen dari aut nutibus poterit.

Respondetur: *N. cons.*—Ex usu enim perpetuo Ecclesiæ, et ex Patrum atque Conciliorum traditione novimus, a Christo sola verba pro absolutione fuisse assignata, non item pro confessione:—et expressior significatio magis ex parte formæ requiritur quam ex parte materiæ.

Dicitur *d*) Ad sacramentum matrimonii celebrandum verba ordinarie requiruntur; et nihilominus matrimonium nutu, aut litteris etiam inter absentes perficitur; ergo idem tenendum est de absolutione sacramentali maxime necessaria, saltem in casu, quo sacerdos loquendi impotens pœnitentem nonnisi per signa alia absolvere potest.

Respondetur: *N. conseq.*—In matrimonio Christus naturalem contractum honorare voluit, et illum ipsum ad sacramenti rationem evexit; at in sacramento pœnitentiæ *ritum specialem* instituit, eique specialem formam novæ legis sacramentis accommodatam destinavit, quæ verbis proprie vocalibus constaret. Quod si in baptismo, qui majoris multo necessitatis sacramentum est, quoad formam verbalem dispensatum non fuit, quanto minus id erat opus in hoc sacramento, cujus defectum pœnitens contritione supplere potest.

8. *Forma pœnitentiœ exprimi debet verbis ad pœnitentem, qui ministro sacramenti prœsens sit, directis; ideoque sacramentum pœnitentiœ, etiam in casu extremœ necessitatis, inter absentes nequit perfici.*

Hanc ultimam thesis propositæ conclusionem, quæ controversa olim fuerat inter Theol., certam fecit Decr. Clem. VIII. datum die 20 Junii anni 1602. et a nobis superius relatum, p. 267. In eo Summus Pontifex "hanc propositionem, scilicet, licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit:"—et probavimus condemnationem hanc Pontificis intelligendam esse non solum *copulative,* sed etiam *disjunctive.* Quod autem non dicat *illicitam,* sed *invalidam,* absolutionem datam a sacerdote absenti, eadem ratione evincitur, qua demonstravimus Summum Pontificem illo Decreto declarasse confessionem factam sacerdoti absenti non modo illicitam, sed invalidam.

De eadem re P. Suarez ita loquitur (disp. 19. sect. 3. n. 16.);—"In hoc Decreto [mox citato] directe solum videtur Pontifex prohibere dicere, aut docere licitum esse absentem absolvere in aliquo casu, vel id facere: an vero, si fiat, factum teneat, non declarare. Credo tamen mentem ejus fuisse hoc etiam declarare, et contrarium in eodem gradu damnare: tum quia in hoc sacramento hæc duo per se non separantur: tum etiam quia hic erat cardo controversiæ: nam si ex se non licet, ideo est quia sacramentum non potest ita perfici. Quapropter neutrum licet jam opinari, neque illa opinione in praxi uti, etiamsi fingatur quicunque casus extremæ necessitatis, maxime propter hanc prohibitionem Pontificis: nam ita illam restringit illis verbis: 'Neque unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur.' Quod fuit valde conveniens, ne uniuscujusque arbitrio relinqueretur fingere casum necessitatis ad utendum alia opinione tanquam probabili. Est igitur jam dicta sententia certa, in gradu a Pontifice definito."

Argumentum vero præcipuum ad confirmandam doctrinam quam vindicamus, præter auctoritatem declarationis authenticæ nuper commemoratæ, desumitur ex ipsa forma sacramenti.

Etenim forma hæc, ut demonstravimus, voce humana proferrri debet; et ad aliam personam, dirigi, ut per se patet;—sed locutio humana ad alium directa, ordinatur natura sua ad personam præsentem:—ergo

forma sacramenti pœnitentiæ ad præsentem personam dirigi debet, quam absolvit. Id confirmat particula *te*, quæ, voce prolata, ad præsentem personam solum dirigitur.

"Simili argumento," inquit Suarez (loco citato, num. 10.), "docent Theologi, sacerdotem non posse consecrare panem absentem, quia illud signum *Hoc*, in forma contentum, ex vi suæ significationis indicat rem præsentem. Unde etiam concludunt, si in illa forma mutetur signum illud in aliud, quod dirigatur ad rem absentem, ut est, *illud*, mutationem esse substantialem, et ideo nihil fieri. Ergo simili modo in præsenti, ut maneat virtus hujus formæ, non potest illa particula ita mutari quin præsentia requiratur. Nam in formis sacramentorum observanda est præcipue significatio illius formæ, quæ est in communi usu Ecclesiæ, quam scilicet ipsa Ecclesia ut essentialem amplexa est: nam ex illa sumendus est sensus essentialis formæ. Unde si fiat mutatio, et ille sensus non retineatur, substantia sacramenti mutatur, et nihil fit. In præsenti ergo ex usu Ecclesiæ, et expressa definitione Conciliorum habemus, hanc formam, *Ego te absolvo*, ut essentialem, et illa requirit præsentiam ex vi suæ significationis; ergo signum est, hanc præsentiam esse de necessitate sacramenti, et nullam formam, quæ illam excludat, posse esse sufficientem."

Aliud argumentum pro re nostra validissimum habetur in Ecclesiæ praxi; numquam enim in Ecclesia consuevit absenti absolutionem dari sacramentalem, et hæc constans Ecclesiæ praxis optime ostendit Christi institutionem.

Tertio, minister sacramenti pœnitentiæ debet, ante absolutionem, tamquam judex examinare et cognoscere statum pœnitentis, in quantum pœnitens ipse hunc statum, seu peccata, et dispositionem suam manifestare potest: nequit autem minister sacramenti hanc cognitionem, absque actuali præsentia ipsius pœnitentis, acquirere; ergo pœnitens ministro sacramenti præsens esse debet, ut absolvatur.

Nec objici potest, rationem propositam vim habere ad ostendendum præsentiam pœnitentis, *per se loquendo*, esse necessariam; sed pro casu extraordinario et extremæ necessitatis non valere. Nam et materialis integritas confessionis, propter eamdem rationem allatam, per se est necessaria, et tamen in nonnullis casibus integritas formalis sufficit.

Reponimus, paritatem non inveniri inter necessitatem integritatis

materialis in confessione, et necessitatem præsentiæ pœnitentis ad absolutionem habendam. Judicium enim sacramentale, quod in sacramento pœnitentiæ exercetur, "primo et per se," inquit Suarez (disp. 19. sect. 3. n. 12.), "institutum est a Christo ex parte judicis, dando illi potestatem ad remittenda peccata: unde ex parte illius etiam designavit modum, et signum, quo uti debet ad remittenda peccata, et pari etiam modo determinavit conditionem necessariam ex parte ipsius judicis ad talem causam definiendam, quæ quidem est præsentia ejus. At vero ex parte pœnitentis requisita est confessio, veluti consecutione quadam; quia non poterat judex ferre judicium non cognita causa: et ideo ex parte pœnitentis non est omnino definitus modus, aut signum ad confessionem necessarium, sed solum, ut suam conscientiam aperiat integre, prout moraliter potuerit."—Præterea, propter eamdem necessariam status pœnitentis cognitionem, sicut absolutio sacerdotis ita etiam, ut supra dictum est, confessio ipsa pœnitentis valida esse non potest inter absentes.

Nullam etiam paritatem esse in absolutione a censuris patet ex animadversione paulo ante facta:—absolutio enim a censuris pendet ab institutione humana, juxta quam absenti, sicut etiam invito, conferri potest; absolutio vero sacramentalis, unice pendens ab institutione divina, sicut invito conferri non potest, ita nec absenti.

Exempla, in historiis ecclesiasticis commemorata, absolutionum quæ ad pœnitentes absentes missæ fuerunt, non spectant sacramentalem absolutionem, sed ceremonialem, qua pœnitentes a censuris ac pœnis debitis absolvebantur.—Factum S. Thomæ Cantuariensis qui Romam pro absolutione impetranda misit (Cf. Baronium ad an. 1164.), quin difficultatem nobis injiciat, novum veritatis, quam propugnamus, suppeditat argumentum.—Etenim S. Thomas Cantuariensis non petiit, nec obtinuit ab Alexandro III. absolutionem sacramentalem, sed tantum canonicam; timebat enim ne censuram aliquam incurrisset propter ostensam condescentionem quamdam erga Henricum II. Angliæ regem, qui libertati Ecclesiæ infensus erat:—et a Summo Pontifice audivit (apud Baronium l. c. n. 6.): "Si igitur aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, sacerdoti, qui discretus et providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri. Quo facto et misericors Dominus qui multo amplius ad cor respicit quam ad actus, tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet."

SCHOLION. *De forma sacramentalis absolutionis deprecativa.*—Ex opusculo S. Thomæ "*de forma absolutionis, ad Magistrum Generalem sui Ordinis*" (op. 18. in ed. Parmensi, 22. in ed. Rom.) scimus "quemdam" illius ætatis asseruisse, ad sacramentum pœnitentiæ conficiendum, formam hanc indicativam "ego te absolvo" non esse adhibendam, sed potius formam absolutionis deprecativam. Hanc assertionem S. Thomas dixit "valde temerariam," et opusculo mox citato refutavit, statuens atque demonstrans formam in sacramento pœnitentiæ esse, ex institutione Christi, indicativam.

At sæculo XVII. Joannes Morinus, presbyter Oratorii, lib. 8. de Pœnit. c. 8., antiquatam anonymi sæculi XIII. opinionem, et oblivioni penitus traditam, tantisper emollivit, et sic innovatam proposuit ac vindicavit.—Etenim formam absolutionis contendit ex institutione quidem Christi actum esse judicialem, sed eam perinde exprimi posse verbis sive deprecatoriis, sive indicativis et absolutis, Christum vero modum hunc non determinasse, sed reliquisse Ecclesiæ determinandum. Insuper idem Morinus asseruit et vindicare conatus est formam deprecativam usque ad undecimum sæculum in Ecclesia solam viguisse; ineunte sæculo duodecimo formæ antiquæ deprecatoriæ additam fuisse formam indicativam; et hanc tandem sæculo decimotertio ita apud Latinos prævaluisse, ut sola in usu fuerit.

Morini sententiam secuti sunt Cardinalis Gotti, Juenin, Drouin, Witasse, Tournely, Duhamel, Sardagna, Perrone, et alii, inter quos novissime Pater H. Hurter S. J.; sed non omnes eodem pacto. Ex his pauci putant validam esse, nostra etiam ætate, absolutionem, sive *indicativis verbis*, juxta Conciliorum Florentini et Tridentini, nec non Ritualis Romani præscriptum, conferatur, sive *deprecativis:*— ceteri autem, cum Tournely ac Cardinale Gotti, tenent formulam absolutionis verbis deprecatoriis conceptam nunc etiam valere quidem apud Græcos, sed non amplius validam esse apud Latinos.

Verum, circa medium sæculi XVII. Cardinalis de Lugo, hac de re scribens, testatus est (disp. 13. sect. 4. n. 92.) sententiam tunc communem Theologorum docuisse "formam non posse valere sub modo deprecativo." Huic sententiæ et nos subscribimus.

Attamen, priusquam momenta, quibus eam defendimus, proponamus, unum in antecessum declarare debemus, ut æquivocationes vitemus, et nonnullas difficultates præoccupemus.

Porro illud est verba precatoria, seu impetratoria usurpari posse, vel *formaliter*, vel tantum *materialiter.* Ut *formaliter* precatoria usurpantur verba, si non alium quam deprecandi sensum referunt; *materialiter* vero si, licet in sensu deprecandi proferri possint, modo tamen et intentione imperandi pronuntiantur. Quare si quis pro potestate accepta, et ad sententiam sacramentalis absolutionis proferendam verba ista dicat "Absolvatur Petrus," hæc æquipollentia videntur esse formæ communi, qua sacerdos Petrum absolvens, ait: "Absolvo te."

Audiatur hic P. de Lugo—"Si diceretur" inquit (loco citato num. 106.), " 'absolvaris a me,' vel 'per me,' vel 'absolvat te Deus per me' etc. videtur [forma absolutionis] omnino valida, quia satis significatur effectus, prout ab ipso absolvente procedit. Idem credo, si diceretur absolute: 'Absolvatur servus Christi,' sicut dici solet de illa forma baptismi, 'baptizetur servus Christi, quæ attribui solet communiter Græcis (sed immerito, quia Græci non dicunt, *baptizetur*, sed 'baptizatur servus Christi,' etc.) illa tamen, 'baptizetur,' et illa, 'absolvatur,' esset valida; quia ibi imperatur ipse effectus, et per consequens significatur sufficienter actio ministri, licet Navarr. de Pœnit. disp. 6. cap. in princip. n. 16. et 17., differentiam ponat, quoad hoc, inter baptismum, et pœnitentiam; sed immerito, et absque sufficienti fundamento."

"Illa vero," Cardinalis de Lugo prosequitur, "*absolvat te Deus,* esset mihi magis dubia etiam in sensu imperativo; quia per illa verba videtur sacerdos non velle ponere immediate effectum auctoritate sua, sed imperare Deo, ut ipse ponat, quod est valde diversum; explicarique potest exemplo supra posito. Si legatus Papæ, verbi gratia, habeat facultatem absolvendi ab excommunicatione reservata, poterit Papa aliquem excommunicatum vel per se ipsum immediate absolvere, vel remittere ad legatum, cui præcipiat ut eum absolvat; et quidem in hoc secundo casu Papa dicens, '*absolvat te meus legatus,*' vel imperans legato, '*absolve hunc,*' non censeretur absolvere, sicut nec e contra legatus dicens imperative, '*absolvat te Papa,*' non absolveret, quia non imperaret immediate effectum, prout a se, sed imperaret Papæ absolutionem. Sic sacerdos, habet quidem potestatem ad ponendum effectum immediate ex commissione Dei antecedenter facta; non vero habet potestatem imperandi Deo, ut ipse Deus absolvat; nam licet exsecutio sententiæ, et productio gratiæ, qua revera homo solvitur a peccatis, sequatur

post absolutionem sacerdotis, non tamen sequitur sententia nova absolutionis; esset enim frustra, cum prolata jam fuerit sententia a sacerdote nomine ipsius Dei. Unde frustra imperaret sacerdos Deo prolationem alterius sententiæ absolutionis supra eisdem peccatis."

Aliunde tamen," addit idem de Lugo, "videtur in aliquo sensu imperativo subsistere illam formam, quatenus sacerdos per illam non imperet novam prolationem sententiæ, sed exsecutionem ipsius; sicut si judex reum detentum in carcere absolvat, per hæc verba, '*Solvat te custos a vinculis,*' valida erit sententia: similiter ergo sacerdos valide videtur absolvere, dicendo: '*Solvat*, vel *absolvat te Deus a vinculis peccati,*' quibus teneris: hæc enim solutio vere mandatur exsecutioni a Deo per gratiam, quam producit in homine: esset autem illud imperium non proprium, cum homo non possit proprie imperare Deo, sed improprium, seu intimatio voluntatis facta ex potestate judiciaria, quam ipse homo accipit a Deo: esset ergo fortasse valida illa forma in hoc sensu: adhuc tamen videretur dubia, et ideo omnino vitanda."

His itaque ad rectam quæstionis intelligentiam præjactis, dicimus formam absolutionis *formaliter* deprecativam, in sacramento pœnitentiæ adhiberi non posse, nec potuisse:—et hoc probamus

1. *Ex sacramenti pœnitentiæ institutione.* Cum enim sacramentum hoc institutum sit ad modum judicii, forma a sacerdote, qui judex est, ad modum sententiæ, ut patet, proferri debet. At sententia non profertur, nec proferri potest a judice verbis deprecativis, sed verbis indicativis enuntiari debet. Ergo forma hujus sacramenti a sacerdote proferri nequit verbis deprecativis, sed dici debet verbis indicativis.

Major hujus argumenti apertissime constat ex hucusque dictis, et fere iisdem verbis invenitur a Concilio Tridentino tradita: ait enim Concilium, sess. 14. cap. 6.: "Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis; quo ab ipso, velut a judice, sententia pronuntiatur:"—et in eadem sessione, can. 9. definit: "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem . . . . anathema sit."

Minor vero tam clara est ut nulla indigeat probatione. Profecto sententiam ferre est actus habentis et exercentis auctoritatem, deprecari

autem est supplicantis actus;—nequit ergo idem actus, sub eadem ratione, esse simul judicialis et deprecatorius; et sententia verbis deprecatoriis ferri non potest.

2. *Ex verbis Christi.*—Etenim non dixit Christus, peccata pro quorum remissione oraveritis, remittentur; sed quæ vos remiseritis peccata, remissa erunt. Ergo ut verificetur promissio Christi, et valida forma, super debitam materiam prolata, sacramentum pœnitentiæ conficiatur, sacerdos non debet *orare ut peccata dimittantur;* sed *remittere* ipse sacerdos debet.

Ad rem S. Thomas (op. 18. de forma absolutionis, c. 1.): "In sacramento pœnitentiæ verba Scripturæ, quæ maxime sunt sectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis verbo indicativo utitur: non enim dicit, Quæcumque petieris esse solvenda, erunt soluta; sed 'Quæcumque solveris, erunt soluta.' Si ergo *illa tantum dicuntur soluta quæ habens claves solverit;* qui autem *petit* aliquid esse solvendum, *non solvit: miror qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*"

3. *Ex doctrina Conciliorum Florentini et Tridentini.*—Concilium namque Florentinum, in Decreto pro Armenis, statuit formam sacramenti pœnitentiæ esse "verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit, '*Ego te absolvo*' etc.;" et Tridentina Synodus, sess. 14. capit. 3. docuit: "Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo,* etc. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ."—Ergo verba formæ in hoc sacramento illa sunt "Ego te absolvo," et deprecatoria verba formam ejusdem sacramenti constituere nequeunt.

Vim argumenti hujus nonnulli Theologi ex parte adversa conantur eludere, asserendo Christum reliquisse Ecclesiæ suæ formam sacramenti pœnitentiæ determinandam; ac proinde, post has Conciliorum declarationes, verba deprecatoria non amplius validam sacramenti formam constituere, eam tamen constituisse antequam Ecclesia indicativam et absolutam formam adoptaret.—At incassum hanc responsionem proferunt, quæ ex multiplici capite refutatur. Et sane,

a) In Tractatu *de Sacramentis in Genere,* p. 2. a. 4., demonstravimus

Christum Dominum *omnium* novæ legis sacramentorum tum materiam tum formam in specie determinasse: ergo non fuit Ecclesiæ arbitrio relictum ut, in sacramento aliquo, unam præ alia formam eligeret, aut formam prius adhibitam mutaret in aliam, quæ non solum secundum materialem sonum verborum, sed secundum sensum esset diversa. Porro, ut constat, sensus formæ *formaliter* deprecativæ prorsus differt a sensu formæ indicativæ seu absolutæ.

Et huc faciunt verba Concilii Tridentini, quibus, sess. 21. c. 2. declarat: "Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret, vel mutaret *quæ suscipientium utilitati, seu pro ipsorum sacramentorum veneratione*, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret." —Mutatio autem, ut primo intuitu manifestum est, quæ in forma sacramenti pœnitentiæ, juxta adversariorum sententiam, facta fuisset adoptando formam indicativam loco formæ deprecativæ, non spectasset *ritum aliquem accidentalem in sacramenti dispensatione*, ad quem auctoritas Ecclesiæ se extendit, ut ait Tridentinum; sed attigisset *ipsam substantiam sacramenti, mutando sensum formæ sacramentalis*; circa quam substantiam nihil posse Ecclesiam idem Concilium Tridentinum aperte declarat.

b) Etiamsi admitti posset sententia quæ statuit Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi *in specie* formam quorumdam sacramentorum; illa tamen sententia formæ sacramenti pœnitentiæ applicari non posset.

Etenim, forma sacramenti, quæ ex ejusdem sacramenti institutione aperte colligitur, una procul dubio, et, quoad sensum, invariabilis est, nec ullatenus dici potest relicta Ecclesiæ determinationi, ut patet in forma baptismi et Eucharistiæ.—Sed hæc forma indicativa et absoluta "absolvo te," ex verbis promissionis "*Quæcumque solveritis*" et ex verbis institutionis sacramenti pœnitentiæ "*Quorum remiseritis*" etc. aperte colligitur, non minus ac forma baptismi "Baptizo te" ex verbis "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos" etc.—Ergo sicut forma baptismi una est et invariabilis, nec relicta Ecclesiæ determinationi; ita forma sacramenti pœnitentiæ, quæ his verbis exprimi debet "Ego te absolvo."

c) Concilium Tridentinum, loco superius citato, docet non pro hac

recentiori ætate, non pro Ecclesia Latina tantum, sed *universaliter* et *absolute* formam sacramenti pœnitentiæ "*in illis ministri verbis positam esse:* 'Ego te absolvo,' etc."—Ergo hæc sola et ubique in Ecclesia forma fuit, invariata quoad sensum.

d) Idem Concilium Tridentinum declarat formæ indicativæ et absolutæ "*de Ecclesiæ sanctæ more* preces quasdam *laudabiliter* adjungi; *ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectare.*"—An declaratio hæc Concilii vera esset, si precatio sacerdotis, ut contendunt adversarii, aliquando pro tota Ecclesia essentialem sacramenti formam constituisset, et etiam nunc apud Græcos illam constituat?

e) Si non ex Christi determinatione, sed auctoritate a Christo concessa, Ecclesia ipsa determinavit, recentiori ætate, formam indicativam esse adhibendam; quandonam illud præscripsit?—Non in Concilio Tridentino; quia indicativa forma ante illud adhibenda erat, ut fatentur adversarii, et ex Conc. Flor. patet. Non in hoc ipso Concilio Florentino, nam antea mutationem fuisse factam adversarii nostri ultro concedunt, cum asserant eam evenisse "*adulto sæc. XIII.*," quando indicativam formam agnoscunt solam fuisse in usu.—In quo ergo Concilio? quo Summi Pontificis Decreto? Qua ratione? Qua occasione?—Si his et similibus quæstionibus respondere nequeunt adversarii, nolint mutationem tam gravem in Ecclesia factam fuisse asserere; et nobiscum sentiant unam semper et eamdem, quoad sensum, formam in sacramento pœnitentiæ adhibuisse Ecclesiam, quam sacramentorum auctor et institutor Christus præscripsit. Sed et hæc conclusio positive probatur

4. *Ex auctoritate S. Thomæ.*—Etenim in opusculo 18. jam citato, S. Doctor, refutat "*assertionem cujusdam valde temerariam,* dicentis, quod sacerdos absolvendo uti non debet hac forma "Ego te absolvo;" pronuntiat hoc "præsumptuosum, quia *repugnat evangelicis dictis;*" et concludit "non ergo sub incerto modo deprecativæ orationis significanda est in hoc sacramento remissio peccatorum, sed sub certitudine per indicativam orationem. Non ergo est forma in sacramento pœnitentiæ, 'absolutionem et remissionem tribuat tibi Omnipotens Deus,' sed 'Ego te absolvo.' "—An hæc dixisset Doctor Angelicus,—qui in prima sæculi decimitertii parte vixerat,—si *juxta perpetuam Ecclesiæ traditionem,* cujus fuerat scrutator eximius, non intellexisset formam sacramenti pœniten-

tiæ absolutam præscriptam esse in verbis Christi; et hanc formam fideliter in Ecclesia servatam fuisse, nulla prorsus, quoad sensum, facta immutatione? An ausus fuisset temerarium appellare eum qui formam deprecativam putaverat validam, si *hæc ipsa forma deprecativa*, usque ad ætatem in qua ipse vixerat, adhibita fuisset in Ecclesia; immo, ut adversarii contendunt, *exclusive* per undecim sæcula fuisset *adhibita?*

Sed amplius recolamus quædam quæ auctor ille sæculi XIII. incertus ad defendendam sententiam suam attulerat, et ea quæ responderat S. Thomas. Ex his sententia, quam vindicamus, confirmatur, et nonnullæ adversariorum nostrorum objectiones plene solvuntur.

"Sicut autem [ille] temerarius est," inquit S. Th. (op. cit. c. 2.), "in asserendo, ita vaniloquus in probando, dum frivola quædam pro rationibus inducit."

"Primo enim inducit quamdam postillam super Summam Raimundi, quæ dicit, quod 'in talibus,' scilicet ab excommunicatione, 'licet verba exigantur, non tamen præscripta est forma verborum, sicut in sacramento baptismi et Eucharistiæ.' Ubi primo derisorium est in tanta re postillam Summæ pro auctoritate adducere. Deinde, ut postillatori non fiat injuria, dicamus, quod alia ratio est de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis judiciaria, jurisdictionem consequens; et alia de absolutione a peccatis in sacramento pœnitentiæ, quæ consequitur potestatem clavium, et est sacramentalis. In illa enim verba habent efficaciam ab intentione dicentis, unde non refert quibuscumque verbis utatur ad exprimendam suam intentionem; in sacramentis autem verba habent efficaciam ex institutione divina, unde tenenda sunt verba determinata consonantia divinæ institutioni. Institutioni autem dicentis: 'Quodcumque solveris' etc. ista verba conveniunt, 'Ego te absolvo;' sicut institutioni dicentis, 'Euntes docete omnes gentes, baptizantes' etc. conveniunt ista verba' 'Ego te baptizo,' etc. Sicut ergo ista tenenda sunt in baptismo, 'Ego te baptizo;" ita in pœnitentia, 'Ego te absolvo.' "

"Secundo autem ponit, quod Magister qui Sententias compilavit, non posuit hanc formam, nec aliquem Sanctorum legimus hac forma usum fuisse. Contra quod dicendum est, quod nec Magister formam posuit, nec legitur de alia forma qua aliquis Sanctorum sit usus, nec etiam legitur quod aliquis istam formam negaverit; legitur autem quod ipse

institutor sacramenti dixit, 'Quodcumque solveris,' quod est magis omni auctoritate."

"Tertio ad hoc inducit, quod in quibusdam absolutionibus quas Ecclesia facit in Prima et in Completorio, ante Missam, et post prædicationem, secundum morem Romanæ Ecclesiæ, et in die Cinerum, et Cœnæ Domini, non fit absolutio per orationem indicativam sed deprecativam. In quo miror eum non advertere, quod hujusmodi absolutiones non sunt sacramentales, sed sunt quædam orationes quibus dicuntur venialia peccata dimitti, sicut per orationem dominicam, qua dicitur, 'Dimitte nobis debita nostra.' "

"Quarto autem inducit sic sensisse quosdam antiquos et famosos Magistros, scilicet Magistrum Gulielmum de Altissiodoro, et Magistrum Gulielmum quondam Episcopum Parisiensem, et Dominum Hugonem quondam Cardinalem: de quibus quod ita senserint, non constat. Sed etsi ita senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro: 'Quodcumque solveris etc.?' Numquid etiam si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis, 'Ego te absolvo,' absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?"

Demum in capit. 3., aliam objectionem proponit, a defensoribus sententiæ nobis adversæ postea repetitam, eamque solvit, inquiens: "Objicit . . . . . quod Dominus dedit potestatem discipulis sanandi omnes infirmitates corporales et spirituales. Sed in sanatione corporalium infirmitatum non dicebant, Ego sano te, sed sanet te Dominus Jesus. Ergo nec in sanatione spirituali debet dicere sacerdos, 'Ego te absolvo.' Non advertit autem qui hoc objicit, quod potestas sanandi infirmitates erat gratia specialiter homini data, non ad sanandum, sed ad sanitatem impetrandam. Potestas autem clavium non computatur inter gratis datas, sed est virtus sacramentalis, quæ principaliter residet in Christo, instrumentaliter autem seu ministerialiter in sacerdotibus claves habentibus. Unde verbum dicentis, Sanet te Dominus, non sanabat, sed sanationem impetrabat. Verba autem sacramentalia efficiunt quod figurant, ut supra dictum est."

Et in cap. 5. hanc aliam objectionem refert: "Addit . . . objiciendo, quod vix trigiuta anni sunt quod omnes hac sola forma utebantur,

'Absolutionem et remissionem,' etc."—At objectioni huic ita respondet S. Doctor, ut aperte ostendat nullam omnino auctoritatem adesse in gratuita auctoris, quem refutat, assertione.—"Quomodo," quasi subridendo interrogat S. Thomas, "quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?"—"Sed hoc certum est," prosequitur, "quod jam sunt mille ducenti anni et amplius, quod dictum est Petro: 'Quodcumque solveris' etc. Quare autem non dicatur in forma, 'Ego tibi remitto' sicut 'Ego te absolvo,' jam supra dictum est."

Superest ut momenta cetera, quibus sententia nobis adversa confirmatur, perpendantur. Illa fideliter referam et pro singulis addam responsiones.

1. S. Ambrosius (l. 3. de Spiritu Sancto, c. 18.) inquit: "Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris et Filii et Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt. Isti *rogant*, divinitas donat."—Ergo, concludunt adversarii nostri, sacramenti pœnitentiæ forma, S. Ambrosii ætate, deprecatoria erat, non indicativa; quia forma, qua minister rogat, deprecatoria est, non absoluta.

Resp. *N. Conseq.*—Verba namque illa "*isti rogant*" non significant formam, ad remissionem peccatorum conferendam pœnitenti in sacramento pœnitentiæ, fuisse *precationem formalem;* sed solum statuunt sacramenti hujus ministros, *dum formam remittendi efferunt,* utique *indicativam, virtualiter et æquivalenter rogare Deum.*—Etenim sacerdos dicens: "Absolvo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," æquivalenter et virtualiter orat, quia sciens effectum sacramenti præcipue a Deo solo pendere, seque tantum ut ministrum et instrumentum Christi nomine agere, preces Ecclesiæ præmittit, et cum affectu deprecantis subjicit verba indicativa, sententiam absolutionis pronuntiando; quibus verbis sacramentum perficitur et Deus infallibiliter movetur ad conferendam, vi signi sacramentalis, pœnitenti gratiam.

Hanc esse mentem S. Ambrosii in verbis objectis constat:—

a) Ex ipsis verbis, quibus aperte affirmat sacerdotes *dimittere* peccata; ille enim qui *formaliter orat* ut dimittantur a Deo peccata, ea *non dimittit.*

b) Ex iis quæ protinus addit: "Per baptismum quoque peccata donari non est ambiguum. In baptismo autem operatio Patris et Filii et

Spiritus Sancti est."—Porro S. Ambrosium, sicut ceteros omnes Latinos Patres, formam baptismi indicativam tamquam unice validam in baptismi administratione docuisse indubium est.

c) Ex manifesto testimonio S. Augustini, qui variis locis, ac præsertim lib. 5. de Baptismo, capit. 20., declarat quo sensu ipse aliique Patres dicant ministrum sacramentorum, dum formam pronuntiat ac sacramentum perficit, Deum orare.

"Quomodo exaudit," inquit, "homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent etiam per homicidas."—Hic S. Augustinus dicit Eucharistiam confici a *sacerdote deprecante;* et nihilominus, indicativa est, et semper necessario fuit, forma Eucharistiæ, quæ nonnisi verbis a Christo prolatis consecrari potest:—ergo nihil aliud illa locutione significat quam quod Deus sacerdotem, super panem et vinum verba proferentem, exaudiat, et *ad ejus verba indicativa* convertat elementa in corpus et sanguinem Christi.—Eumdem itaque sensum, nempe efficaciam verborum sacramentalium quæ movent Deum ad gratiam conferendam, S. Augustinus, S. Ambrosius et alii Patres significant cum de deprecatione ministrorum loquuntur in sacramentis baptismi, confirmationis, et pœnitentiæ.

Hac explicatione facillime intelliguntur etiam textus quos objiciunt nobis adversarii ex Breviario in Psalmos (in app. ad opera S. Hieronymi, Migne P. L. t. 26. p. 956.) et ex S. Leone M.: eamdem enim ac testimonia mox citata S. Ambrosii et S. Augustini habent significationem.—Auctor illius commentarii in Psalmos, in Ps. XXVIII. ad verba "Vox Domini intercidentis flammam ignis," scribit: "Quotidie in unoquoque nostrum flammam libidinis per confessionem et gratiam Spiritus Sancti intercidit, id est, per orationem sacerdotis facit cessare;"—et S. Leo M. (Ep. 108. al. 83. c. 3.): "Necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur."—Oratio et supplicatio sacerdotis, dum ad sacramentum pœnitentiæ conficiendum formam profert, non est *formalis*, sed *æquivalens et virtualis*, sensu superius declarato.

2. S. Augustinus, Serm. 99. al. Hom. 23. inter 50. (num. 8.) in illa Christi verba "Fides tua te salvam fecit," quæ referuntur in Evangelio Lucæ c. 7., ait: "Medicus bonus ægros non solum præsentes sanabat,

sed et futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo. . . . Respondeat illi [hæretico] non ego, sed Christus: o homo, quando ego a Judæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, respondet tibi Christus. O hæretice, tu cum sis homo, dicis: Veni, mulier: ego te salvam facio! Ego cum putarer homo, dixi: 'vade, mulier; fides tua salvam te fecit.' "—Deinde S. Aug. argumentum refert quibus Donatistæ innitebantur, eique reponit, inquiens (n. 9.): "Respondent, et dicunt, Si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo quod ait Christus, 'Quæ solveris in terra, soluta erunt et in cœlo' (Mat. XVIII. 18.). Nescis quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum, et ab ipso Spiritu Sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata."

Porro, ait Morinus, non potuisset S. Augustinus ita adversus hæreticos argumentari, si ipse et sacerdotes alii Catholici tunc temporis indicativa forma usi fuissent.—Ergo tunc temporis forma hæc indicativa a Catholicis in sacramento pœnitentiæ non adhibebatur.

Resp. *Neg. Min.*—Etenim S. Augustinus non *indicativam formam* absolutionis *reprobat*, sed *abusum hujus formæ*;—quo abusu Donatistæ, superbia elati, peccatorum remissionem suæ sanctitati, suisque meritis adscribebant. Id ex ipso orationis contextu evidenter apparet.

Nam *a*) ut illos hæreticos superbissimos revinceret S. Aug. (ibid.) ait: "Melior Pharisæus, quia cum putaret hominem Christum, non credebat ab homine posse dimitti peccata. Melior ergo Judæis quam hæreticis apparuit intellectus. Judæi quid dixerunt? 'Quis est hic, qui et peccata dimittit?' Audet sibi homo hoc usurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeat illi, non ego, sed Christus."

b) Deinde, verbis in objectione citatis, dum argumentum refutat Donatistarum, ostendit peccata "*meritis hominum*" non dimitti:—et prosequitur: "Ut evidentius ostenderet Dominus, ab Spiritu Sancto quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens a mortuis, 'Accipite Spiritum Sanctum;' et cum dixisset, 'Accipite Spiritum Sanctum,' continuo subjecit, 'Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei' (Joan. xx. 22. 23.): hoc est, Spiri-

tus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit non vos. . . . Deus ergo habitat in templo sancto suo, hoc est in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua : *per eos dimittit peccata.*"

c) Tertio, ad pleniorem hæreticorum confutationem, probat (n. 10.) Spiritum Sanctum, in sacramento confirmationis "*per impositionem manuum* hominum *dari*," sed non esse "donum hominum." Unde ait: "Nuntiatum est discipulis, qui erant Jerosolymis, et venerunt ad Samariam, ut illi qui baptizati erant, per impositionem manus eorum acciperent Spiritum Sanctum. Et ita factum est: venerunt et imposuerunt eis manus, et acceperunt Spiritum Sanctum. Quia tunc sic dabatur Spiritus Sanctus, ut etiam appareret datus. . . . . . Quod cum vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse et suum. Quod hominum putavit, ab hominibus emere voluit. 'Quantam,' inquit, 'vultis a me pecuniam sumere, ut per impositionem manuum mearum detur Spiritus Sanctus?' Tunc eum detestatus Petrus ait: 'Non est tibi pars neque sors in hac fide. Donum enim Dei putasti pecunia comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem:' et cetera quæ tibi congruenter locutus est (Act. VIII. 5–23.). Quare hoc ego commemorare volui, intendat caritas vestra. Oportebat ut Deus *prius ostenderet se per homines operari: sed per se deinde, ne putarent homines, quod putavit Simon, hominum illud esse, non Dei.*"

d) Demum S. Augustinus ibidem (nn. 11. 13.), arrogantiam Donatistarum, qui jactitabant se homines in baptismo mundare, retundit, ostendendo Deum esse, qui *per homines*, sive bonos, sive malos, in baptismo mundat.—Constat autem homines, *forma sacramenti indicativa* tunc temporis, sicut ab initio et semper in Ecclesia Christi, baptizatos fuisse.

Quapropter ex S. Aug. argumentatione adversus Donatistas deduci nequit, ut contendunt adversarii, formam absolutionis indicativam pro sacramento pœnitentiæ a S. Doctore reprobatam fuisse, et non fuisse illa ætate adhibitam a Catholicis.

Verum,—et hoc adversarii nostri animadvertant—loca S. Augustini ab eis, ut sententiam nostram impugnarent, citata, adversus eos retorquere merito possumus, atque ex illis Sancti Doctoris testimoniis, pro nobis aliud, ad rem nostram conficiendam, argumentum sumere. —Etenim verba Sancti Augustini manifeste declarant occasionem errandi invenisse Donatistas hæreticos *in formis sacramentorum baptis-*

mi et pœnitentiæ indicativis: — ergo, recte concludimus, sacramenta baptismi et pœnitentiæ tunc temporis *formis indicativis* administrabantur.

3. Gulielmus Paris. Episc., c. 19. de Pœnit. (opp. t. 1, p. 409. C.): "Neque more judicum forinsecorum," inquit, "pronuntiat confessor, 'absolvimus te, non condemnamus,' sed magis orationem facit super eum, ut 'Deus absolutionem et remissionem atque gratiam satisfactionis tribuat.'" Ergo.

Resp.—S. Thomas, opusculo superius citato, alludens ad auctoritatem Gulielmi, jam dixit, sibi non constare quid auctor ille senserit, et si diversam opinionem habuerit, non esse sequendum. Videtur tamen Gulielmum solum indicasse, confessorem abhorrere a modo quo judices sæculares ferunt sententiam, numero plurali dicendo, *absolvimus te,* neque etiam condemnare reos; sed modeste dicere, numero singulari *absolvo te,* neque id sine præmissis ad Deum precibus.

Hanc fuisse Gulielmi mentem intelligitur ex Alexan. Halensi, qui fuit æqualis et familiaris Gulielmi, et p. 4. q. 21. mem. 1., ait, precibus pro pœnitente præmissis sacerdotes subjungere *formam indicativam,* qua sententiam pronuntiant. Hinc postea Franc. Mayro in 4. d. 14. q. 1. cum retulisset, in diœcesibus Provinciæ aliquos ita absolvisse: "absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus;" ad 8. respondet, "improbatam fuisse istam formam, quia sacramentalia sunt stricti juris et ideo immutari non debent."

Testimonia ergo Gulielmi et Mayronis adversariis nostris minime juvant;—immo ex Mayrone antiquitus servatam fuisse formam indicativam jure deducimus.

Et hic præstat, ad eamdem veritatem confirmandam, testimonium adducere S. Bonaventuræ, qui sicut Halensis et Gulielmus Parisiensis, sæculo XIII. vixit, et ipso anno 1274, quo Sanctus Thomas Aquinas mortuus est, obiit.—In lib. 4. sent. (disp. 18. p. 1. art. 2. q. 1.) inquit: "*In forma absolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, et subjungitur absolutio per modum judicativum.*"—Et in quæst. 2. ejusdem distinctionis, quærens "an sacerdos possit aliquid in pœnam," fundamentum 2. Conclusionis ita proponit: "Nihil est in peccatore remittendum, nisi vel offensa, vel pœna: sed offensam remittit Deus, non sacerdos: ergo si pœnam solus Deus remittit, videtur ergo quod sacerdos a nullo

absolvit; falsum ergo dicit sacerdos, dicens: '*Ego te absolvo.*' "—In Conclusione vero ait: "Sacerdos in absolvendo non dicit: '*Absolvo te a confessione,*' sed '*a peccatis;*' et refutans sententiam, quæ tenebat "sacerdotem in sacramento non solvere aliquam partem pœnæ relaxando, sed solum commutando, et hoc sub conditione si [pœnitens] explet satisfactionem injunctam," inquit: "Si non facit nisi commutare, et ligat ad condignam [pœnam]; ergo nullum fructum reportat inde pœnitens, et pro nihilo dicitur: '*Ego te absolvo ab omnibus peccatis.*' "

Quin etiam aliud testimonium promam, duobus fere sæculis ante illud S. Bonaventuræ nobis relictum. Invenitur enim in Hom. 64. Rudulphi Ardensis "in litania majori" (Migne P. L. t. 155. p. 1900.); et sic se habet:—"Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, et nominatim, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi, sicut et lepræ judicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio vero venialium alterutrum et cuilibet, etiam minori, potest fieri, quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi ultra modum per incuriam excedat, sicut nec per scabiem vel per impetiginem, aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit a peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris orationem, mundamur a peccatis. Unde et non dicimus: '*Ego dimitto tibi peccata tua,*' sed dicimus orando: '*Misereatur tui omnipotens Deus,*' etc."—In confessione ergo mortalium, quæ fieri debebat sacerdoti, hic, juxta testimonium Rudulphi, dicebat, ad absolutionem sacramentalem impertiendam: "*Ego dimitto tibi peccata tua;*" ac proinde indicativam formam tunc adhibebat.

4. Libri pœnitentiales, Sacramentalia et Pontificalia scripta in Ecclesia Occidentali, ante annum millesimum, deprecativam formam solummodo exhibent.—Ergo.

Resp. *Neg. conseq.*—Etenim *a*) In illis formulis deprecatoriis, ut videtur, de reconciliatione pœnitentium agitur, non *sacramentali,* sed *canonica,* qualis fieri consuevit feria 5. majoris hebdomadæ: complures enim hunc ipsum titulum, "De Reconciliatione Pœnitentium fer. 5. majoris hebd." præ se ferunt, ut apparet ex ipsis *Ordinibus* editis a Martenio.—Deinde cum hi libri describant ritum valde prolixum, psalmis, pluribusque orationibus constantem; et quod caput est, deprecationes illas frequentissime repetant, *ritum* potius sonant, quam *for-*

mam sacramentalem, quæ brevis esse solet, definita, et repeti nequaquam debet. Quam conclusionem, ut hic adnotat Berti (*de Theologicis disciplinis*, lib. 34. p. alt. cap. 7.), Pontificale Romanum, Clem. VIII. auctoritate recognitum, confirmat, quod, part. 3. tit. 3., hujusmodi *Reconciliationis* exhibet ritum deprecatoriis tantum verbis conflatum; cum tamen ambigere nemo queat ætate illius Pontificis in absolutione sacramentali solam *formam indicativam* fuisse adhibitam.

b) Si vetustissima documenta liturgica, in quibus *Ordo ad dandam pœnitentiam* invenitur, dicantur spectare non modo canonicam et ceremonialem reconciliationem, sed etiam *sacramentalem;* respondemus,—*preces prolixas, in eis relatas, formam sacramenti non constituere,* sed illas esse quæ a sacerdote recitari debebant *cum forma sacramentali indicativa* brevissima et facillima, circa quam nullum periculum poterat esse oblivionis aut erroris; quæque proinde, in libris illis ritualibus antiquissimis, precibus a sacerdote recitandis communiter non adjungebatur. — Ceterum absolutio ipsa indicativa in antiquissimis codicibus omnino non deest; et ad exemplum sit hæc quæ legitur in codice Ratoldi: "Absolvimus vos, vice beati Petri Apostolorum principis, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit, et quantum ad vos pertinet accusatio, et ad nos remissio."—V. H. Menardum, in S. Gregorii M. lib. sacrament., not. 677.

5. In Ecclesia Græca semper adhibita fuit pro absolutione pœnitentium forma deprecativa, ut Euchologia Græcorum aperte ostendunt. Ergo.

Resp. *Neg. Ass.*— Etenim *a*) orationes in Euchologiis Græcorum contentæ, quas invocant adversarii nostri, ceremoniales sunt et pro canonica reconciliatione adhibitæ:—quamvis in illis etiam orationibus, quæ in Euchologio Goarii referuntur, pag. 673. et sequent., sacerdos græcus cum loquatur de absolutione pœnitentis quæ fiat "verbo" et commemoret potestatem a Christo collatam, inquiens, "Tu enim dixisti, Domine, 'quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlis;'" satis significet se verba ita proferre ut hunc indicativum sensum habeant: absolve, Domine, principaliter quem, potestate mihi a te concessa, ego absolvo ministerialiter. Vide P. Goarii notam in Euchol. p. 676.—In

Sermone autem *de Pœnitentia* Joannis Jejunatoris Archiepiscopi Constantinopolitani, sæc. VI. (Migne t. 88. p. 1926.), legitur Oratio sequens, quæ responsionem nostram aperte confirmat: "Here Domine Deus noster, qui portis clausis, discipulis tuis adfuisti, donansque illis pacem dixisti: '*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt,*' ipse, Here Domine, secundum invisibilem et omnipotentem curam qua omnia administras, inspice super servum tuum hunc, et corporis ipsius maculas, sordesque animæ propter quas in peccata incidit, *per os meum, quamvis peccator sim, dissolve;* et qui per canonem ligatus est, solutus sit a canone et a peccato quo constringitur, per gratiam et misericordiam tuam."

b) Præterea, addit P. Goarius (ibid.):—"Ut prædicta sese habeant, ipsos etiam Græcos in absolvendis pœnitentibus uti forma aliqua absoluta et indicativa ex ipsis Christi verbis: '*Quæcumque solveritis*' etc., velut proprio et paterno semine enata, compertum habeo. Sum etenim ego ipse expertus quosdam, videlicet sacerdotes Latinos, timenda potius et scrupulis mota conscientia, quam sincero et tuto scientiæ lumine ductos, pœnitentes ad se ex Ecclesia Græca pro Exomologesi more Christiano accedentes in magnas conjecisse angustias, dum peccata Græcis sacerdotibus patefacta, quasi his solis orationibus, de quibus supra, minus remissa, iterum pro venia impetranda sibi detegi, et clavibus subdi præciperent; unde gravia jam parata erant enasci scandala, quasi nullum foret apud Græcos pœnitentiæ sacramentum, et incondonata remanerent peccata: nisi aliorum, qui de Græcorum ritibus et traditionibus optime erant instituti, monitis et industria, sopita penitus fuissent et extincta: cum publice assertum est Græcos in universum absolutionis formam Latinæ consentientem, nec respuere, nec omittere. Sicut ergo Latini quarto ab hinc sæculo in antiquioribus ritualibus indicativam sacramenti pœnitentiæ formam, his verbis, '*absolvo te a peccatis tuis,*' conceptam nequeunt ostendere, quæ tamen successiva traditionis serie ab antiquis PP. accepisse profitentur: parem eadem ratione, scriptis nullibi commendatam, per manus tamen a pristinis sæculis ad hæc usque tempora deductam πνευματικοὶ *Confessores,* ejusdem sacramenti formam habere potuerunt, qua, nimirum occasione a pœnitentis verbis accepta, communiter uti consueverunt. Forma autem est hujusmodi, ἔχω σε συγκεχωρημένον: '*Habeo te condonatum.*'"

Et inferius P. Goarius adnotat: "Gaudent Græci passivis potius quam activis locutionibus sacramentorum vim exponere, ne minister eorum auctoritatis quidquam circa illa sibi irroget; cumque in illis verbis ἔχω σε excellentiæ nonnihil sonet, illis episcopus veretur uti, et quo dignitate superior est, humilius de se in conferendo sacramento sentit; et ait ἡ ταπεινότης μου ἔχει σε συγκεχωρημένον, Humilitas mea habet te condonatum: Archiepiscopo aut Patriarchæ sufficit dicere, ἡ μετριότης μου ἔχει σε συγκεχωρημένον, Mediocritas mea habet te condonatum."

Idem docet Arcudius (de Conc. utriusque Eccl. lib. 4. c. 3.), qui et testatur a duobus Antiochenis Patriarchis hanc formam accepisse: *Mediocritas nostra habet venia donatum spiritualem filium suum*:—et hanc aliam formam in Rituali Metropolitæ Chioviensis legisse scriptam: "*Ego quoque pater tuus spiritualis potestate mihi a Deo, et a superioribus meis concessa, te absolvo ab omnibus peccatis tuis.*"

6. In Instructione Clementis Papæ VIII. an. 1595., de Græcorum Ritibus, hæc habentur: "Utantur forma absolutionis in generali Concilio præscripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt."—Ergo.

Resp. *N. Conseq.*—Ideo namque Græcis illis, pro quibus edita fuit Instructio, Summus Pontifex mandavit ut formam indicativam, a Concilio Florentino præscriptam, necessario adhiberent in sacramenti pœnitentiæ administratione, et postea, si vellent, dicerent etiam formam deprecativam, qua utebantur; quia hanc formam omnino invalidam reputavit.—Quis enim suspicari posset Summum Pontificem voluisse indubiam formam bis super eamdem materiam in eodem judicio sacramentali pronuntiari?—verum et hoc affirmari deberet, si admitteretur Clementem VIII. formam illam quorumdam Græcorum deprecativam habuisse validam.

Attamen ex eo quod *Græci, quos Pontifex instruebat*, sola utebantur forma deprecativa, non sequitur: ergo *omnes græci sacerdotes* idem faciebant:—sicuti non consequitur, Græcorum aliqui arbitrabantur Eucharistiam precibus consecrari; igitur hæc est, semperque omnium Græcorum sententia fuit.

APPENDIX

DE INDULGENTIIS

In superiori Tractatu demonstravimus culpam ac pœnam æternam per pœnitentiæ sacramentum nobis remitti, sed non semper totam pœnam temporalem peccatis nostris debitam condonari; et ideo a sacramenti pœnitentiæ ministris salutares satisfactiones pœnitentibus esse imponendas. At Christus Dominus, qui ad has satisfactiones injungendas potestatem Ecclesiæ tradidit, eidem misericorditer concessit ut satisfactoriam pœnam in totum, vel in partem remittere possit. Hæc remissio, quæ communius à Patribus antiquioribus vocatur *relaxatio, donatio,* aut *condonatio,* in Ecclesia, præsertim recentiori ætate, *Indulgentia* dicitur:—Tractatui ergo *de Pœnitentia,* ad quem refertur, brevem appendicem subnectimus *de Indulgentiis.*

Itaque, *Indulgentia,* prout hic sumitur, *est remissio pœnæ temporalis pro peccatis personalibus, quoad culpam et pœnam æternam remissis, adhuc debitæ, facta extra sacramentum, per applicationem thesauri Ecclesiæ, a superiore legitimo.*

Dicitur 1.—*remissio,* ut hac voce complectamur duplicem modum quo Indulgentiæ conceduntur, scilicet, pro vivis per actum jurisdictionis et per modum suffragii pro defunctis.

2.—*pœnæ temporalis,* quia culpa cum reatu pœnæ æternæ non per Indulgentiam, sed per sacramentum in re aut in voto remittitur.

3.—*pro peccatis personalibus,* quia præsentis vitæ mala, quæ effectus et pœnæ sunt peccati originalis, per Indulgentias auferri non possunt, nec cessabunt donec mortale hoc induerit immortalitatem.

4.—*quoad culpam remissis,* quia non remittitur pœna, nisi culpa remissa fuerit. Hinc in eo qui lucrari vult Indulgentiam requiritur status gratiæ, saltem cum ultimum opus ad illam Indulgentiam acquirendam præscriptum implet.

5.—*extra sacramentum facta,* ut Indulgentia a remissione pœnæ quæ fit virtute sacramenti pœnitentiæ distinguatur; simulque innuatur

non omnem pœnam temporalem ordinarie remitti, etiam post impletam satisfactionem sacramentalem a sacerdote impositam.

6.—*per applicationem thesauri Ecclesiæ*, ut vindicetur undenam Indulgentia efficacitatem suam repetat; et ut distinguatur a remissione pœnæ quæ fit sive per sacrificium Missæ, sive per alia media.

7.—*a legitimo superiore*, seu a Summo Pontifice et ab Episcopis prout inferius declarabitur.

Ex his patet :

a) Indulgentiam versari solummodo circa pœnam temporalem peccatis nostris debitam, extra sacramentum remittendam, suppositis debitis dispositionibus in subjecto, et auctoritate debita in conferente :

b) non esse tantum canonicæ pœnitentiæ relaxationem in foro externo, sed esse in foro interno et coram Deo validam remissionem illius satisfactionis quam, sive in hac vita, sive in altera, divinæ justitiæ ob patratas culpas tenemur persolvere :

c) Indulgentiam non excludere, sed supponere satisfactiones nostras, quarum subsidium est ac supplementum.

Dividuntur Indulgentiæ

1. In *plenarias* et *partiales*, prout nempe tota pœna quæ luenda manet, aut ejusdem dumtaxat pars quædam remittitur. Partiales ad certum numerum dierum vel annorum restringuntur; quo tamen minime significatur tot dies, vel annos pœnæ in purgatorio luendæ remitti; sed potius tantum pœnæ debitæ condonari, quantum per pœnitentiam ejusdem temporis, secundum rigorem antiquorum canonum, peractam, remissum foret.

2. In *locales*, *reales*, et *personales*, prout certis locis, seu illorum locorum visitationi; aut certis rebus, seu pio earum rerum usui adnexæ sunt; aut immediate certis personis conceduntur.

3. In *temporales* et *perpetuas*, prout fideles determinato aliquo tempore, aut perpetuo illas lucrari possunt.

4. In *solemnes* et non *solemnes*, prout quibusdam solemnitatibus, aut sine illis conceduntur.

Ad Indulgentiam plenariam et solemnem revocari debet *Jubilæum*, quod a P. Viva (De Jubilæo, etc. Enchirid. quæst. 1. a. 1.) describitur ut *Indultum Pontificis, Indulgentiam plenariam et magna privilegia tribuens certa præstantibus opera in Brevi præscripta.*—Bonifacius VIII.

centesimo quovis anno Jubilæum celebrari voluit; Clemens vero VI. anno 1350. ad annum quinquagesimum tempus, quo Jubilæum recurreret, reduxit; et Urbanus VI. an. 1389., quovis recurrente anno trigesimo tertio, novum Jubilæum concedendum esse statuit. Hoc Decretum secutus est Martinus V. qui pro anno 1423. Jubilæum indixit: sed Nicolaus V. constitutionem Clementis VI. innovavit, et anno 1450. Jubilæum concessit. Tandem utramque Constitutionem Clementis VI. et Urbani VI. abrogavit Paulus II. per Bullam *Ineffabilis,* datam 13. Cal. Maii anno 1470., et pro Jubilæi celebratione ad viginti quinque annos tempus coarctavit. Hoc præscriptum a Sixto IV., anno 1473., confirmatum fuit; et adhuc nunc servatur.—Verum præter hæc Jubilæa ordinaria, Summi Pontifices sive pro felici regiminis sui auspicio, sive ex alia urgentissima causa, Jubilæa extraordinaria concesserunt.

Circa genuinam Indulgentiarum notionem, et potestatem Ecclesiæ factam ad illas concedendas, erraverunt primo Montanistæ ac Novatiani; qui cum negarent graviora saltem crimina post baptismum commissa per auctoritatem clavium Ecclesiæ posse remitti, consequenter asserebant pœnam etiam temporalem, eis debitam, Indulgentiis ex potestate Ecclesiæ laxari non posse.

Sæculo XII. Waldenses auctoritatem Summi Pontificis ad concedendas Indulgentias impugnaverunt:—eorumque errorem postea Wicleffitæ, et Hussitæ secuti sunt;—quos damnavit Concilium Constantiense.—Insuper Sæculo XV., inter alias Petri de Osma propositiones hæreticas, hanc, num. 6. positam, confixit Sixtus IV. an. 1479.: "Non potest Papa indulgere alicui viro pœnam purgatorii."

At præ omnibus his hæreticis, sæculo XVI., Martinus Lutherus se extulit, ut infensissimus hostis Indulgentiarum. Et initio quidem in castigandis abusibus Quæstorum eleemosynarum pro absolvenda fabrica Basilicæ Vaticanæ, totus esse videbatur; sed mox ad Indulgentias impugnandas digressus, palam asseruit eas plus detrimenti fidelibus quam utilitatis afferre, ignaviæ blandiri, bonorumque operum studium, ac salutis æternæ curam enervare: quin immo dixit fideles seduci credentes Indulgentias esse salutares, seu ad fructus spiritus utiles, easque nullatenus ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus apud divinam justitiam debitæ valere.—Hos errores Leo Papa X. damnavit, Bulla "Exurge Domine," data 16. Maii 1520.

Lutheri hæreticas aberrationes circa doctrinam Indulgentiarum Zwinglius, Calvinus, ceterique Novatores secuti sunt. Illorum omnium doctrinam anathemate Concilium Tridentinum proscripsit in sess. 25., Decreto, cujus hæc sunt verba: "Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant."

Deinde, inter 79. propositiones Baii, damnata fuit a S. Pio V., Bulla "Ex omnibus afflictionibus," die 1. Octob. an. 1567., sequens propositio 60.: "Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur."

Sæculo XVII., hæc Michaelis de Molinos sententia, ab Innocentio XI. Constitutione "Cœlestis Pastor," die 20. Nov. 1687., confixa fuit: "Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere."

Demum sub finem sæculi XVIII., doctrinas Pistoriensis Synodi de Indulgentiis pessimas, et perniciosissimas ejusdem insinuationes Pius VI., die 28. August. 1794., per Constitutionem "Auctorem Fidei," his verbis condemnavit:

"40. Propositio asserens, *Indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti;* quasi Indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam: falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata."

"41. Item in eo, quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et*

claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum; quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum: falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata."

"42. Item, in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esse, quod chimærica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos;* falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem, hæreticali nota, in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in articulo 22. Lutheri."

"43. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.; temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa."

Quamobrem, ex documentis citatis, juxta communem theologorum sententiam, *de fide* creditur:—1. potestatem esse in Ecclesia concedendi indulgentias, divinitus ei traditam.—2. Populo christiano maxime salutarem esse usum indulgentiarum.—*Ut fidei* vero *proximum* defenditur: 1. dari in Ecclesia thesaurum, seu collectionem meritorum, sive satisfactionum Christi, Sanctorum et electorum omnium, cujus dispensatio ad eamdem Ecclesiam, nempe ad Romanum Pontificem et ad Episcopos, pro diversa ratione, pertineat;—2. fidelibus per indulgentias relaxari pœnas temporales pro peccatis remissis debitas, non solum in foro Ecclesiæ, sed etiam coram Deo;—3. has indulgentias valere pro defunctis per modum suffragii.

Sit igitur ad catholicam veritatem tuendam

THESIS UNICA.

Est in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, quæ valeant non solum coram ipsa in foro externo, sed etiam in foro interno coram Deo; ita ut ex thesauro satisfactionum Christi atque Sanctorum superabundantium, per applicationem earum singulis factam, possint fideles a pœna temporali pro peccatis remissis adhuc divinæ justitiæ debita, sive totaliter, sive partialiter liberari, et animæ fidelium defunctorum adjuvari Indulgentiis eisdem applicatis per modum suffragii.

Prima pars thesis, qua potestatem concedendi indulgentias in Ecclesia dari statuimus, probatur,

1. *Ex Scripturis*, nam loca hucusque sæpissime ex Evangelio Matthæi commemorata, id aperte docent.—Christus enim (Matt. XVI. 19.) ait Petro: "Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis." Apostolis vero omnibus dixit (Matt. XVIII. 18.): "Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo." Et ex his locis sequènti pacto argumentamur:—

Si verba Christi, absque limitatione, in amplissima sua significatione sumantur, non solum remissionem a culpa et pœna æterna significant; verum etiam remissionem a pœna temporali, quæ, culpa et pœna æterna dimissis, luenda superest.—Atqui verba Christi coarctanda esse ad solam culpæ ac pœnæ æternæ remissionem ex nullo capite colligere possumus; quinimmo ea sine limitatione intelligenda esse ex Traditione, et ex ratione clare intelligimus.—Ergo verba Christi, in locis citatis, remissionem pœnæ temporalis, quæ, post absolutionem a culpa et a pœna æterna, expianda manet, complectuntur;—ideoque potestatem indicant a Christo Ecclesiæ traditam concedendi Indulgentias, quæ spectant illarum pœnarum remissionem.

Major argumenti cum evidens sit, nulla indiget declaratione.—*Minor* autem constat, quia verba Christi citata ad remissionem tantum culpæ et pœnæ æternæ coarctari non possunt. Etenim neque ex verbis ipsis, neque ex orationis serie, neque ex aliis Scripturæ locis limitatio hæc eruitur. Verba et contextus cuilibet restrictioni repugnant, et Scriptu-

rarum loca proferri nequeunt, quæ limitationem potestatis traditæ quadamtenus inducant. Sed neque ex Traditione aut sensu Ecclesiæ ejusmodi limitatio erui potest, cujus potius auctoritas et praxis contrarium evincunt, ut mox ostendemus;—neque denique ex ratione, quæ nullam in hac concessione invenit repugnantiam, cum a divina voluntate unice pendeat. Quin etiam regulæ ipsæ juris clamant verba Salvatoris nostri in tota amplitudine sua accipi debere, dum statuunt, verba quæ favorem ostendunt, in significatione amplissima, etiamsi dubia sint, esse intelligenda.

Præterea tam late patet significatio vocis *solvendi*, quam patet vox *ligandi* in adductis Christi verbis:—sed vox *ligandi* sese extendit etiam ad pœnas temporales satisfactorias injungendas:—ergo et vox *solvendi*, ut antithesis perfecta maneat, ad harum pœnarum remissionem extendere sese debet.

Aliud argumentum recte desumitur ex aliis Christi verbis, quibus Ecclesiæ potestas plenissima remittendi peccata collata fuit: "*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*" (Joan. xx. 23.).

Et sane, peccata triplicem reatum involvunt, reatum culpæ, reatum pœnæ æternæ et reatum pœnæ temporalis:—ergo per verba Christi, sine restrictione prolata, Ecclesiæ triplicem hunc reatum tollendi potestas tradita fuit.—Sed per sacramentum pœnitentiæ tollit quidem Ecclesia reatum culpæ et pœnæ æternæ, non autem semper integrum pœnæ temporalis reatum.—Ne igitur contra amplissimam Christi concessionem potestas Ecclesiæ restringatur, admittendum omnino est, ipsam extra sacramentum pœnitentiæ, per Indulgentias, reatum pœnæ temporalis remittere posse.

Tertium argumentum nobis Scriptura suppeditat, dum refert Paulum Apostolum potestate de qua loquimur usum fuisse.

Etenim, ut legimus 1. Epistola ad Corinthios, c. 5., Apostolus incestuosum Corinthium judicavit (ver. 4. 5.) "in nomine Domini nostri Jesu Christi . . . cum virtute Domini nostri Jesu, tradere . . . Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi."—At cum incestuosus ille resipuerit, et contritionem suam de nefandissimo quod patraverat crimine ostenderit, cumque Corinthii rogaverint Paulum, ut incestuoso excommunicato et seriam pœnitentiam

agenti ignosceret, et quod supererat pœnitentiæ condonaret; annuit Apostolus, et, jurisdictione extra sacramentum pœnitentiæ exercita, præcepit, ut ipsi, nomine suo et auctoritate sibi a Christo ad hoc collata, partem residuam pœnæ pœnitenti remitterent. "Sufficit," inquit (II. ad Cor. II. 6. 7. 10.), "illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc [ἐπιτιμία, quæ significat non modo increpationem, sed etiam pœnam pro delicto satisfactoriam] ... ita ut e contrario magis donetis [χαρίσασθαι], et consolemini... cui autem aliquid donastis, et ego."—Quæ Pauli verba exponens Estius (Com. in 2. Ep. ad Cor. II. 11.) merito animadvertit: "Quod ait: '*Cui aliquid,*' hoc est, aliquam partem, '*donatis*' ... fit dum per indulgentiam matris Ecclesiæ, post aliquantam satisfactionem, pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifestius etiam declarat illud præcedens, '*sufficit illi;*' quasi dicat: Satis jam pœnarum dedit; reliquum ei condonetur. Hoc enim est, quod sequitur, '*ita ut e contrario magis donetis;*' veluti si sonte quopiam per sententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato, post trigesimam plagam dicat judex: sufficit, aut satis est; non quod sententiæ sit satisfactum, sed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratiose remittens."

2. *Ex Traditione* potestatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias clare intelligimus. Etenim Indulgentia est relaxatio quædam pœnæ temporalis peccatis debitæ; et hanc relaxationem ab Ecclesia fidelibus pœnitentibus fuisse concessam, indubia monumenta Patrum nobis ostendunt.

Id primo colligitur ex praxi relaxandi pœnitentiam in peccatorum satisfactionem adhuc solvendam, *intuitu intercessionis martyrum* seu *libellorum,* quos a martyribus pœnitentes, primis Ecclesiæ sæculis, impetrabant.

Hujus praxis testis est Tertullianus. Ipse enim in *Exhort. ad Martyres* (capit. 1.) scribit: "Pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt."—Et postea, in Montanistarum errorem lapsus, Indulgentias a Prælatis Ecclesiæ concessas pœnitentibus ad preces martyrum dum sugillat, affirmat, inquiens (*de Pudicitia,* c. 22.): "At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem [delicta remittendi]. Ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia in novo custodiæ nomine, statim ambiunt mœchi, statim

adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymæ circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt . . . pacem ab his quærunt qui de sua periclitantur."

Sed et praxis hujus relaxandi pœnas temporales ad preces martyrum, copiosissima in Epistolis S. Cypriani testimonia habemus. Ex illis enim non modo constat episcopos concessisse indulgentias intuitu intercessionis martyrum, sed etiam prius exegisse ut martyres illos, pro quibus intercedebant, designarent nominatim, et nonnisi eos, quos bene nossent quorumque pœnitentiam satisfactioni proximam viderent, idest eos, qui partem non minimam jam præstitissent pœnitentiæ impositæ. Ita, ex. gr., ad martyres scribit (Ep. 10. al. 5. n. 4.): "Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: *Communicet ille . . . cum suis*, quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet, quando dicitur, *ille cum suis*, et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis."

Martyres autem non dedisse per se ipsos veniam, sed ab episcopis veniam pœnitentibus impetrasse, vel ex eo ipso apertissime constat quod litteræ pro lapsis datæ *desideria* et *petitiones* martyrum appellabantur.—Sed præterea S. Cyprianus (Ep. 11. num. 1.) exul plebi suæ apertissime dicit: "Fecerunt ad nos de quibusdam beati martyres litteras petentes examinari desideria sua. Cum pace nobis omnibus a Domino prius data ad Ecclesiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur:"—et (num. 3.) prosequitur: "Audiant, quæso, patienter consilium nostrum, exspectent regressionem nostram; ut cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati coepiscopi plures, secundum Domini disciplinam et confessorum præsentiam et vestram quoque sententiam, beatorum martyrum litteras et desideria examinare possimus."

Eadem potestate relaxandi pœnas temporales peccatis debitas, seu concedendi Indulgentias, usa est Ecclesia sæculis insequentibus.

Ad rem nostram faciunt statuta Concilii Ancyrani, anno 314., et Nicæni I. Œcumenici, an. 325.—In can. 5. de pœnitentibus, Concilium Ancyranum decrevit; "Statuimus, ut episcopi, modo conversationis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præcedens vita, et quæ consecuta est, examinetur, et sic eis clementia impertiatur."—Concilium vero Nicænum I. præscripsit: "Quotquot, metu et lacrymis atque pœnitentia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare."

Præterea, ad confutationem hæreticorum, aliud insigne documentum habemus, in Indulgentia plenaria quam, sæculo XI. ad finem vergente, an. 1095., Urbanus II. concessit in Conc. Clarom. Etenim can. 2. illius Concilii legitur: "Quicumque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur."

Pro eadem causa Indulgentiam plenariam, anno 1147., facultate accepta a Summo Pontifice Eugenio III., S. Bernardus promulgavit. En ejus verba, in Ep. 457., *ad universos fideles*:—"Quia enim verbum hoc crucis parvitati nostræ Dominus evangelizandum commisit, consilii domini regis et episcoporum et principum, qui convenerant Frankonovort, denuntiamus armari Christianorum robur adversus illos, et ad delendas penitus, aut certe convertendas nationes illas, signum salutare suscipere, eamdem eis promittentes indulgentiam peccatorum, quam et his qui versus Hierosolymam sunt profecti."—Et in Epistola 458. ad Wladislaum ducem, magnates et populum Bohemiæ: "Audiat ergo universitas vestra verbum bonum, audiat verbum salutis, et oblatam indulgentiæ copiam devotis quibusdam animæ brachiis amplectatur. Neque enim simile est tempus istud ceteris, quæ hucusque præteriere, temporibus; nova venit e cœlo divinæ miserationis ubertas; beati quos superstites invenit annus placabilis Domino, annus remissionis, annus utique jubilæus! . . . . . Suscipite signum crucis, et omnium, de quibus corde contrito confessionem feceritis, plenam indulgentiam delictorum hanc vobis Summus Pontifex offert, vicarius ejus cui dictum est: 'Quodcunque solveris super terra, erit solutum et in cœlo.' Suscipite

munus oblatum, et ad irrecuperabilem indulgentiæ facultatem alter alterum prævenire festinet."

Deinde, successores Pontifices, ut notum est, Indulgentias sæpe concesserunt:—et Concil. Lateranense IV. an. 1215., ad præcavendos Indulgentiarum abusus, in can. 62., hanc legem tulit:—"Decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum; . . . . . ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare."

Secunda pars thesis, qua statuimus Indulgentias valere non solum in foro externo coram Ecclesia, sed etiam in foro interno coram Deo, ex probationibus quas ad primam partem thesis stabiliendam dedimus sponte veluti sua procedit. Constat enim

1. *Ex locis Scripturarum jam citatis;* nam potestatem concedendi Indulgentias promissionibus factis Petro, et ceteris cum Petro Apostolis (Mat. XVI. et XVIII.) inniti demonstravimus; quæ promissiones profecto relaxationem pœnæ temporalis spectant coram Deo:—"Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo."

Insuper ex aliis Christi verbis argumentati sumus, quibus potestatem remittendi peccata concessit Apostolis (Joan. XX.); et ostendimus potestatem hanc sese extendere non solum ad remittendam culpam cum pœna æterna, sed etiam pœnam temporalem peccatis debitam. At hæc pœna divinæ justitiæ solvenda est. Ergo potestas Apostolis concessa sese extendit ad remittendam pœnam temporalem pro peccatis divinæ justitiæ debitam; ac proinde respicit Indulgentias quæ validæ sint non in foro externo tantum et coram Ecclesia, sed etiam in foro interno et coram Deo.

Demum Apostolus (II. ad Cor. II.) profitetur aperte se donasse incestuoso Corinthio reliquam pœnitentiæ partem quæ divinæ justitiæ solvenda erat; et hoc fecisse *in persona Christi* (ἐν προσώπῳ Χριστοῦ), h. e., *vice et auctoritate Christi:*—ita ut quemadmodum "in nomine Domini Jesu Christi" tradiderat hominem Satanæ (I. Ep. ad Cor. v.), in eodem nomine, seu auctoritate Christi Jesu, illum hominem absolvat.

2. *Documentis Traditionis superius allatis*, ad veritatem, quam defendimus, confirmandam, sequentia adjungimus.

Tertullianus, postquam Montanistarum hæresim professus fuerat, Catholicos arguit eo quod crederent Indulgentias, supplicationibus martyrum concessas, valere ad pœnam temporalem pro peccatis remittendam coram Deo. In l. *de Pudicitia* (c. 22.) inquit: "Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi solus Dei Filius? . . . Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere et tibi et mihi poterit."

Et S. Cyprianus, sollicite admonendo martyres ut in petitionibus suis servarent Domini fidem ac disciplinam, ostendit martyres impetrasse, et Ecclesiæ Antistites concessisse pœnæ pro peccatis debitæ coram Deo relaxationem. Valeat pro omnibus ad exemplum Epistola 10. (al. 5. aut 15.). Ibi S. Cyprianus (num. 1.) scribit: "Sollicitudo loci nostri, et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos litteris nostris, ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. Nam cum omnes milites Christi custodire oporteat præcepta imperatoris sui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum ceteris facti estis et virtutis et timoris Dei. Et credideram quidem presbyteros et diaconos, qui illic præsentes sunt monere vos et instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic verbis non suggeri divina præcepta, sed adhuc potius impediri."

3. *Ex Decreto Concilii Tridentini de Indulgentiis, et ex aliis ecclesiasticis Decretis antea commemoratis* demonstratio nostra confirmatur.

Et sane Concilium, adversus Novatores sæculi XVI., Decreto *de Indulgentiis*, definivit Ecclesiam eas concedendi potestatem accepisse a Christo:—sed Novatores Indulgentias, quæ homines a pœna coram Deo liberarent, impugnabant; non autem illas, quæ relaxationem pœnæ alicujus canonicæ, in foro externo factam coram Ecclesia, significarent:—ergo juxta illud Concilii Tridentini Decretum fatendum est indulgentias apud Deum valere, seu in foro interno.

Rursum Tridentina Synodus, eodem Decreto, definivit Indulgentiarum usum maxime populo christiano salutarem esse.— Sed nullius utilitatis esset si per Indulgentias pœnitentiæ tantum canonicæ relaxarentur, cum hæ amplius a multis jam sæculis in Ecclesia non vigeant: — ergo. Et addas, si Indulgentiæ ad solvendam pœnam temporalem divinæ justitiæ debitam non valerent, "Ecclesia," ut adnotat S. Thomas (suppl. q. 25. art. 1.), "hujusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis."

Demum huc spectat condemnatio propositionum Lutheri a Papa Leone X. per Bullam "Exurge Domine."

Propositio enim 19. damnata, ita se habebat: "Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam."—Et ex hac propositione deductæ fuerant duæ aliæ pariter damnatæ, scilicet 21.: "Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus," et 22.: "Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur."

Et doctrinam in his propositionibus contentam iterum condemnavit Pius Papa VI. proscribendo Synodi Pistoriensis assertiones, Constitutione "Auctorem fidei," prout a nobis superius ostensum fuit.

Tertia pars thesis declarat dari thesaurum satisfactionum Christi atque Sanctorum superabundantium, et ex illo thesauro, per applicationem earum satisfactionum singulis factam, posse fideles a pœna temporali, pro peccatis remissis, adhuc divinæ justitiæ debita, sive totaliter sive partialiter liberari.

Ut autem sensus hujus enuntiati clarius evadat, et ad probationes via veluti præparetur, quatuor hic præmittenda duximus, quæ P. Perrone in suo Tractatu de indulgentiis (prop. 3.) animadvertit.—Adnotamus itaque

1. Thesaurum istum, indulgentiarum fontem, eatenus constare ex meritis Christi et Sanctorum quatenus hæc *satisfactoria* sunt; norunt

enim theologi omnes opera bona esse meritoria, impetratoria et satisfactoria. *Meritoria* sibi, *impetratoria* et sibi et aliis, *satisfactoria*, si de Sanctis sermo sit, pro suis et aliorum debitis; pro suis in eo quod ob proprias culpas Deo debent, pro aliorum debitis ex superabundanti sibi ad compensationem, seu debiti solutionem. Quare cum dicimus thesaurum constare ex *meritis*, meritorum nomen latiori sensu usurpatur, nempe pro *satisfactionibus*, atque ut nonnullis placet, etiam pro *impetrationibus*.

2. Ad essentiam indulgentiæ, ac proinde etiam ad thesauri applicationem, merita Sanctorum necessario non requiri; quæ, ut loquitur Clemens VI., non adduntur nisi ad instar cujusdem *adminiculi*, seu *cumuli*, ut inde honor et gloria Christi meritis proveniat, et ne satisfactiones Sanctorum superabundantes otiosæ maneant.

3. Hujusmodi thesaurum non solum exurgere ex meritis Sanctorum in cœlis degentium, sed etiam adhuc in his terris viventium, qui divinæ justitiæ tum pro suis tum pro aliorum debitis satisfacere possunt.

4. Denique animadvertimus applicari nobis ab Ecclesia per Indulgentiarum concessionem merita Sanctorum eadem plane ratione, qua ab eadem nobis applicantur extra sacramentum merita Christi; qui dignitatem communicat Sanctorum meritis gratia sanctificante, per quam Sancti Christo conjunguntur. Quo fit, ut Deus intuitu meritorum Christi et Sanctorum, per Ecclesiæ ministerium et conditiones ab eadem indictas, remittat pœnas temporales seu satisfactiones quas peccata nostra exposcerent.

Porro, his prænotatis, ad vindicandum tertiæ partis thesis enunciatum demonstrari debet 1.—thesaurum dari constantem potissime ex superabundantibus Christi satisfactionibus, et etiam ex Sanctorum meritis satisfactoriis; 2.—hujus thesauri dispensationem Christum auctoritati et ministerio Ecclesiæ commisisse; 3.—ex hoc thesauro Ecclesiæ Indulgentias fuisse concessas.

Et ad satisfactiones Christi quod attinet, eas, pro utilitate nostra, thesaurum inexhaustum et numquam exhauriendum constituere, manifestum est. Etenim opera Christi, propter infinitam excellentiam suppositi operantis, infiniti esse valoris ad meritum et satisfactionem, ac proinde merita et satisfactiones Christi superabundanter sufficere ad tollendum non modo reatum culpæ et pœnæ æternæ, sed etiam omnis

pœnæ temporalis, nemo est qui ambigat:—nec est etiam qui in dubium revocare possit eadem merita Christi satisfactoria ad hunc finem nobis donari, cum clamet Apostolus et aperte moneat (ad Rom. VIII. 32.): "Qui etiam proprio filio suo non pepercit [Deus], sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?" et alio loco (II. ad Cor. VIII. 9.): "Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis."

Quod autem accedant etiam merita satisfactoria Sanctorum omnium, in cœlis degentium, immo et justorum adhuc in terra viventium, ad constituendum thesauri satisfactionum superabundantium *adminiculum* quoddam, aperte constat.—Quis enim id absque impietate negare posset de Beatissima semperque Virgine Matre Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Maria, aut de S. Jo. Baptista, quorum vita sanctissima fuit, et nihilominus tot pœnas perpessi sunt, ut nihil magis, quin tamen quidpiam, si sermo præsertim sit de Immaculata Virgine Maria, luendum haberent? Et idipsum, cum proportione debita, de innumeris pariter martyribus, necnon de omnibus aliis Sanctis in omni genere virtutum eximiis, qui quovis tempore in Ecclesia floruerunt, credendum est.

Thesauri vero satisfactionum Christi dispensationem auctoritati et ministerio Ecclesiæ fuisse commissam haud difficulter comprobatur. Apostolus enim (II. ad Cor. v. 18.) scribit: "Dedit [Deus] nobis ministerium reconciliationis;" quæ verba, utpote generalissima, ministerium reconciliationis exhibitum, tum per prædicationem, tum per per sacramenta, tum extra sacramentum per omnia alia media complectuntur.

Hinc Summus Pontifex Clemens VI. in Extrav. "Unigenitus," *de Pœnit. et remiss.*, postquam existentiam thesauri meritorum et satisfactionum Christi vindicaverit, potestatem hujus thesauri dispensandi Ecclesiæ factam declaravit. Pretium operis erit insigne illius Pontificis documentum ex parte saltem hic referre:

"Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere matris, in qua et ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ in suppositi unitate ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, et quod non erat assumens, ut haberet unde hominem

lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et adoptionem reciperent filiorum; ipse namque factus nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa: non enim corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis pro nobis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset; sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti! Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, et pro piis et rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere pœnitentibus et confessis, misericorditer applicandum."

Insuper, superabuntantes etiam Sanctorum satisfactiones in thesauro Ecclesiæ repositas esse, tamquam bona communia, auctoritate ipsius Ecclesiæ dispensanda, evidenter ostenditur. Nam si quis operibus suis satisfactoriis pro se non indiget, et hæc opera determinate nemini applicat, eo ipso vel formaliter vel virtualiter intendit, his operibus Ecclesiæ prodesse, in quantum potest;—ac proinde hæc eadem opera donat ipsi Ecclesiæ, ut in ejus thesauro custodiantur, convenienti modo suo tempore dispensanda.

Ad rem S. Thomas (suppl. q. 25. art. 1.): "Dictum est supra, q. 13. a. 5., quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt (alias absque omni Indulgentia consequeretur remissionem) sed communiter pro tota

Ecclesia; sicut Apostolus ait se 'adimplere ea quæ desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia,' ad quam scribit, Coloss. 1. Et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ. Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi, per eum qui potest, distribuatur."

Et P. Suarez (disp. 51. s. 2. n. 12.), postquam rationem ex S. Thoma propositam exposuit, addit: "Deinde probari idem potest ex lege caritatis, qua Sancti in hujusmodi operibus gubernantur, et ideo sine dubio intendunt et sibi, et Ecclesiæ prodesse suis operibus quantum possunt; nam hoc est maxime consentaneum caritati, et statui Ecclesiæ militantis, quæ his subsidiis indiget, et libentissime illa acceptat, quando ei offeruntur. Ex parte vero Dei est optima ratio, superius tacta; nam ad providentiam, et justitiam ejus spectat remunerare opera hominum, vel in ipsismet operantibus, vel in aliis eis conjunctis, quantum capacia sunt, et secundum modum convenientem; sed hæc opera justorum, quatenus satisfactoria sunt, capacia sunt fructus seu præmii saltem in aliis, qui per caritatem sunt unum cum eis, qui talia opera fecerunt, et possunt convenienti modo ad hunc effectum reservari, et acceptari, et per convenientem potestatem applicari: ergo merito credimus ita factum esse."

Attamen cum eodem Suaresio (ibid. num. 13.) adnotari debet, "quod licet satisfactiones Sanctorum ex eorum voluntate processerint, fuerintque veluti donatæ Ecclesiæ; nihilominus potestas eas dispensandi non manat ab ipsis Sanctis, sed a Christo, qui dedit pastorem, qui Ecclesiæ præest. Sicut bona etiam temporalia donantur Ecclesiæ per voluntatem fidelium; postquam vero donata sunt, eorum dispensatio ad eum pertinet, cui Christus talem potestatem concessit."

Et hæc quæ de Sanctorum satisfactionibus, ad thesaurum Ecclesiæ pertinentibus, dicta sunt, Decretis Summorum Pontificum confirmantur. —Etenim in eadem Decretali Clementis VI. nuper citata, immediate post verba quæ retulimus, additur: "Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei Genitricis et omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione seu diminutione non est aliquatenus formidandum, tam propter

infinita Christi, (ut prædictum est) merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum."—Idem constat ex Bulla Leonis X. "Exurge Domine," 16. Maii 1520, in qua damnatur propositio 17. Lutheri, quæ dicit: "Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum."—Et idem iterum declarat Papa Pius VI. in Constitutione "Auctorem Fidei," dum damnans propositionem 41. Synodi Pistoriensis statuit, thesauros Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, esse merita Christi, atque Sanctorum.

Superest ut ostendatur ex hoc thesauro, in quo satisfactiones Christi et Sanctorum continentur, Indulgentias semper concedi, h. e. satisfactiones illas fidelibus applicari cum eis Pontifices Indulgentias largiuntur. —Et quidem nonnulli dixerunt Indulgentias non semper concessas fuisse in Ecclesia per dispensationem illius thesauri, sed initio per liberalem remissionem, absque ulla solutione, seu applicatione ex satisfactionum superabundantium thesauro, relaxationem pœnæ temporalis, pro peccatis adhuc debitæ, fuisse factam; deinde vero, quando usus Indulgentiarum percrebuit, præsertim a tempore Bonifacii VIII., introductam esse consuetudinem non concedendi Indulgentias nisi ex thesauro.

Communis tamen et vera sententia tenet Indulgentias semper dari ex thesauro Ecclesiæ, qui Christi satisfactionibus supereffluentibus et Sanctorum etiam satisfactionibus, tamquam adminiculo quodam, est coacervatus.—Sane doctrinam hanc docuerunt Scholarum Principes.

Audiatur S. Thomas. Quærens (Supp. q. 25. a. 1.): "Utrum per Indulgentiam possit aliquid remitti de pœna satisfactoria" postquam docuerit: "quod [Indulgentiæ] valent et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem et confessionem et absolutionem, sive sit injuncta, sive non;"—ita prosequitur: "Ratio autem quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multi etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt; et præcipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum."

Quare ad 2. difficultatem ita propositam: "Inferior non potest absolvere ab eo ad quod superior obligavit. Sed Deus in absolvendo a culpa obligat ad pœnam temporalem. . . . . . Ergo nullus homo potest absolvere a pœna illa, aliquid inde dimittendo;"—respondet: "ille qui Indulgentias suscipit non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ; sed datur ei unde debitum solvat."

Nec alia est mens S. Bonaventuræ, qui apertissime tradit (4. dist. 20. p. 2. art. 1. qu. 3.): "Relaxationes et Indulgentiæ fiunt de meritis supererogationis quæ sunt in Ecclesia, quæ quidem sunt sicut thesaurus spiritualis ejus. Hæc autem merita supererogationis non omnium est dispensare, sed episcoporum tantum; et ideo relaxationes facere ad solos episcopos pertinet."—Et prosequitur: "Illis solis competit iste thesaurus dispensandus, qui sunt sponsi Ecclesiæ: tales autem sunt episcopi;" et concludit: "Ideo omnes episcopi . . . . . . possunt facere Indulgentias; et præcipue Summus Pontifex, qui est totius universalis Ecclesiæ sponsus et rector, quia ipsi competit totius spiritualis thesauri dispensatio, secundum quod curam habet de tota Ecclesia, et omnibus ejus filiis."

Quin etiam Summos Pontifices idem omnino docuisse constat: nam id non solum eruitur ex eo quod statuant, in documentis ecclesiasticis mox citatis, "merita Christi et Sanctorum esse thesauros Ecclesiæ *unde* Papa dat Indulgentias;" sed, etiam ex eo quod Indulgentias *per modum absolutionis,*—quæ prima facie videri possent factæ absque ulla solutione ex thesauro Ecclesiæ,—concessas fuisse declarent per applicationem satisfactionum, quæ in eodem Ecclesiæ thesauro continentur.

Etenim Clemens VI., in Extravaganti "Unigenitus," postquam dixerit, Christum Dominum commisisse Petro, clavigero cœli, suoque in terris vicario, thesauri satisfactionum supereffluentium dispensationem per Indulgentias, subjungit: "Quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII., prædecessor noster pie, sicut indubie credimus, considerans . . . . inconsumptibilem *thesaurum hujusmodi* pro excitanda et remuneranda devotione fidelium *voluit aperire*, decernens . . . . ut omnes, qui in anno a nativitate Domini 1300 . . . . . . ad dictorum Apostolorum Basilicas de Urbe accederent reverenter, ipsasque si Romani ad minus 30., si vero peregini aut forenses, quindecim diebus continuis vel interpolatis, saltem semel in die, dum tamen vere pœnitentes et confessi exi-

sterent, personaliter visitarent, *suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum.*"

Et Paulus II. an. 1470. in Bulla "Ineffabilis," qua tempus pro Jubilæi celebratione ad viginti quinque annos reduxit, et proximum Jubilæum pro anno 1475. indixit, ait: "Nos de omnipotentis Dei misericordia, et ipsorum Apostolorum [Petri et Pauli] auctoritate confisi . . . fidelibus qui . . . . Basilicas et Ecclesias antedictas . . . visitaverint . . . plenissimam peccatorum *suorum omnium veniam elargimur;*" et addit: "Suscipiant etiam cuncti fidei catholicæ professores patris monita, et instituta salutis, atque præcipua cum exultatione ad præparandum iter sibi ad gloriam sempiternam, has remissionum ac Indulgentiarum gratias uberrimas, quas nos illarum dispensatores indigni, tamquam Jesu Christi Vicarius, *de Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ thesauris exhibemus.*"

Sixtus etiam IV. anno 1479. Extravag. "Etsi Dominici gregis," *de Pœnit. et remiss.* cap. 5., dum justis de causis multas, quas concesserat, Indulgentias revocat, ad thesaurum appellat, et ait: "Nos qui Deo propitio ejusdem gregis Dominici, meritis licet insufficientibus, causam gerimus, et illum, *spiritualis thesauri elargitione,* cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem; ne exinde clavium auctoritas deducatur in contemptum, ipsique ad peccandum procliviores, ut diximus, liberius prolabantur . . . statuimus et ordinamus" etc.

Quorum Pontificum declarationibus congruunt successorum eorum concessiones, usque ad Pium IX., qui in Litteris Apostolicis, die 11 Aprilis 1869. datis, quibus pro Concilii Œcumenici Vaticani celebratione omnibus Christifidelibus Indulgentiam plenariam in forma Jubilæi concessit, testatus est se "illa occasione cœlestes Indulgentiarum *thesauros,* dispensationi suæ commissos, apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituisse."

Quin imo in Decretali Pii IV. "Decet Romanum Pontificem" (lib. 3. t. 14. c. un.), majori adhuc perspicuitate declaratur, nonnisi ex thesauro Ecclesiæ Indulgentias Christifidelibus, auctoritate Pontificis, dispensari. In illa enim Decretali, qua severissime Romanæ Curiæ Officialibus præscribit ut gratis pro Deo, absque ulla taxa, concessiones Indulgentiarum a Pontificibus factas expediant, initio Summus Pontifex declarat, Dominum nostrum Jesum Christum ad cœlestes thesauros dispensandos vicarium suum in terris constituisse, et addit:—"Quapropter, incon-

veniens esse censentes, pro concessionibus Indulgentiarum, quæ *in solis meritis* passionis ejusdem Domini nostri, et ejus gloriosorum martyrum et Sanctorum consistunt, aliquid temporale exigere" etc.

Neque ecclesiastica monumenta omnino desunt, ad ostendendum a primis usque temporibus Indulgentias non fuisse concessas citra quamdam satisfactionum, quibus abundabant martyres, derivationem in lapsos, ob quam pœna temporalis adhuc ab eis apud divinam justitiam solvenda a legitimis Ecclesiæ pastoribus remittebatur.

Hoc indicat Tertullianus, dum ait in testimonio superius citato (*de Pudicitia*, c. 22.): "Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est *in alios quoque* spargere, quod pro magno fuerit consecutus.... Quomodo oleum faculæ tuæ sufficere *et tibi et mihi* poterit?"

Hoc aperte demonstrant epistola Celerini ad Lucianum, et ejusdem Luciani responsum ad Celerinum (inter Epist. Cypriani, 20. et 21.). Celerinus enim pro sororibus suis Numeria et Candida, in persecutione lapsis et pœnitentiam agentibus, ita Lucianum adprecatur: "Rogo itaque, domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut ceteris collegis tuis [confessoribus], fratribus tuis, meis dominis referas, et ab eis petas, ut quicumque prior vestrum *coronatus fuerit*, istis sororibus nostris Numeriæ et Candidæ tale peccatum remittant."—Et Lucianus respondet: "Scire debuisti quid circa nos actum sit. Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me et dixit mihi: Luciane, coram Christo dico tibi ut si quis *post arcessitionem meam* abs te pacem petierit, des in nomine meo. . . . Et ideo, frater, peto, ut sicut hic cum Dominus cœperit ipsi Ecclesiæ pacem dare, secundum præceptum Pauli et nostrum tractatum, exposita causa apud episcopum et facta exomologesi, habeant pacem non tantum hæ, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere."

Demum satisfactiones martyrum lapsis, quibus Indulgentia concedebatur, applicatas fuisse ostendit epistola Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis de martyrio S. Pothini et sociorum celeberrima. In ea, sub finem, n. 17. (Migne P. G. t. 5. p. 1450.) legimus: "Neque enim fastu et arrogantia [martyres illi beatissimi] intumuerunt adversus lapsos, sed *ea quibus abundabant bona* indigentibus liberaliter subministrabant, materna quædam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum [lapsorum] salute coram Deo Patre fundentes.

Vitam petierunt, et largitus est eis Deus; quam etiam illi proximis suis *communicarunt*, ubique victores ad Deum profecti."

Quarta pars thesis statuit ex eodem thesauro Ecclesiæ Indulgentias animabus fidelium defunctorum in purgatorio detentis applicari per modum suffragii.—Sensus autem istius enunciati est, Ecclesiam Deo offerre satisfactiones Christi et membrorum ejus tam in cœlis regnantium, quam militantium in terris, ut earum intuitu, quæ per modum solutionis offeruntur, Deus pro sua misericordia dignetur fidelibus defunctis vel integram pœnam, vel ejus partem, condonare. Quare Indulgentiarum concessio, quæ per modum suffragii ad animarum purgantium levamen tribuitur, a sola prece et intercessione differt, quia præter rationem impetrationis, oblationem satisfactionum complectitur, quam Deo ex thesauro a se administrato Ecclesia offert.

Rem his verbis declarat Cardinalis Gotti (de Indulgentiis, quæst. 3. § 3.): "Non valent [Indulgentiæ pro defunctis] per modum absolutionis, sed per modum suffragii. Valere per modum absolutionis est valere per modum sententiæ judicialiter prolatæ: et hoc modo, ut supra dixi, valent vivis. Valere autem per modum suffragii est valere per modum auxilii, eo modo, quo Ecclesia auxilium potest defunctis ferre. Cumque hoc tripliciter fieri possit: vel per opera pia eorum liberationem merendo de congruo, vel per orationem eam impetrando, vel per passiones satisfaciendo pro illis; hoc tertio modo Indulgentia valet defunctis per modum suffragii, nempe, per modum satisfactionis et solutionis, solvendo pœnas eis debitas, de satisfactionibus Christi, et Sanctorum in Ecclesiæ thesauro reconditis, quæ per Pontificem Deo offeruntur in compensationem.—Sicut ergo cum quis dat eleemosynam, vel jejunat pro defuncto, non absolvit eum a reatu pœnæ; sed offert illud opus Deo in satisfactionem pro illo: ita Pontifex non absolvit defunctorum animas a pœna; sed offert Deo ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones communes, ut eis acceptatis liberentur. Ex quo apparet discrimen inter modum, quo Pontifex extendit Indulgentiam ad defunctos, et modum, quo quilibet fidelis potest opera satisfactoria eis applicare. Nam hic opera tantum propria privata caritate dirigere ad defunctos potest, nulla jurisdictione, sive auctoritate utens. Pontifex autem utitur potestate clavium, et auctoritate, non judiciaria, sed dis-

pensatoria, quam habet in communem thesaurum: eò modo, quo Princeps pro liberatione captivorum, qui sunt membra communitatis, de ejusdem thesauro pecuniam depromeret."

Ex quibus manifeste apparet quid sibi velint hæc duo quæ in Bullis Indulgentiarum exprimi solent, nimirum, 1.—Indulgentias potestate clavium et ex thesauro Ecclesiæ concedi etiam pro defunctis; et 2.—easdem Indulgentias defunctis per modum suffragii opitulari. Primum significat Pontifices etiam pro defunctis Indulgentias concedere aperiendo, auctoritate clavium, thesaurum satisfactionum Christi atque Sanctorum;—secundum vero significat eosdem Pontifices, quoad pœnas defunctis relaxandas, non auctoritative et per modum absolutionis procedere, sed Indulgentias concedere offerendo ex thesauro Ecclesiæ solutionem, qua Deus illos a pœna liberat.

Quod autem jure merito possint Indulgentiæ, prout exposuimus, applicari defunctis, patet:

1. Ex Decretis Summorum Pontificum, qui propositiones damnaverunt negantium hanc Indulgentiarum applicationem;—citavimus enim superius condemnationes latas a Sixto IV., Leone X., Pio VI.

2. Ex concessionibus harum Indulgentiarum sæpissime a Summis Pontificibus factis;—et ab ætate remotissima: teste enim Mabilonio, (ad sæc. V. Benedict. in præf.) notitia extat Indulgentiarum quas in suffragium defunctorum Joannes VIII. an. 878, et Joannes IX. anno 900, concesserunt.

3. Ex omnibus argumentis quibus Catholici demonstrant suffragia viventium animabus defunctorum in purgatorio detentis prodesse.

4. Ex dogmate de Communione Sanctorum, "neque enim," ait S. Augustinus (de Civ. Dei lib. 20. cap. 9. n. 2.), "piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia."

5. Ex natura thesauri, unde Indulgentiæ conceduntur. Sane Christus Dominus, satisfactione sua semel pro omnibus hominibus superabundanter præstita, non solum vivis, sed etiam animabus in purgatorio detentis, ac divina caritate flagrantibus, prodesse vult:—et Sancti, ex parte sua, cupiunt ut superabundantes satisfactiones suæ defunctis etiam, prout indigent, atque his satisfactionibus adjuvari possunt, prosint, cum non minus in Domino hos defunctos diligant, quam viventes.—Ergo procul dubio credendum est Christum statuisse ut satisfactiones superabun-

dantes suæ ac Sanctorum suorum, in thesauro Ecclesiæ coacervatæ, non solum fidelibus in terra degentibus, sed etiam animabus fidelium defunctorum in purgatorio detentis, per communicationem Indulgentiarum applicari possint.

Quæ hucusque propugnavimus ad vindicandam thesim propositam, Apostolica auctoritate breviter, ut ab omnibus Christifidelibus profitenda, docuit Leo Papa X. in Decretali ad Cardinalem Cajetanum in Germania Legatum, quam ipse Cajetanus refert in Commentariis suis in 3. part. Summæ Theologicæ S. Thomæ, qu. 48. art. 5., quamque hic coronidis gratia verbatim subjungam:

"Per præsentes," inquit Summus Pontifex, "tibi significandum duximus Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tamquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clavigeri successorem, et Jesu Christi in terris vicarium, potestate clavium, quarum est aperire regnum cœlorum, tollendo illius in Christifidelibus impedimenta (culpam scilicet et pœnam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante sacramento pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis, secundum divinam justitiam debitam, mediante ecclesiastica Indulgentia) posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christifidelibus, qui caritate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, et Sanctorum: et tam pro vivis quam pro defunctis Apostolica auctoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi, et Sanctorum dispensare, et per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna secundum divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, et acquisitæ Indulgentiæ æquivalet. Et ita ab omnibus teneri, et prædicari debere, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua illam incurrentes ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, auctoritate apostolica, earundem tenore præsentium decernimus."

Ex dictis patet Indulgentias maxime christiano populo esse proficuas.—Nequit enim non esse utile et maxime Christi fidelibus salutare quod Christus Ecclesiæ suæ dispensandum commisit; quod Ecclesia,

juxta traditam sibi a Christi potestatem quovis tempore, in fidelium commodum, dispensavit; quod ad excitandum in eis veræ pœnitentiæ fervorem, et ad augmentum fidei, spei, ac caritatis, magnopere confert; quodque ingens pro præsenti vita et pro altera solamen animo ingerit.

Indulgentiarum emolumenta innumera comprobarunt etiam studium quod ad illas lucrandas semper ostenderunt viri in Ecclesia Dei sanctissimi; renovata, tempore quo Jubilæa indulta fuerunt, pietas populorum; fructus omnis virtutis ac veræ christianæ pietatis ex concessione Indulgentiarum semper ac uberrime collecti, quos et Protestantes immo et ipsi increduli palam agnoscere non semel coacti sunt.

Quod pro temporali subsidio Indulgentiæ dari potuerint manifestum est. "Temporalia," dicit S. Thomas (Suppl. qu. 25. art. 3.), "ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri Indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant; vel sicut constructio Ecclesiarum, et pontium, et aliarum eleemosynarum largitio. Et per hoc patet quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali."

Et si in colligendis eleemosynis pro Indulgentiis, aut aliis de causis, occasione Indulgentiarum abusus irrepserunt, quibus etiam quævis res utut sanctissima hominibus tradita obnoxia est; hi non vitio Indulgentiarum, sed humanæ cupiditati et malitiæ adscribi debent;—et vigili Ecclesiæ cura ac sollicitudine, detecti fuerunt et extirpati.

Scholion.— Nonnulla sive fusius declaranda, sive addenda remanent, quæ spectant *concessionem, usum et effectum Indulgentiarum.*

Et quoad *eos qui concedere possunt Indulgentias,* dicimus:

1.—*Papam et Episcopos* solum habere potestatem concedendi Indulgentias: ita tamen ut Summus Pontifex Indulgentias elargiri possit sive plenarias, sive partiales; episcopi vero in sua Diocesi, et archiepiscopi in sua Provincia nonnisi Indulgentiam unius anni in dedicatione Ecclesiæ, vel quadraginta dierum aliis temporibus. Id statutum fuit in Conc. Later. IV. can. 62., quem retulimus, p. 326.; et constat etiam ex aliis Juris Canonici documentis.—Si Indulgentia ab episcopo concessa sit *localis,* percipi potest etiam ab iis qui sunt ex aliena Diœcesi. Successor episcopi qui Indulgentiam alicui rei aut operi adjunxit, aliam 40 dierum

Indulgentiam eidem operi aut rei adnectere nequit. Id pluries vetitum fuit. V. Morel, *Le Chrêtien eclairé sur la nature et l'usage des Indulgences,* p. 1. § 3.

2.—Potest *Pontifex Maximus, vel Episcopus* Indulgentias concedere, *etiamsi non sit sacris ordinibus insignitus,* ut docet S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 4. quæst. 2. ; quia ad Indulgentias concedendas non requiritur potestas Ordinis, sed sola potestas jurisdictionis.

3.—*Legati Apostolici* possunt ex commissione speciali aut generali Summi Pontificis, in omni loco ad quem legationes suæ se extendunt, Indulgentias cuicumque operi adnectere 100. 200. etc. dierum, usque dum non attingant dierum unius anni numerum. Similiter dare possunt Indulgentiam 7. an. et 7. quarant. pro fidelibus qui confessione peracta Eucharistiam recipiant, et visitent aliquam Ecclesiam aut Oratorium, ibidem orantes ad intentionem Summi Pontificis.—*Summum Pœnitentiarium* potest Romæ concedere Indulgentiam centum dierum.—*Cardinales,* præter Indulgentias quas concedere possunt, si episcopi sint aut archiepiscopi, in Ecclesiis suis titularibus, Indulgentiam 100 dierum, elargiri pariter possunt, etiamsi ad sacerdotium non sint evecti.

4.—Nec *Abbates, nec Generales Ordinum religiosorum,* nec *Parochi* concedere possunt Indulgentias. Ratio est quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ principibus, quales sunt soli episcopi.

Quoad *causam* concedendi Indulgentias,

1. Certum est, ad valorem Indulgentiarum requiri ut *justa causa* concedantur. Ita docent omnes Doctores. Ratio vero est, quoniam pœna temporalis expianda, quæ per Indulgentiam relaxatur, est de jure divino, et superior ecclesiasticus, ut Dei minister, dispensare sine justa causa non potest in iis quæ aliquo modo pertinent ad jus divinum. Præterea Pontifex est dispensator thesauri Ecclesiæ, non dominus, ac proinde nonnisi justa de causa, secundum Domini sui voluntatem, bona ex illo thesauro concedere valide potest. Hinc Clemens VI. in Extrav. "Unigenitus" sæpius citata, cum declaret Summum Pontificem posse thesaurum spiritualem dispensare, addit id fieri justis ex causis ; et inter 39. articulos de quibus suspecti errorum Wikleffi et Huss ex mandato Martini V. in Bulla "Inter cunctas" interrogari debebant, unus est, numero 26. : "Utrum credat quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis *ex causa pia et justa* possit concedere Indulgentias"

etc.—Hinc etiam in concessionibus Indulgentiarum exprimitur causa cur concedantur.

2. Certum est, ad justam causam non requiri ut opus injunctum sit in se ita satisfactorium, ut plene compenset debitum pœnæ, quod remittitur per Indulgentiam ; secus enim Indulgentia non esset pœnæ debitæ relaxatio.

3. Non omnino inter se conveniunt Doctores, cum statuunt quid requiratur ad causam justam et proportionatam. Hæc tamen videntur communius admissa et admittenda:

a) Requiritur finis aliquis pius ac Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat, quam pœnalis satisfactio quæ per Indulgentiam remittitur, talis est, ex. gr., honor Dei, caritas proximi, utilitas Ecclesiæ, aut etiam spirituale bonum illius cui conceditur Indulgentia, nempe caritatis et devotionis ejus incrementum.

b) Opus requiritur per quod finis ille probabiliter obtineri possit; quapropter, ut adnotat Bellarminus (de Indulg. c. 12.), "si detur indulgentia plenaria iis qui semel recitant Orationem Dominicam pro conversione hæreticorum, causa non videbitur justa; quoniam tametsi conversio hæreticorum res est maxima, et Deo gratior quam pœnitentialis satisfactio multorum fidelium, tamen non est probabile convertendos hæreticos per eam solam, brevissimamque orationem."

c) Non requiritur, juxta Bellarmini animadversionem, ad proportionem causæ cum Indulgentia, "ut opus injunctum sit in se valde meritorium, vel satisfactorium, vel difficile, et laboriosum, quamvis hæc etiam spectari debeant: sed requiritur, ut sit medium aptum, atque utile ad consequendum finem, cujus gratia conceditur Indulgentia. Itaque fieri potest, ut per opus in se satis leve et facile magna Indulgentia acquiri possit; quoniam opus illud leve ac facile est medium ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est, exempli gratia, assistentia illa præ foribus Basilicæ S. Petri Romæ, dum Summus Pontifex solemni ceremonia populo benedicit."

d) Non eodem modo judicandum est de causa Indulgentiæ cum datur uni, et cum datur multis in commune: nam cum datur uni opus injunctum illi soli proportionatum sit oportet fini cujus gratia Indulgentia conceditur; at cum datur in commune multis, non opus singulorum, sed opus omnium simul necesse est ut fini sit propor-

tionatum; adeoque accidere potest ut Indulgentia maxima sit justissima, ut ait idem Bellarminus, etiamsi opus injunctum singulis videatur leve.

e) Etsi plerumque, ut adnotavimus, duo in causa contineantur, finis nempe et opus, quod est medium ad finem; in quibusdam tamen adjunctis sufficit solus finis, sine ullo opere injuncto, quando nimirum finis non pendet ab aliquo opere et per se sufficit ad Indulgentiam justam efficiendam. Sic in articulo mortis hominibus de Ecclesia bene meritis aliquando datæ fuerunt Indulgentiæ, sine ullo opere injuncto, cum causa justa esset ipsa necessitas extrema conjuncta cum meritis præcedentibus.

f) Demum, justa semper causa requiritur ad Indulgentias concedendas; sed non est subditorum judicare utrum justa fuerit, an injusta: debent enim existimare, in concessione Indulgentiæ a superiore legitimo facta causam justam adfuisse.

Quoad *conditiones requisitas ad lucrandas Indulgentias pro vivis concessas*,

1.—Requiritur, ut patet, *intentio* ex parte illius qui Indulgentiam lucrari velit; sed hæc intentio sufficit ut sit *virtualis.*

2.—Requiritur ut ultimum saltem opus injunctum perficiatur *in statu gratiæ.*—Cum autem *peccati* nomen passim usurpetur ad significandum *reatum pœnæ*, hoc sensu intelligi debent in concessione quarumdam Indulgentiarum formulæ quibus dicitur per illas Indulgentias *remitti peccata*, aut *tertiam partem peccatorum*, nimirum *pœnam peccatis debitam*, sive quoad totum, sive quoad partem:—quæ tamen remissio non conceditur nisi iis qui a culpa et pœna æterna peccatis mortalibus debita absoluti fuerint.

3.—Requiritur *executio integra omnium operum*, quæ præscripta fuerunt ad obtinendam Indulgentiam; quia hæc nonnisi sub tali conditione concessa fuit.

4.—Ad Indulgentiam *plenariam* acquirendam requiritur, ut quis omnia peccata, etiam venialia, detestetur, ac proinde ab omni deordinato affectu sit immunis.—Ratio est quia remissio pœnæ peccato veniali debitæ supponit remissionem jam factam ejusdem peccati quoad culpam;—quæ non remittitur illi qui eam nullo modo detestatur, immo eidem in corde adhæret.

Quod spectat Indulgentias *defunctis applicatas* per modum suffragii:

1. Certum est auctoritatem summam requiri ad eas concedendas, nempe Apostolicæ Sedis; nam solus Christi vicarius potestatem habet absolutam dispensandi thesaurum Ecclesiæ;—et episcopi nonnisi *subditis suis* possunt Indulgentias applicare, secundum modum et mensuram eis ab Apostolica Sede determinatam.

2. Certum est etiam pro concessione Indulgentiarum ad suffragium defunctorum requiri justam causam; nec pro ea sufficere, ut notat Bellarminus (de Indulgentiis, cap. 14.), utilitatem illarum animarum, aut gloriam Dei quæ redunderet ex animarum illarum liberatione; nam si ista sufficerent, Christus ipse jam omnes animas purgantes liberasset. Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad Dei gloriam et ad Ecclesiæ utilitatem, sicut superius declaratum fuit.

3. Præterea requiritur in usu harum Indulgentiarum, ut qui defunctis Indulgentiam aliquam applicare velit, habeat talem intentionem saltem virtualem; et adimpleat opus injunctum:—etenim Indulgentiæ primo et directe non dantur nisi viventibus, qui possunt opera perficere quæ præscribuntur; defunctis vero secundario et indirecte, quatenus viventes pro mortuis hæc opera injuncta perficiunt.

Sed requiriturne etiam status gratiæ in eo qui pro defunctis Indulgentiam lucrari velit, saltem dum ultimum opus implet?—Hac de re disputatur inter Theologos. Suarez negat illum statum esse necessarium, et has affert rationes gravissimas: "Status gratiæ," inquit (d. 53. s. 4. n. 6.), "solum requiritur ad tollendum obicem Indulgentiæ: et ideo per se solum est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est Indulgentiæ effectum: in præsenti autem non est recepturus effectum ille, qui efficit opus ad Indulgentiam requisitum, sed alius, cui Indulgentia procuratur: ergo. Et ideo non est simile de lucrante sibi ipsi Indulgentiam; nam in eo requiritur status gratiæ, non formaliter, quia operans est, sed quia recipiens est Indulgentiæ effectum. Atque hac ratione non est inconveniens, quod existens in peccato, aliquem effectum possit obtinere alteri, et non sibi, quia ipse habet obicem, non vero alius; maxime cum hic effectus non nitatur merito operantis. Sicut sacerdos existens in peccato, potest per sacrificium obtinere alteri remissionem pœnæ, non vero sibi. Denique explicatur optime ex dictis; nam is, qui lucratur Indul-

gentiam alteri, nullo modo prius sibi lucratur aliquam satisfactionem, ut eam alteri præbeat, sed solum exhibet conditionem postulatam, ut Pontifex alteri concedat Indulgentiam : hæc autem conditio non est nisi executio talis operis quoad substantiam ejus, per quod potest sufficienter impleri causa proportionata talis Indulgentiæ, ut in superioribus locis declaratum est: ergo."

Demum quæritur an Indulgentia *per modum suffragii* sit semper infallibilis?—Multi quidem tenent semper illam pendere ex libera acceptatione et misericordia Dei: sed hæc sententia gravissimis aliis theologis non arridet. Inter eos, Suarez (disp. cit. s. 3. n. 3.) scribit: "Longe verius censeo Indulgentiam concessam pro defuncto tam infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in vivente, quando pro illo conceditur, si cetera sint paria, id est, si in concedente supponatur potestas, et in pia causa sufficientia, seu proportio, et quod opus injunctum, seu conditio postulata sufficienter impleta sit; nam quod ex parte recipientis non possit esse obex, in animabus defunctorum supponimus, cum de solis illis loquamur, quæ in purgatorio sunt."

Et hæc etiam videtur esse mens S. Thomæ, qui (in 4. sent. dist. 45. q. 2. a. 3. quæst. 2.) ait: "Si autem Indulgentia sub hac forma fiat: Quicumque fecerit hoc vel illud, ipse et pater ejus vel quicumque ei adjunctus in purgatorio detentus tantum de Indulgentia habebit: talis Indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. . . . Nec tamen sequitur quod prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare: quia ad hoc quod Indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens Indulgentias concedendi."

Et idipsum confirmatum videtur in Decretali Leonis X. ad Cardinalem Cajetanum, jam citata, in qua Pontifex declarat: "Omnes *tam vivos quam defunctos,* qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, *a tanta temporali pœna . . . . . liberari, quanta concessæ et acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.*"

Ceterum, effectui Indulgentiæ per modum suffragii non deest infallibilitas ex parte illius quod applicatur in remissionem pœnæ purgatorii, quasi non sit sufficiens solutio oblata pro hac remissione. Applicatio enim satisfactionis Christi, quæ est infiniti valoris, et satisfactionum Sanctorum per modum adminiculi, est profecto æquivalens solutio, ut

remissio pœnæ purgatorii obtineri possit; secus neque pro Indulgentia quæ datur viventibus possent illæ satisfactiones applicari, cum etiam viventibus remittatur purgatorii pœna, quæ ejusdem rationis est sive inchoata jam sit, sive omnino futura.—Nec infallibilitas applicationis deesse videtur ex parte divinæ promissionis, cum hæc intelligi possit contenta in generali illa promissione facta Petro "Quodcumque solveris super terram, solutum erit et in cœlo:"—ob quam data est Summis Pastoribus potestas dispensandi Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, et applicandi etiam eas per modum suffragii.

DE EXTREMA UNCTIONE

Sacramentum quod a sæculo XII. communiter *Extrema Unctio* appellatur inter Latinos, diversis aliis nominibus a scriptoribus ecclesiasticis designatur.—A materia ex qua constat apud Græcos *oleum sanctum* dicitur, ἅγιον ἔλαιον; apud Latinos vero antiquiores *oleum benedictionis*, aut *sacrati olei unctio*, aut *benedictio sacrati olei*, aut etiam *sacramentum sacræ unctionis*, et *Unctio Sacramenti olei.*—Ratione materiæ simul et formæ, εὐχέλαιον, seu *oleum cum oratione*, denominatur a Græcis; et *infirmorum unctio*, a Latinis ratione subjecti.—Demum, ab effectibus vocatur *animæ corporisque medicina, liquor quo sanitas redditur ac peccata dimittuntur, medicina sancta.*

Cum autem Sacramentum hoc, ut loquitur S. Thomas (contra Gentes, l. 4. c. 73.), sit "quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur; unde et *extrema unctio* nuncupatur," perspicuum est cur in his theologicis disquisitionibus, postquam de Pœnitentia egerimus, de eo pertractamus.—Ceterum, Sacramentum Extremæ Unctionis ultimum est eorum quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, ac proinde de illo agendum est ante sacramenta ordinis et matrimonii, quæ ad perfectionem multitudinis instituta sunt; et Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 1., dum sacramenta enumerat, Extremam Unctionem collocat post Pœnitentiam.

Extremæ itaque Unctionis, seu sacramenti novæ legis a Christo Domino instituti ad salutem mentis et corporis fidelis hominis ægrotantis, *existentiam, materiam, formam, effectus, subjectum, ministrum*, necnon *necessitatem* et *iterationem*, sequentibus articulis, declarabimus.

ARTICULUS PRIMUS

De sacramenti extremæ unctionis existentia.

Ante Novatorum ætatem, Albigenses hæretici veritatem Sacramenti Extremæ Unctionis negaverunt:—utrum vero Waldenses eam pariter rejecerint necne, certo non constat apud eruditos; qui probabilius tenent illos non sacramenti institutionem ac existentiam impugnasse, sed consecrationem olei. Id erui videtur tum ex professione fidei ab eis oblatam regi Uladislao, in qua hæc leguntur verba: "Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus;" tum ex professione fidei eis ad Ecclesiam reducibus præscripta ab Innocentio III., ubi circa Extremam Unctionem solum dicitur: "Unctionem infirmorum *cum oleo consecrato veneramur.*"

Simili ratione errasse Wicleffitæ videntur et Hussitæ. Etenim in Concilio Constantiensi, sessione 8. et 15. damnantur quidem nominatim articuli Wicleffi et Joannis Huss, sed in illis articulis non legimus impugnatam fuisse Extremam Unctionem, tamquam sacramentum a Christo Domino institutum in lege nova;—et ex mandato Martini V. in Bulla "Inter Cunctas," interrogari debebant suspecti errorum Wicleffi, et Huss in hunc modum: "Utrum credant, quod Christianus contemnens *susceptionem* sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter?" quæ interrogatio supponere videtur Wicleffitas et Hussitas non negasse Extremam Unctionem esse sacramentum, sed solum susceptionem ejus, juxta modum in Ecclesia servatum, despexisse.

Lutherus ritum unctionis extremæ improbare noluit, sed eidem dignitatem et efficaciam sacramenti novæ legis non minus audacter quam impie denegavit. In lib. enim *de Cap. Bab.* (c. de Ex. Unc.) dicit: "Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones sese dignas addiderunt theologi nostri. Unam quod *sacramentum* appellant; alteram quod *extremam* faciunt, sitque nunc sacramentum extremæ unctionis, quæ nisi in extremo vitæ agentibus periculo dari non debeat. . . . Ego autem dico: Si uspiam deliratum est, hoc loco præcipue deliratum est. Omitto

enim, quod hanc Epistolam [catholicam Jacobi, in qua de Extrema Unctione agitur] non esse Apostoli Jacobi, nec apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cujuscumque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli Jacobi, dicerem non licere Apostolo sua auctoritate sacramentum instituere. Hoc enim ad Christum solum pertinebat. Nusquam autem legitur in Evangelio Unctionis istius extremæ sacramentum." Et postea: "Quare hanc unctionem eamdem esse arbitror, quæ Marci VI., ritum scilicet quemdam primitivæ Ecclesiæ, quo miracula faciebant super infirmis, qui jamdudum defecit. . . . . . Et hoc ipsum caute ac de industria Jacobus prævidit, dum promissionem sanitatis et remissionem peccatorum non tribuit unctioni, sed *orationi*. Sacramentum enim non exigit orationem aut fidem ministri; . . . sed nititur in sola promissione et institutione Dei, exigens fidem suscipientis." Et infra: "Igitur hoc Unctionis extremæ nostrum sacramentum non damno; sed hoc esse quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego. . . . . Numerabimus tamen ipsum inter ea sacramenta quæ nos constituimus, ut sunt salis et aquæ consecratio et aspersio."

Calvinus autem impietate Lutherum superans, sacrum unctionis extremæ ritum derisit atque contempsit: "Fictitium," inquit (libro 4. Instit. capite 19. § 18.), "sacramentum est extrema unctio; histrionica hypocrisis, qua citra rationem et sine fructu Apostolos referre volunt. . . . . . . Ceterum evanuit gratia illa curationum, quemadmodum et reliqua miracula. Ut igitur maxime demus unctionem sacramentum fuisse earum virtutum, quæ tum per manus Apostolorum administrabantur, *nihil nunc ad nos pertinet*, quibus virtutum administratio commissa non est."

At Lutheranorum atque Calvinistarum, necnon aliorum hæreticorum qui ex eis pullulaverunt, circa sacramentum extremæ unctionis deliramenta, ab Ecclesia in sess. 14. Conc. Trid. damnata fuerunt. Etenim sacrosaucta illa Synodus, in c. 1. de Extr. Unct., ita docuit: "Instituta est hæc unctio infirmorum, tanquam vere et proprie sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro; apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum: 'Infirmatur,' inquit, 'quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine

Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.' Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti."

Deinde, in c. 2. declaravit: "Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei nec promissionem gratiæ habentem; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus præscripsit. Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset."

Et ideo idem Concilium definivit:

Can. 1. "Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; A. S."

Can. 2. "Si quis dixerit, Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; A. S."

Can. 3. "Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; A. S."

His prænotatis, ad vindicandum dogma catholicum de veritate sacramenti unctionis extremæ, a Concilio Tridentino definitum, jamjam accedimus;—unum tamen declarandum adhuc esse duximus in antecessum, et illud spectat unctionem, quam adhibitam ab Apostolis fuisse

Marcus refert in Ev. VI. 13., dicens "et ungebant oleo multos ægros et sanabant."— Concilium Tridentinum, sessionis 14. capite 1. de Extrema Unctione, mox citato, alludens ad istud Evangelii testimonium, docet sacramentum unctionis infirmorum fuisse "*apud Marcum insinuatum.*" Quid sibi vult istud "insinuatum?"—Ejusdem Concilii Catechismus id (de Extrema Unctione cap. 16.) declarat his verbis: "Idem Salvator hujus unctionis *specimen quoddam dedisse visus est*, cum discipulos suos binos et binos ante faciem suam misit; de illis enim apud Evangelistam ita scriptum est (Marc. VI. 12. 13.): 'Euntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros et sanabant.' "—Sed unctio, ab Apostolis tunc adhibita, fuitne figura tantum et adumbratio quædam sacramenti unctionis extremæ, an revera ipsum novæ legis sacramentum ægris collatum?

Hoc ultimum defendunt Alphonsus de Castro, Thomas Waldensis, Ambrosius Catharinus, Joannes Maldonato, Sainte-Beuve, ac Berti, his innixi rationibus:—

a) Nonnulli Patres unctionem olei de qua Marcus in Evang. loquitur, commemoratam fuisse dicunt a Jacobo in Epistola sua canonica, ubi sacramentum extremæ unctionis indicat, et inculcat.—Secundum hanc interpretationem, in verba Marci VI. scribit Theophylactus (En. in Ev. Marci, VI. 12. 13.): "Quod unxerint oleo Apostoli, solus Marcus narrat, quod et frater Domini Jacobus in catholica Epistola dicit: 'Infirmatur quis inter vos? advocet presbyteros Ecclesiæ, et orent super illum, ungentes eum oleo.' Est igitur oleum et ad labores utile, et lucis fomentum, et hilaritatis effectivum, significatque misericordiam Dei et gratiam Spiritus, per quam a labore liberamur, et lucem ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus." — Euthymius Zigabenus ait (Comm. in Marc. VI. 13.): "De unctione olei solus Marcus loquitur. Admonet autem et de hoc Jacobus in Epistola sua catholica dicens: 'Ægrotat quis inter vos? . . . . .' "—Et Ven. Beda (Expos. sup. Epist. Jacobi, V.) in verba S. Jacobi "et orent super eum, ungentes eum," etc., inquit: "Hoc et Apostolos fecisse in Evangelio legimus, et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur."

His testimoniis theologi et Scripturarum interpretes qui contendunt Marcum Evangelistam de sacramento Extremæ Unctionis locutum

fuisse, addunt etiam verba Victoris Antiocheni, desumpta ex catena Græcorum a Possevino collecta, quæ sic se habent: "Adhibitam unctionem olei Marcus memorat, cui consentanee Jacobus in catholica scribit: 'Infirmatur quis in vobis' etc."

b) Secundum argumentum desumunt ex eo quod ad corporalem sanitatem conferendam Apostoli non debuissent adhibere unctionem olei, sed potius debuissent solo verbo ostendere sanitatem nomine Christi supernaturaliter ægris restitui; nam usus olei occultare potius miraculum, quam manifestare poterat. Hinc inferunt:—ergo Apostoli non tantum ad curandos ægros, sed ad conferendum verum sacramentum unctionem, de qua Marcus loquitur, ministrabant.

c) Tertio dicunt:—neque Apostoli in aliis miraculis quæ patraverunt, neque alii fideles qui gratiam curationum habuerunt, usi sunt oleo ad curanda tantum corpora; ergo, non ob hunc finem tantum Apostoli adhibuerunt unctionem olei quam Evangelista Marcus commemorat, sed propter animæ salutem, et ad verum et proprie dictum sacramentum conferendum.

Verum, contrariam huic sententiam Bellarminus, Suarez, Estius, Tournely, aliique tenent; quæque videtur probabilior.

Et sane *a*) quando Apostoli unctione olei ab Evangelista Marco commemorata sanabant ægrotos, non erant adhuc ordinati sacerdotes. Sed tales esse debuissent si extremæ unctionis sacramentum ministrassent. Ergo sacramentum Extremæ Unctionis tunc non ministrabant.

Major patet ex aperta doctrina a Concilio Tridentino tradita, sess. 22. c. 1.; ubi loquens de institutione sacrificii Missæ a Christo facta in cœna cum discipulis suis novissima, dicit: "Is igitur [Christus] . . . ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium . . . sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, *quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat*, ut sumerent, tradidit."—Nec objiciatur, Concilium loqui tantum de sacerdotali potestate Apostolis tradita ad conficiendum corpus Christi, et supponi posse eos antea, quoad alias sacerdotis potestates, ordinatos fuisse a Christo. Objectio, vel potius evasio hæc, refutatur optime a Suaresio (de Extrema Unctione disp. 39. sect. 1. nu. 6.): "Prima potestas," inquit, "quæ

datur sacerdoti, est ad conficiendum verum Christi corpus: ergo si quoad hanc non erant ordinati, simpliciter et omnino ordinati non erant. Præsertim quia præter hanc potestatem solum datur alia in corpus mysticum ad remittenda peccata, et hæc data fuit Joan. xx. ut idem Concilium definit sess. 13. c. 1. Fingere autem aliam potestatem, seu quasi partem ordinationis sacerdotis, et dicere quoad illam partem fuisse prius ordinatos sacerdotes, et vanum est, et præter Ecclesiæ sensum."

Minor constat quoniam solus minister sacramenti extremæ unctionis est sacerdos, ut inferius demonstrabitur; et exceptio, quam adversarii supponunt factam fuisse pro Apostolis, non potest admitti. Etenim ut admittamus Christum ex auctoritatis suæ plenitudine concessisse Apostolis, non adhuc ad sacerdotalem dignitatem evectis, potestatem administrandi sacramentum hoc, cujus minister ex ipsius Christi institutione est solus sacerdos, nulla nos ratio cogit, nullum documentum quod hac in re communem, aut saltem communiorem sententiam Patrum ostendat. Exemplum baptismi, quem Apostoli ministraverunt, cum adhuc non essent sacerdotes, non prodest adversariis; nam in baptismo sacerdos non est minister necessarius ut est in hoc sacramento:—et testimonia Patrum quæ superius pro alia sententia retulimus non modo pauca sunt, sed etiam possunt de similitudine intelligi quæ intercedat inter sacramenti futuri adumbrationem ab Evangelista relatam, et sacramentum ipsum unctionis extremæ ab Apostolo Jacobo promulgatum.

b) Unctio, quam indicat S. Marcus, nonnisi ad illam curationem morborum corporis videtur fuisse adhibita, de qua legimus apud Matthæum (x. 1.): "Et convocatis [Jesus] duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem;" et (vers. 8.): "Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date." Similia refert Sanctus Lucas, IX. 1. 2. 6.—Porro, quis non videt eam morborum curationem referendam esse ad potestatem Apostolis concessam patrandi miracula, non ad sacramenti Extremæ Unctionis ministrationem?—Nec dicatur, ad curandas potestate a Christo accepta infirmitates corporum non debuissent Apostoli adhibere oleum, nam ita potius obscurassent, quam manifestassent miraculum. Respondetur oleum fuisse adhibitum tamquam symbolum curationis, quam supernaturali potestate Apostoli operabantur; et

Christum ipsum cum miracula patrabat sensibilia quædam signa sæpe usurpasse.

c) Demum ex verbis Marci "et ungebant oleo multos ægros et sanabant," videtur recte inferri Apostolos promiscue tunc unxisse quoslibet corporali infirmitate laborantes, et absque distinctione baptizatorum a non baptizatis; extrema vero unctio non datur nisi periculose ægrotantibus baptizatis.

Et hæc sufficiant de unctione a S. Marco commemorata:—ad probandam nunc veritatem sacramenti extremæ unctionis, statuitur

THESIS I.

Ex Epist. Jacobi, v. 14. 15., *et ex perpetua Traditione Ecclesiæ demonstratur Extremam Unctionem vere et proprie novæ legis sacramentum esse.*

I. Auctoritas Epistolæ Jacobi, tamquam Scripturæ divinitus inspiratæ, non est hic nobis demonstranda; eam enim ex alio Tractatu firmissime stabilitam et plenissime vindicatam esse supponimus:—statim igitur in medio ponimus testimonium, ex quo prima thesis a nobis propositæ probatio exurgit.

Hæc sunt verba Apostoli Jacobi (v. 14. 15.): "Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei."—Et ex his verbis ita argumentamur:—

Verum et proprie dictum novæ legis sacramentum est signum sensibile collativum gratiæ permanenter a Christo Domino ad sanctificandos homines institutum.—Atqui ex verbis mox citatis hæc omnia in Extrema Unctione demonstrantur adesse.—Ergo ex illis verbis demonstratur Extremam Unctionem verum et proprium novæ legis sacramentum esse.

Major patet ex Tractatu *de Sacramentis in Genere.*—*Minor* ostenditur sequenti pacto:

1. In verbis citatis indicatur ritus externus, seu *signum sensibile*, olei scilicet unctio et oratio presbyterorum; quæ duo sane sensibus subjiciuntur.—"*Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*"

2. Indicatur signum *collativum gratiæ.* Nam per illam unctionem, cum oratione peractam, Jacobus ait

a) "*alleviabit eum Dominus,*" græce ἐγερεῖ (eriget) αὐτὸν ὁ Κύριος, syriace "*eriget eum Dominus noster;*" quæ verba significant: Dominus dabit vires ad morbi molestias patienter perferendas, et ad facilius superandas tentationes dæmonis, qui tunc maxime, ut ait Concilium Tridentinum (loco antea citato), "omnes suæ versutiæ nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos."—Jam vero ad hæc, tamquam ad actus salutares eliciendos, gratiam necessariam esse, nemo est qui ambigat.—Ergo per illam unctionem, cum oratione ministratam, Deus dabit gratiam sanctificantem sacramentalem, quæ connotat abundantiora auxilia gratiæ ad hos actus salutares perficiendos:—ac proinde signum illud sensibile a presbytero in nomine Domini ministratum, collativum erit gratiæ.

b) Præterea Apostolus addit: "*Et si in peccatis sit* [infirmus] *remittentur ei*, græce κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ [et si peccata fecerit, remittentur ei], syriace "*quod si peccata commissa sint ab eo, remittuntur ei.*"—Sed peccatorum remissio fit cum collatione gratiæ sanctificantis.—Ergo.

3. Adest pro unctione, de qua S. Jacobus loquitur in textu allato, *institutio Christi.*—Etenim solus Christus, Deus et homo, institutor omnium sacramentorum, unctionem collativam gratiæ constituere potuit; cum nonnisi ipse, tamquam auctor et dispensator gratiæ, statuere potuerit ut ea per signum sensibile, vi et efficacitate propria instrumentali ejusdem signi, homini conferatur.—Hinc unctio, quam Jacobus commemorat, ab ipso quidem *promulgata* fuit, *instituta* vero a Christo.

4. Demum hujus unctionis institutio *permanens* ex iisdem verbis Apostoli Jacobi aperte colligitur:—nam, mandatum ejus in Epistola *Catholica*, seu *universali*, contentum, non ad unam tantum Ecclesiam, aut pro aliquo determinato tempore, sed ad omnes Ecclesias, sine ulla locorum aut temporum limitatione, dirigitur; ideoque non minus Apostolica tempora, quam omnem sequentem ætatem spectat, sicut alia quæ ibidem præscribit et docet, ut "Patientes estote," et "nolite jurare," et "tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat," etc.

Catholica interpretatio textus S. Jacobi, quam exposuimus, magnopere confirmatur et illustratur ex refutatione interpretationis confictæ ab adversariis.

Et sane, Apostolum non loqui de unctione quæ ex dono miraculorum sanaret corpus, sed quæ sanaret animam et aliquando etiam corpus, virtute sacramentali, ex singulis textus vocibus, ut egregie Bellarminus animadvertit (de Extrem. Unct. lib. 1. c. 3.), clare deducitur.

"*Infirmatur,*" ait Jacobus Apost., "*quis in vobis.*"—At si de miraculis ageret, generalius loqueretur: non enim solum, ut facit, consuleret iis qui decumbunt gravati periculoso aliquo morbo, sed etiam cæcis, surdis, claudis, aliisque miseris hominibus, qui non decumbunt, nec de vita periclitantur, et tamen egent curatione.—Quod autem Apostolus loquatur hic de infirmis graviter decumbentibus patet—*a*) ex voce mox sequenti *κάμνοντα*, quæ significat morbo graviter laborantem;—*b*) ex eo quod addat "*adducat presbyteros,*" quod de infirmo graviter decumbente dici facile intelligitur. Certe si infirmus non decumberet posset presbyterum ipse per se adire; et si periculose non ægrotaret, remediis naturalibus curari facile posset, ideoque Jacobus non præscripsisset recursum ad medium supernaturale. Et insuper id quod contendimus non obscure indicatur in verbis insequentibus, "*alleviabit* [eriget] *eum Dominus.*"

"*Inducat,*" inquit, "*presbyteros.*"—At si de miraculo ageret, diceret potius, Inducat prophetas, aut alios, qui donum habent curationum: nec enim soli, aut omnes presbyteri etiam tunc habebant donum curandi. Neque refert, quod per presbyteros nolunt adversarii significari sacerdotes, sed seniores; nam nec seniores omnes habebant donum curationis, non enim illud donum erat alligatum ætati, aut dignitati, ut patet ex Paulo ad Rom. XII., I. Cor. XII., et Ephes. IV.

"*Orent,*" prosequitur, "*super eum, ungentes eum oleo.*"—At si de miraculis ageretur, non præscriberet Jacobus materiam: qui enim donum habet curationis, adhibet quod Deus illi inspirat, nec potest alligari certæ alicui rei virtus miraculorum. Id quod satis patet ex divinis litteris, et exemplis omnium Sanctorum.—"Sed," inquit Calvinus, "utile fuit præscribere oleum, ut esset signum, miraculum fieri non viribus hominis, sed potentia Spiritus Sancti; constat enim oleo significari Spiritum Sanctum." At etiam aqua significat Spiritum Sanctum. Et præterea si illa fuisset causa, cur præscriptum fuerit oleum, debuisset oleum adhiberi in omni miraculosa curatione et in excitatione mortuorum maxime. Nusquam autem, ut lepide adnotat Bellarminus, legimus inunctos fuisse mortuos, cum a morte ad vitam erant resuscitandi.

"Et *oratio*," addit, "*fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus.*"—Hæc absoluta promissio ad sanitatem corporis *unice* referri non potest. Etenim sanitas corporalis, quia non semper utilis est animæ, non semper obtinetur a Deo, quicumque sit qui orat; et præterea, si dicatur semper fuisse sanatos eos qui juxta Jacobi monitum ungebantur, admitti debet tempore Apostolorum nonnisi fideles qui præscripto Apostoli non obtemperabant mortuos fuisse; quod evidenter est falsum. Quare dici debet non semper fuisse sanitate donatos eos qui ungebantur; ac proinde, ne falsa sit promissio Apostoli, quæ est absoluta, concludendum esse eam ad animam absolute et præcipue referri, et promissionem sanitatis corporalis continere, prout ad salutem animæ proficuum est. "*Et si in peccatis sit, remittentur ei.*"—Hæc testimonii pars tam est perspicua, ut nullum omnino relinquat locum tergiversationi.

Neque ad impugnandum dogma catholicum juvat hæreticis argumentum desumere ex particula "*si*" apposita in hoc ultimo Jacobi commate, quæ ostendit *conditionate*, non *absolute*, oleum cum oratione effectum promissum operari; cum e contra sacramentum *absolute* operetur effectum suum, non *conditionate.*—Respondetur, particulam hypotheticam "*si*" non afficere verbum "*remittentur*," sed verbum substantivum "*sit;*" ideoque conditionem illam totam esse ex parte hominis, et nullatenus effectum sacramenti incertum, aut conditionatum, quantum ex parte ejusdem sacramenti est, relinquere. Res enim et effectus hujus sacramenti, ut Conc. Trid. (sess. 14. cap. 2.), loquitur, "gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur."

Neque alia ejusdem testimonii verba: "*Oratio fidei salvabit infirmum*" prodesse adversariis nostris quidquam possunt. Cum enim dicitur oratio *fidei*, non *subjectiva fides ministri*, sed *fides objectiva* significatur, nimirum illud quod est fidei nostræ objectum. Quare sensus verborum S. Jacobi est: oratio, quam presbyter profert dum ungit infirmum, constituit cum unctione ipsa ritum, quem *fides christiana docet*, et ideo est *oratio fidei*, quæ salvat infirmum.

Quod Jacobus ait in plurali numero "inducat *presbyteros Ecclesiæ*" nullam potest facessere difficultatem. Pluralis enim numerus usurpatur pro quolibet e cœtu; sicut ex frequentato apud omnes loquendi modo, et ex aliis locis Scripturarum clare colligitur. Ita, ex. gr., apud Luc. XVII. 14.,—Christus mundans decem leprosos, ait eis: "Ite ostendite vos sacerdotibus," cum uni sacerdoti se ostendere, juxta legem (Lev. XIV.), satis esset:—et apud Matth. XXVII. 44. legitur: "Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei:" cum Lucas, XXIII. 39. 40., aperte dicat: "Unus autem de his qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es."—Ceterum plures presbyteri poterant simul adesse, non tamen ex sacramenti necessitate.

Demum verba "*et alleviabit eum Dominus*" non debent, ut adversarii contendunt, significare solum corporis levamen et sanitatem; nam sanitatem corporis indicavit S. Jacobus verbis immediate præcedentibus: "Et oratio fidei *salvabit* [*σώσει*, salvum reddet; syriace, *sanitati restituet*] *infirmum*;"—et verbum *ἐγείρειν* in Scripturis Novi Testamenti frequenter ita sumitur ut ad animum referatur, et significet teporem, negligentiam, tristitiam pellere. In hoc sensu illud verbum adhibitum fuit in Ep. ad Rom. XIII. 11.: "Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere [*Καὶ τοῦτο, εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι·*];" et in Epist. ad Eph. V. 14.: "Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus [*Διὸ λέγει· ἔγειραι ὁ καθεύδων, κ̀ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, κ̀ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός*];" et in II. Petri, III. 1.: "Hanc ecce vobis carissimi, secundam scribo epistolam in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem [*Ταύτην ἤδη, ἀγαπητοί, δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν, ἐν αἷς διεγείρω ὑμῶν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν*].

II. Extremam Unctionem verum et proprie dictum sacramentum esse demonstramus nunc ex *Traditione.* Et in primis loca Patrum referimus quæ clarius veritati catholicæ testimonium exhibent.

Origenes, Hom. 2. in Lev. (n. 4.) inter varios modos quibus in lege Christi remittuntur peccata, enumerat pœnitentiam, et unctionem infirmorum: "Est adhuc et septima," inquit, "licet dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stra-

tum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait: 'Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei.' In quo impletur et illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini" etc.—Duo hic simul conjungit sacramenta Origenes, pœnitentiam scilicet, et unctionem infirmorum, quod ista nimirum semper habita fuit tamquam perfectio et consummatio pœnitentiæ; perinde ac confirmatio dicta est consummatio atque perfectio baptismi.

S. Joannes Chrysostomus (l. 3. de Sacerd. n. 6.), de potestate sacerdotibus concessa relaxandi peccata loquens, Extremam Unctionem a sacerdotibus ministratam commemorat, his verbis: "Neque tantum cum nos regenerant [sacerdotes], sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam 'Infirmatur,' inquit, 'quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum; et excitabit eum Dominus: et si peccata fecerit, remittentur ei' (Jacob. v. 13.)."

Hic autem S. Doctorem loqui de Extrema Unctione non de pœnitentiæ sacramento patet, quia et textum S. Jacobi profert, non ad pœnitentiam sed ad Extremam Unctionem pertinentem; et ipse S. Doctor de remissione peccatorum in sacramento pœnitentiæ paulo antea locutus fuerat, afferens Scripturæ loca, quæ sacramentum illud respiciunt, scilicet Matt. XVIII., et Joan. XX.

S. Innocentius I. in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum, (Epist. 1. al. 25. n. 11.) a quo circa multa consultus fuerat, ita, quoad rem nostram, docet: "Sane quoniam de hoc, sicuti de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus, in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in Beati Apostoli Jacobi epistola conscriptum est: 'Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum Dominus, et si peccata fecit, remittet ei.' Quod non est dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet in sua aut in suorum necessitate inungendo.

Ceterum illud superfluum esse videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum ; et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?"

Nemo autem ex eo quod S. Innoc. Papa I. has voces adhibeat "*oleum chrismatis*," et "*chrisma*," putet ipsum loqui de sacramento confirmationis. Etenim de Confirm. prius in eadem Epist. locutus fuerat ; et docuerat eam omnibus baptizatis, etiam pueris, administrari *a solis Pontificibus*, non a presbyteris, qui Pontificatus apicem non habent. Itaque non de *chrismate Confirmationis* hic loquitur, sed de *oleo Extremæ Unctionis:* appellat autem illud oleum nomine *chrismatis*, quia licet in usu Ecclesiæ chrisma strictissime sumptum accipiatur pro composito ex oleo et balsamo, attamen apud veteres verbum *chrismare* aliquando sumitur ad denotandam unctionem olei sive simplicis, sive compositi, sicut etiam chrisma significat quodcumque unguentum ; et paulo strictius nomine chrismatis venit unguentum ab episcopo benedictum ;—qua significatione illud nomen usurpat Innocentius loco citato.

Hac autem præmissa animadversione, ex eodem testimonio Pontificis clare deducitur :—1. Unctionem olei, de qua Innocentius loquitur, vero et proprio sensu sacramentum esse, ut cetera novæ legis sacramenta: ac proinde iis fuisse denegatam, quibus *cetera* sacramenta, juxta disciplinam illius temporis, denegabantur, scilicet pœnitentibus publicis adhuc non reconciliatis.—2. Extremam Unctionem tum ab episcopis, tum a presbyteris administrari posse.—3. Eam fidelibus ægrotantibus esse ministrandam.—Præter hæc, videtur etiam Pontifex dicere fideles laicos potuisse in suis et aliorum infirmitatibus isto oleo ab episcopo benedicto uti non ut sacramento, sed ut ritu christiano secundum morem illius ætatis: sicut enim tunc fideles ad morbos curandos adhibebant aquam baptismalem, ita et oleum ab episcopo benedictum.

Auctor Sermonis 265. in app. Serm. S. Augustini [probabiliter Sanctus Cæsarius Arelatensis] numero 3.: "Quoties," inquit, "aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat

accipiat, et inde *corpusculum suum ungat*, ut illud quod scriptum est impleatur in eo (Jac. v. 14.): '*Infirmatur aliquis*' etc. Videte fratres quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et *corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.*"

S. Petrus Damianus (Serm. 1. in Dedic. Eccl.) inquit: "Tertium sacramentum est unctio infirmorum. Infirmantibus nobis, et usque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus spiritus pietatis assistit, et recordatus est, quoniam pulvis sumus. Ait enim S. Jacobus: 'Infirmatur quis' etc. Solemnis unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini! Videsne, qualiter sacerdotalis manus infirmantis corpus alleviet, et illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget unctione? Unde et SS. Patres hanc unctionem sacramentum esse sanxerunt."

Goffridus Abbas Vindocinensis, declarans in opusc. 8. (Migne, P. L. t. 157. pag. 226.) effectus sacramentorum, hæc ad rem nostram habet: "In *Unctione* autem *infirmorum* datur iterum per Spiritum Sanctum remissio peccatorum, ut neque in vita, neque in morte desit Christianis Christi misericordia."

Ex his testimoniis perpetua Traditio patet circa veritatem sacramenti Extremæ Unctionis; sed præterea permulta alia documenta extant, quæ non minori claritate hanc ipsam Traditionem nobis ostendunt. Quædam tantum commemorabo.

In Libro Sacramentorum S. Gregorii Magni ita præscribitur, pro feria 4. hebd. Sanctæ, benedictio olei Extremæ Unctionis:

"Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit eum tam ipse, quam omnes presbyteri ad ungendum infirmum, his verbis: Emitte, Domine, Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis."

Deinde in eodem Libro Sacramentorum, ritus ad sacramentum Extremæ Unctionis administrandum, et Orationes variæ pro tali ministratione adhibitæ referuntur. Duas tantum earum proferam. Una dicit: "Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam. Operare, creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non

lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus Sancti. Per eumdem, etc."—Alia Oratio præscripta ita se habet: "Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: 'Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus; et si in peccatis est, dimittentur ei;' cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi, et sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut, ope misericordiæ tuæ restitutus et sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per etc."—Et hanc eamdem orationem *nunc* sacerdos, juxta Rituale Romanum, in administratione sacramenti Extremæ Unctionis, recitat.

In "Ordine ad visitandum infirmum," excerpto ex Pontificali S. Prudentii Trecensis, qui vixit sæculo IX., legimus descriptum totum ritum Extremæ Unctionis. Pauca, ex iis quæ ibi referuntur seligam, quæ invenies inter opera Patrum a Mig. ed. (P. L. t. 115. p. 1443).—"Postea," dicit Ordo, "accepta ampulla cum oleo dicat: Per istam unctionem et Dei benedictionem mundentur ab omni sorde peccati, et sanctificentur manus, et os, cor quoque, tactus, odoratus, sensus, visus, auditus et gustus, totum corpus et anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum in nomine ejusdem Dei nostri. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, et spiritu principali confirmet te; Spiritum Sanctum innovet in visceribus tuis, et ne auferat illum a te, sed benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super te, quæ copiosa supra defluat, et in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque te repleat atque circumdet, et sit semper tecum. Amen."—Deinde Orationes recitandæ præscribuntur dum unguntur quædam corporis partes; e. g.: "Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum etc.;" et "Ungo aures sacrati olei de liquore, ut quidquid delectatione nocua auditus admissum est, medicina salutaris evacuet. Per etc." Et in fine hæc Oratio dicenda statuitur: "Inungo te de oleo sancto in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum,

sed in te habitet virtus Christi altissimi et Spiritus Sancti, quatenus per hujus orationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute Sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam et melioratam recipere merearis sanitatem. Per Dominum nostrum etc." Et eadem omnino Oratio invenitur præscripta in Sacramentario S. Gregorii Magni.

Concilia quoque testimonium suum afferunt pro re nostra.—Etenim, ut nonnulla citemus ad exemplum,

Concilium Cabilonense II., anno 813. can. 48. decrevit: "Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: 'Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, etc.' Non est itaque parvi pendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus."

Concilium Aquisgranense, anno 836. can. 5., statuit: "Si quis autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, nec non unctione sacrificati olei, per presbyteri negligentiam careat."

Concilium Ticinense, an. 850. cap. 8., dicit: "Illud quoque salutare sacramentum, quod commendat Jacobus Apostolus dicens: 'Infirmatur quis in vobis? etc.' solerti prædicatione populis innotescendum est; magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et remittuntur peccata, et consequenter corporalis salus restituitur."

Et eamdem veritatem confirmant Concilium Moguntinum, anno 847. in capite 26.; Wormatiense, anno 868. canone 72.; aliaque deinceps usque ad Œcumenicum Concilium Lugdunense II., anno 1274. in quo, solemnissima professione fidei Græcorum simul et Latinorum, inter septem vere et proprie dicta sacramenta novæ legis recensetur "Extrema Unctio, quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur."

Concilium autem Florentinum, in Decreto pro Armenis, non solum Extremam Unctionem cum ceteris proprie dictis sacramentis christianæ legis numeravit, sed etiam indicavit ejus materiam, formam, ministrum, subjectum, effectus. Quæ postea Tridentina Synodus abundantius adhuc declaravit, definivitque.

Insuper, exempla Sanctorum præclarissima, qui semper Extremam

Unctionem, ut verum sacramentum ad salutem animæ proficuum, susceperunt, demonstrationem nostram confirmant.

Tria tantum facta brevitatis causa indicare hic possum.—

"Lege Vitam S. Hunegundis," ait Joannes Mabillonius (Opusc. 11. *de Extrema Unctione* in Thes. Zachariæ, tom. 12.), "duobus auctoribus, altero anonymo coævo, altero Bernero abbate Hummolariensi, litteris traditam. Iisdem verbis uterque auctor . . . . . Hunegundis extremam periodum ita describit: 'Astantibus circumquaque utriusque sexus Christo famulantibus, qui ad decessum tantæ matris atque virginis convenere ex vicinis et longinquis regionibus, dolor ingens, et mœror et singultus erat omnibus, quoniam videbant se frustrari nimio solatio, licet essent fidentes quod ejus semper in cœlis devotissimo fruerentur patrocinio. Inter hæc conversa ad eos qui assidebant sibi presbyteros, unctionis oleum et communionem expetiit.' Quod circa annum 660. contigit."

Sæculo IX. S. Paschasius Radbertus in vita S. Adhalardi Abbatis Corbejensis, hæc scribit (Migne P. L., t. 120, p. 1547 n. 80.): "Interea cum cœpisset idem sanctus episcopus a nobis percunctari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato Apostolo sancitum est (Jac. v.), deberet perungui; interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, cominus obsecrabat ut fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus! quantis tunc replebatur lacrymis! Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus vero ad cœlos extensæ; invitansque Sanctum Spiritum dicebat: 'Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramenta. Et nunc quid superest, nisi ut ad te veniam? Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, tantum fiat voluntas tua.' "

Sæculo XII., S. Bernardus, in Vita S. Malachiæ Primatis Hiberniæ, cap. XXIV., stupendum miraculum narrat ab eo patratum occasione ministrationis sacramenti Unctionis Extremæ. Præstat verbis iisdem S. Doctoris illud referre.

"Habitabat," inquit S. Bernardus (Migne P. L., t. 182. pag. 1103.), "vir nobilis in vicinia Benchorensis monasterii, cujus uxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam uncturus oleo, descendit, et intravit ad eam;

quo viso, exsultat illa, spe animata salutis. Et cum pararet ungere eam, visum est omnibus differendum potius usque mane. Erat enim vespera. Acquievit Malachias, et data benedictione super ægram, exivit cum his qui secum erant. At vero post modicum subito clamor factus est, planctus et strepitus multus per totam domum; siquidem insonuit quod mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, et secuti sunt eum discipuli ejus. Et accedens ad lectum, ut certo comperit exspirasse, consternatus est animo, sibi imputans, quod fraudata gratia sacramenti obierit. Et elevatis in cœlum manibus, 'Obsecro, Domine,' inquit, 'insipienter egi. Ego, ego peccavi, qui distuli; non ista, quæ voluit.' Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisi, quam tulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eam, tota nocte laborabat in gemitu suo: et pro oleo sancto, largo imbre lacrymarum perfundens mortuam, vicem illi unctionis, quam poterat exhibebat. Ipse quidem sic; ad suos autem: 'Vigilate,' inquit, 'et orate.' Itaque in psalmis illi, ille in lacrymis, noctem duxere pervigilem. Et mane facto, exaudivit Dominus sanctum suum, quia spiritus Domini erat postulans pro eo, qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? aperit oculos quæ fuerat mortua; et, ut solent qui de gravi somno evigilant, fricans sibi manibus frontem et tempora, super lectum se erigit, et agnito Malachia, inclinans devote salutat eum. Et verso luctu in gaudium, stupor apprehendit omnes, et qui viderunt, et qui audierunt. Sed et Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et unxit eam nihilominus, sciens in hoc sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum (Jac. v. 14. 15.). Post hæc abiit ille, et illa convaluit; et vivens incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifestaretur in ea, peracta pœnitentia, quam sibi Malachias injunxerat, in bona confessione iterum obdormivit, et migravit ad Dominum."

Demum huc facit argumentum *præscriptionis*, desumptum ex fide quam catholica Ecclesia, antequam Novatorum hæresis appareret, profitebatur; in quam fidem conspirabant etiam Ecclesia Græca schismatica, et Orientales sectæ hæreticæ.—Vide argumentum hoc fuse propositum in Tractatu *de Sacramentis in Genere*, p. 1. a. 4. p. 100.

NOTA.—Extremæ Unctionis sacramentum institutum fuisse a Christo Domino in lege nova, ostendi etiam quodammodo potest ex *ratione convenientiæ.* Eam Tridentina Synodus indicat, sessione 14. de Extrema Unctione, in Proœmio. "Clementissimus," inquit Concilium, "Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit."

At de convenientia tum Extremæ Unctionis tum aliorum sacramentorum egimus in Tractatu *de Sacramentis in Genere,* nuper citato, part. 1. art. 5. pag. 117.

ARTICULUS SECUNDUS

De sacramenti extremæ unctionis materia remota et proxima.

Materiam Extremæ Unctionis remotam esse oleum olivarum ab episcopo benedictum absque ulla controversia omnes, qui veritatem sacramenti hujus confessi sunt, semper admiserunt. Sed disputatum fuit inter theologos circa necessitatem benedictionis episcopalis ad Extremæ Unctionis oleum consecrandum. Juenin, Natalis Alexander, aliique dixerunt necessitatem illius benedictionis oriri ex solo præcepto Ecclesiæ, dum e contra communius theologi ad sacramenti validitatem eam omnino requisitam esse defendebant. Inter eos autem qui hanc sententiam amplexi sunt, nonnulli, et cum eis Suarez (de Extrema Unct. disp. 40. sect. 1. num. 8.) contendebant benedictionem episcopi ita ex institutione Christi necessariam esse, ut neque Romanus Pontifex pres-

bytero committere eam possit.—Verum Decreta Summorum Pontificum, quæ mox citabimus, has lites inter Doctores cessare fecerunt.

Circa materiam proximam sacramenti, S. Thomas, ac S. Bonaventura in 4. sent. dist. 23., referunt et tamquam improbabilem rejiciunt opinionem quorumdam theologorum, qui oleum benedictum putabant esse sacramentum, et ideo unctionem non sacramenti materiam proximam sed *usum* sacramenti jam confecti esse dicebant.

Porro antiquatam hanc sententiam esse prorsus deserendam manifestum est. Etenim, præter Eucharistiam, nullum sacramentum habet esse permanens; et sicut in verbis Christi (Matth. XXVIII. 19.), "*baptizantes eos*" intelligimus baptismi materiam proximam esse actionem immergendi in aquam vel abluendi aut aspergendi aqua, non autem aquam ipsam; ita ex verbis Jacobi Apostoli "*ungentes eum*" apertissime nobis constat materiam proximam Unctionis Extremæ esse actionem ungendi oleo, non ipsum oleum.—Præterea si unctio non esset materia proxima hujus sacramenti, non esset forma ejus illa quæ profertur dum infirmus oleo consecrato inungitur a sacerdote, sed esset Oratio quæ dicitur ad oleum infirmorum benedicendum:—quod omnino falsum est, ut patebit inferius.

Itaque certum est unctionem, qua corpora infirmorum linuntur oleo benedicto, esse sacramenti Extremæ Unctionis materiam proximam. —Quoniam vero Jacobus in Epistola sua canonica non indicat partes corporis inungendas, et ab Ecclesia nihil quoad hanc rem definitum est, theologi inquirunt quotuplex unctio ad sacramenti validitatem requiratur, et in duplicem sententiam abeunt.

Prima sententia, quam S. Alphonsus (Theol. Mor. l. 6. c. 1. n. 710.) communiorem et tutiorem appellavit, tenet de necessitate sacramenti esse unctionem quinque sensuum.—Equidem et praxim ungendi quinque corporis sensus dum sacramentum Extremæ Unctionis administratur, non solum in Rituali Romano, jussu Pauli V. edito, præscriptam esse, sed etiam antiquissimam fuisse in Ecclesia Latina, indubium est. Documentum hujus veritatis apertissimum invenitur in Sacramentario Sancti Gregorii Magni, ex quo patet quintuplicem unctionem illa ætate adhibitam fuisse. In eo enim legimus: "Multi enim sacerdotum infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis, id est in superciliis oculorum et in naribus deintus, et in narium summitate, sive

exterius, idest deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes : 'In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.' Hoc enim faciant, ut si in quinque sensus mentis et corporis aliqua macula inhæsit, hac medicina Dei sanetur."

Præterea S. Thomas (Supp. q. 32. a. 6.) ait: "Principia peccandi in nobis sunt eadem quæ et principia agendi, quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi in nobis sunt tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva ; secundum est imperans, scilicet vis appetitiva ; tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi; ideo inunguntur loca quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget, et propter appetitivam inunguntur aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius ejus instrumentum. Et quia primum principium operationis humanæ est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti; sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant quæ fit ad pedes, et non quæ ad renes; quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia."

Attamen *secunda* sententia tenet quintuplicem unctionem fieri ex præcepto ecclesiastico, non ex necessitate sacramenti; ideoque unicam unctionem sufficere ut valide Extremæ Unctionis sacramentum conficiatur.—Hanc sententiam *merito probabilem* esse dixit S. Alphonsus (loc. cit.), eamque recentiores auctores communius tradunt.

Demum omnes fatentur unctiones multiplices ad unum referri sacramentum constituendum : etenim unctiones singulæ ad eamdem animæ sanationem referuntur, et veluti unam spiritualem medicinam omnes efficiunt. Simili pacto unica dicitur curatio vulnerum per unicum unguentum perfecta, etiamsi unguentum illud in pluribus partibus sauciatis adhibitum fuerit.

His præmissis, subjungitur

THESIS II.

Materia remota sacramenti Extremæ Unctionis est oleum ex olivis expressum, et benedictum ab episcopo, vel etiam a presbytero ex concessione sive expressa, sive tacita Romani Pontificis. Materia vero proxima, in actione ungendi oleo benedicto infirmum certe consistit; quæ pro sacramenti validitate, ut videtur probabilius, non debet esse quintuplex ad quinque hominis infirmi sensus perungendos, sed etiamsi unica sit sufficit.

Prima pars thesis statuit oleum olivarum esse materiam remotam sacramenti Extremæ Unctionis, et admittenda est *de fide.*

Probatur.—1. Ex verbis S. Jacobi sæpissime in præcedenti articulo citatis, "*ungentes eum oleo;*" oleum enim absque addito illud appellatur quod ex olivis expressum est;—ac proinde sicut materia baptismi est aqua naturalis, et materia consecrationis primæ in Eucharistia est panis triticeus, *vi* et *proprietate* horum verborum *aqua* et *panis* quæ ad designandam materiam pro illis sacramentis Scripturæ commemorant; ita et in re præsenti materiam Extremæ Unctionis intelligimus esse *oleum olivæ,* juxta propriam et communem olei significationem.

2. Idipsum confirmatur ex perpetuo usu Ecclesiæ et universali Traditione. Etenim oleum olivarum adhibitum semper fuisse in administratione Extremæ Unctionis testantur Patres, quos pro prima thesi citavimus, Concilia quoque, sacramentales libri et Ritualia Latinorum, necnon Græcorum Euchologia.—Hinc Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, dixit: "Quintum sacramentum est Extrema Unctio, *cujus materia est oleum olivæ per episcopum benedictum.*"

Oleum vero materiam hujus sacramenti aptissimam esse ostendit S. Thomas (Suppl. q. 29. art. 4.) his verbis: "Spiritualis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; et lenis, ut spes, quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant, ideo oleum olivæ etiam debet esse quod assumitur in materiam hujus sacramenti."

Et Catechismus Concilii Tridentini, de eadem re loquens, ait: "Est

igitur elementum, sive materia [sacramenti Extremæ Unctionis] . . . , oleum ab episcopo consecratum, liquor scilicet non ex quavis pingui et crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissime autem hæc materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus sacramenti administrationem efficiatur, declarant."

Secunda pars thesis, qua statuimus ad validam Extremæ Unctionis ministrationem requiri oleum ab episcopo benedictum, probatur ex documentis ecclesiasticis hucusque citatis. Et revera benedictionis hujus meminit Innocentius I. qui in celebri suo responso ad Decentium Eugubinum dicit "oleum chrismatis [seu oleum pro Extrema Unctione] ab episcopo esse confectum" et hoc chrisma "episcopi esse conficere."—In sacramentario Sancti Gregorii Magni benedictio olei ab episcopo conferenda præscribitur.—In Concilio Cabilonensi II. anno 813. celebrato, can. 48. dicitur: "Infirmi oleo, *quod ab episcopo benedicitur*, a presbyteris ungi debent."—Concilium Florentinum, Decreto pro Armenis, statuit: "Materia [Extremæ Unctionis] est oleum olivæ, per episcopum benedictum."—Demum Concilium Tridentinum in capite 1. sess. 14. de Extrema Unctione, declarat Ecclesiam ex verbis S. Jacobi et "ex apostolica traditione per manus accepta" intellexisse "materiam [hujus sacramenti] esse oleum ab episcopo benedictum."

Sed omnem hac in re dubitationem excludunt duo Romanorum Pontificum Decreta. Primum est Pauli V., datum die 13 Jan. 1655, et sic se habet: "Sanctissimus D. N. D. Paulus V. in Congregatione generali coram se habita, prævio maturo examine et censura propositionis sequentis: 'Quod nempe sacramentum Extremæ Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit;' auditis DD. Cardinalium suffragiis, declaravit, dictam propositionem esse temerariam et errori proximam."

Secundum Decretum est Gregorii XVI. his verbis expressum:

"Feria 4. die 14. Septem. 1842. In Congregatione generali habita in conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis et

Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus, ad validitatem sacramenti Extremæ Unctionis, uti possit oleo a se benedicto, iidem Eminentissimi decreverunt, negative ad formam decreti feriæ 5. coram SS. diei 13. Januar. 1655. Eadem die et feria SS. D. N. D. Gregorius div. prov. P. XVI., in audientia assessori Sancti Officii impertita, resolutionem Eminentissimorum approbavit."

Tertia pars thesis statuit presbyteros posse ex delegatione apostolica oleum infirmorum benedicere.

Probatur.—1. Ex vetustissima praxi apud Græcos, Armenos, aliosque Orientales, juxta quam eorum presbyteri oleum infirmorum benedicere solent: quam praxim Romani Pontifices approbaverunt. Etenim Clemens VIII. in Constitutione 34., seu Instructione super aliquibus Græcorum Ritibus, edita anno 1595., "non sunt cogendi," inquit, "presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur."—Hanc Clementis VIII. declarationem, Benedictus XIV. in Bulla "Etsi Pastoralis," de dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis tenendis atque servandis, die 26 Maii 1742, iteravit et confirmavit.—Quare ipse Benedictus XIV. in opere *de Synodo* Diœcesana, libro 8. capite 1. num. 4., referens Pontificum Decreta, quæ citavimus, et praxim Orientalium, quam commemoravimus, concludit: "profecto posse saltem ex commissione, sive expressa sive tacita, Romani Pontificis, a simplici sacerdote præparari materiam aptam ad conficiendum sacramentum Extremæ Unctionis, res videtur exploratissima, quam nemini liceat in quæstionem adducere."

2. Eadem veritas constat ex responso a Papa Pio VI. dato pro quibusdam Galliarum diœcesibus, die 28 Maii 1793. Nam luctuosissimis illis temporibus "postulata interdum fuit [a summo Pontifice] pro aliquo ex vicariis generalibus Diœcesium regni Galliarum et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum et sanctum chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum, et deerat pariter episcopus consecrator tum in Diœcesi carente triplici oleo supra dicto, tum in vicinis Diœcesibus legitimo pastore orbatis."—Huic autem petitioni Pontifex

non annuit, sed non ideo quia olea illa non poterant a sacerdote simplici benedici, verum unice quia *in Ecclesia Latina* facultas ea benedicendi non *solebat* concedi, et aliter poterat necessitati fidelium provideri. Hæc sunt verba Pontificis: "Non expedire facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum præmemoratum, cum deprehensum fuerit *insuetum esse in Ecclesia Latina* hujusmodi potestate simplices presbyteros ab apostolica sede insigniri; a qua quidem regula eo minus recedi non debere judicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem Diœcesibus habere."—Vide responsum inter *Decreta Authentica* edita a Mühlbauer, an. 1865. t. 2. p. 426.

Quarta pars thesis spectat *materiam proximam* Extremæ Unctionis. Et primo, hanc materiam esse ipsam *unctionem* infirmi cum oleo benedicto, patet tum ex illis quæ superius circa rem præsentem adnotavimus, tum etiam ex doctrina a Concilio Tridentino proposita, sess. 14. cap. 1. Etenim Concilium dicit: "Intellexit . . . Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum; nam *unctio* aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter ægrotantis anima inungitur, repræsentat." Porro ex particula causali "*nam*" a Conc. adhibita manifeste apparet Trident. Synodum docere materiam proximam sacramenti, seu partem signi sacramentalis, esse unctionem; nam ex significatione illius unctionis ostendit eam esse partem signi efficacis gratiæ, et statim, quin aliud addat, formam indicat.

Secundo, constat *septem unctiones* in diversis corporis partibus esse præscriptas pro sacramenti administratione. Hæ unctiones, quæ jubentur a Concilio Florentino, Decreto pro Armenis, sunt sequentes: "In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem."—Eædem unctiones in Rituali Romano præscribuntur.

Tertio, constat etiam, *duas postremas unctiones, pedum scilicet et renum, necessarias non esse ad validam sacramenti ministrationem*:—id communiter Doctores ultro fatentur; et unctio renum, honestatis causa, ut monet Rituale Romanum, "omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt."

Quæstio igitur solum movetur circa quinque alias unctiones, quibus quinque sensuum partes perunguntur. Jam vero *hæc quintuplex unctio nobis necessaria non videtur, sed unica esse potest, ut valide sacramentum conficiatur.* Id communior recentiorum theologorum sententia docet, et nos sequentibus argumentis comprobamus.

1. Ex Scriptura non eruitur quinque unctiones ex necessitate sacramenti requiri, sed potius erui videtur unam esse satis. Etenim S. Jacobus dum dicit "*ungentes eum,*" non determinat quot et quæ unctiones sint faciendæ.—Ergo sicut ex aliis verbis, "*baptizantes eos,*" eruitur, necessariam quidem esse ablutionem, sed triplicem immersionem necessario non requiri; similiter ex verbis Apostoli Jacobi mox citatis eruitur *unctionem*, sed non *quintuplicem unctionem*, esse necessariam.

2. Præterea "validum fundamentum" sententiæ quam propugnamus præbet, ut ait Benedictus XIV. (op. cit. cap. 3. num. 3.), "diversa in unctionum numero disciplina." Hæc autem diversitas ex sequentibus documentis, quæ ad exemplum afferimus, evidens erit.

Theodulphus Aurelianensis episcopus, qui obiit anno 821,, in "Capitulari ad presbyteros parochiæ suæ" (Migne P. L. tom. 105. pag. 221.) describens ritum, quo Extrema Unctio tunc temporis administrari debebat, ait: "Post Litaniam dicta Oratione incipiat unctionem, canentibus ceteris psalmos et antiphonam congruentes, et faciat de oleo super eum *duodecim* signa crucis, hoc est: primum inter scapulas magnam crucem usque ad collum et ex transverso usque super scapulas cum Oratione; deinde in collo usque ad cervicem; tertiam super caput usque ad frontem in transverso ab aure usque ad aurem; deinde quartam et quintam in visu, hoc est, in superciliis oculorum; sextam in olfactu, id est, in naso sive in naribus; septimam in gustu, hoc est, in labiis; octavam et nonam crucem in auditu, id est, in auribus deforis; decimam in gutture, undecimam in pectore, duodecimam et decimam tertiam in tactu, id est, in unaquaque manu deforis, reliquas duas in pedibus. Hoc autem numero quindenario facimus cruces de oleo sancto super hominem infirmum propter Trinitatis mysterium et quinque sensuum significationem. Terni enim quinquies quindecim perficiunt. Et quia per parem numerum sæpius sanctificare solitum est, quidam viginti cruces facere super infirmum volunt, et quatuor, id est, tres inter scapulas, tres super scapulas, tres in collo, in cervice, in cerebro;

tres in fronte et superciliis, tres in naribus et labiis, duas in auribus, duas in gutture et pectore, duas in manibus, duas in pedibus. Quidam addunt duas in temporibus, duas in manibus interius faciunt. Quidam in fronte ullius nec in manibus sacerdotis interius crucem de oleo facere oportere dicunt. Sed tamen nihil obest."

Idem Theodulphus paulo post commemorat antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem et dicit: "Apostoli autem ungentes oleo infirmos non amplius quam tres cruces cum oleo super eos faciebant. Unde Græci, qui ipsam traditionem Apostolorum imitantur, similiter tres tantum cruces cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput et vestimenta et totum corpus infirmi, incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextera usque ad brachia, et pectus usque ad sinistram manum, semel dicentes ad ipsas tres cruces: 'Ungo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te, et alleviet te Dominus, et si in peccatis sis, remittantur tibi.' "

In Vita S. Augendi, vulgo Eugendi, Abbatis Jurensis, ab ejus discipulo conscripta, Extremam Unctionem "*in pectore*" solum, "*ut moris erat,*" *tunc* in ea regione, administratam legimus.—Vide opusc. Mabillonii *de Extrema Unctione,* superius cit.

In codice Abbatis Ratoldi, præter unctiones quinque sensuum, additam videmus unctionem "colli, pectoris et scapularum."—In codice Tiliano unctiones præscribuntur: "In collo et gutture et pectore et inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet et quinque sensibus corporis."—In codice Remigio Remensi unctio in pectore omittitur, sed præscribuntur aliæ "super humeros duos et super mentum."—Pontificale Vetus Anglicanum adjungit unctionem *umbilici;* quam commemorant etiam Ritualia Claromontense anni 1508, Burdigalense an. 1561. et quædam alia.—Vide Menardum in notis ad sacram. S. Gregorii M., nota 923. et seq.; necnon Berti, *de Theol. Discipl.* lib. 35. cap. 5.

Demum pro Ecclesia Græca, sæculo XV., Symeo Thessalonicensis testimonium reddidit, dicens (de sancto Euchelæo, c. 290.): sacerdos "oleo ungit in formam crucis frontem ejus propter internas cogitationes sensus liniens in facie, et denique ungit manus, a cogitatis operibusque perversis eum emundans et corroborans oleo sancto signoque crucis, ac prorsus sanctificans."—Et Arcudius aliam recentiorum Græcorum pra-

xim indicans, testatur (lib. 5. de Extr. Unct. capit. 7.): "Sacerdotes Græcos ungere frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes."

Patet igitur diversitatem magnam in Ecclesia quoad numerum unctionum extitisse; quæ diversitas aperte videtur ostendere numerum aliquem unctionum ex consuetudine mutabili Ecclesiarum particularium, non ex necessitate sacramenti, fuisse præscriptum.

3. Præterea, unicam unctionem sufficere ad validam sacramenti Extremæ Unctionis ministrationem demonstrant etiam Ritualia et Pastorales quædam ordinationes.

Et sane in Pastorali Bartolomæi ab Aula, a theologis Lovaniensibus approbata anno 1573., legebatur: "Si videat extremum periculum, ita ut difficulter consuetas posset inungere partes; in pectore vel in fronte eum inungat, dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti accipe sanitatem. Amen. Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per quinque sensus tuos et cogitationes, per Christum Dominum nostrum. Et nota, quod hic modus communiter etiam observatur apud pestiferos propter periculum."—Pastoralis Ordinatio Mechlinensis, an. 1589 statuit: "In morbis contagiosis et peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum ac detectum dicendo: Per istum sanctam unctionem" etc.—In Rituale Parisiensi præscriptum fuerat: "Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, et ceteris precibus prætermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus." Eamdem praxim probant libri Rituales Ecclesiarum Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque.—Et in antiquissimo codice Remigio Remensi, ubi legitur ritus Extremæ Unctionis "*abbreviatus*," unica indicatur unctio facienda. Hæc sunt verba: "*Cum ingravari cœperit* [infirmus] *ad succurrendum*, facta aqua benedicta, dicatur Oratio hæc: 'Domine sancte, Pater omnipotens. . . . . . *Tunc ungatur oleo.* 'Ungo te de oleo sanctificato, ut salveris æternaliter in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen."

Nec illud præteriri debet, nempe, Octavium Frangipani episcopum Tricaricensem, per Germaniam ac Belgium Nuntium apostolicum, in

"Directorio ecclesiasticæ disciplinæ," hæc ad rem nostram declarasse, prout referunt Sylvius, et post eum Benedictus XIV.: "Etsi ordinarie inungenda sint singula singulorum sensuum loca, nec unquam, nisi gravissima necessitas cogat, aliter faciendum sit; constabit tamen sacræ Unctionis Sacramentum, et in ungendo contagioso morbo aut peste laborantem ad evitandum contagionis periculum suffecerit, si inungatur sensus organum ad unctionem magis expositum et detectum dicendo: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum."—Conf. H. Menardum in S. Gregorii librum sacramentorum, nota 923.; et Sylvium in 3. S. Thomæ, suppl. q. 32. art. 6. quær. 2.

4. Ex Concilio Florentino nequit ostendi quintuplicem unctionem, necessitate sacramenti, necessariam esse; nam Concilium illud eodem modo enumerat quinque unctiones corporis sensibus correspondentes, ac unctiones pedum et renum, quæ juxta communem sententiam non sunt essentiales; immo una earum in fœminis semper omittitur, et etiam in viris, qui ob infirmitatem moveri non possunt sine periculo.—Eadem ratione nullum argumentum, quo appareat quinque sensuum unctionem ad valorem sacramenti esse necessariam, deduci potest ex Rituali Romano.—Concilium vero Tridentinum potius favet sententiæ quam defendimus. Etenim non solum Tridentini Patres unctiones multiplices non commemorant, aut innuunt; sed etiam aperte docent, ut vidimus, materiam hujus sacramenti proximam in actione ungendi esse reponendam, "nam *unctio* aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat."—Jam vero repræsentatio hæc in *unica* unctione infirmi sufficienter habetur.

Quæ cum ita sint non immerito affirmari posse videtur unctionem quintuplicem esse quidem præceptam et convenientissimam ad clariorem repræsentationem effectus sacramenti Extremæ Unctionis, sed non absolute necessariam; et sufficere unicam infirmi unctionem cum oleo ab episcopo benedicto, ut signum sacramentale in suis essentialibus constitui queat.


Scholion 1.—Controvertitur inter theologos utrum oleum debeat necessario esse benedictum *in ordine* ad Extremam Unctionem necne. "Utraque sententia," ait S. Alphonsus (Theol. Mor. lib. 6. tract. 5. n.

709.), "est probabilis, unde prima [negans] non potest in praxim deduci nisi in casu necessitatis, quo deest oleum infirmorum;—tunc enim poterit ministrari Extrema Unctio chrismate, vel oleo catechumenorum, sub conditione, ut recte dicunt Viva et. . . . Et si postea haberi possit oleum infirmorum, repetendum est sacramentum, ut dicunt Viva et Croix, utque præscripsit S. Carolus Borrom. Act. Mediol. p. 4."

Verum ad chrisma quod attinet, adnotari debet, nihil detractum iri sacramenti validitati si infirmorum oleo admisceatur aliquid balsami, "modo," ait Benedictus XIV. (de Synodo, l. 8. c. 1. n. 3.), "admixtio tanta non sit, ut destruat exteriorem olei speciem, ita ut non amplius oleum, sed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale censeatur."

In necessitate autem, idest, si forte intra annum oleum ab episcopo benedictum ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, "modico oleo non benedicto," ait Rit. Rom., "in minori quantitate superinfuso, reparari potest."—Et S. C. C., die 23. Septembris anni 1682. declaravit: "Posse oleo benedicto adjungi non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in unaquaque admixtione sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas major non benedicti."—Hanc declarationem iterum confirmavit Pius Papa VI. in responsione, data die 28. Maii 1793. postulationibus quarumdam diœcesium Galliarum, quam antea commemoravimus.

Scholion 2.—Circa numerum unctionum, Benedictus XIV. (op. cit. c. 3. n. 5.) monet: "Quoniam neque de hac quæstione, quæ sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere; sed dumtaxat parochos monebit, ut cum prudenter timent ægrotum discessurum priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronuntiando. . . . . Quin immo in prædicto eventu consultius esse, ut caput . . . . . . sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit Coninck, *de Sacram.* dis. 19. dub. 3. n. 2.—Ne vero parochi hac libertate abutantur, expedit, ut episcopus simul serio eosdem admoneat, a gravis culpæ reatu non excusari, qui, extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus prætermittit."



ARTICULUS TERTIUS

De forma sacramenti extremæ unctionis.

Formam verbis expressam ad sacramentum Extremæ Unctionis conficiendum requiri, manifestum est ex iis quæ demonstravimus in Tractatu *de Sacramentis in Genere* p. 2. a. 2., et in Tractatu *de Pœnitentia*, p. 2. a. 11. p. 293.

Hanc formam a Christo Domino *secundum sensum* determinatam fuisse, patet ex eodem Tractatu *de Sacramentis in Genere*, p. 2. a. 4. Etenim demonstravimus Christum, omnium novæ legis sacramentorum institutorem, ita hæc sacramenta determinasse, ut pro unoquoque eorum signum elegerit duplici elemento sensibili constans aptum ad significandam sacramenti gratiam, illudque immutabiliter permansurum in Ecclesia sua voluerit: et ideo Concilium Tridentinum (sess. 21. c. 2.) declarasse Ecclesiam auctoritate pollere circa ritus accidentales qui in sacramentorum dispensatione observantur, non autem circa eorumdem sacramentorum substantiam; illosque ritus mutare posse, substantiam vero sacramentorum nullatenus posse.—Præterea in articulo 4. mox citato declaravimus quo sensu determinatio a Christo Domino facta materiæ et formæ pro unoquoque sacramento intelligenda sit; ita nimirum ut secundum moralem hominum æstimationem idem manere, vel mutari dicatur signum sacramentale; ac proinde, ut forma ipsa sacramentalis determinata sit "non secundum materialem sonum verborum, neque secundum phrasim grammaticam, sed secundum significationem."

Hæc animadversio dubium expellit quod circa determinatam formam verborum in hoc sacramento posset oriri ex magna formarum ejus varietate:—et simul viam nobis sternit ad componendam litem quæ inter theologos agitatur circa validitatem formæ *absolutæ* seu *indicativæ*. Differentiæ namque in formis inventæ juxta Ecclesiarum et temporum varietates, etsi maximæ videantur, non attingunt ipsam substantialem significationem; et formæ quæ videntur indicativæ, si attente considerentur, deprecationem continent, qua aliis formis deprecatoriis communiter adhibitis assimilantur.

Et hæc omnia ex sequenti thesi patescent.

THESIS III.

Forma sacramenti Extremæ Unctionis est precatio, quæ a sacerdote dum oleo benedicto infirmum ungit pronuntiatur, quæque indicat animam ægri per illum ritum invisibiliter gratia inungi.

Thesis probatur 1.—Ex verbis S. Jacobi "*orent* super eum . . . . . et *oratio* fidei salvabit infirmum."

2.—Ex auctoritate Conciliorum Florentini et Tridentini. Florentinum enim Concilium, Decreto pro Armenis, ait: "Forma hujus sacramenti est hæc: 'Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum' etc. Et similiter in aliis membris." Concilium autem Trident., sess. 14. de Extr. Unct., c. 1., eamdem formam non solum docet, sed et declarat eam indicatam fuisse ab Apostolo Jacobo in verbis mox citatis.—Jam vero forma ab his duobus Conciliis commemorata nonnisi precatio est, quæ a sacerdote dum infirmum inungit pronuntiatur, quæque exprimit effectum Extremæ Unctionis, nempe gratiam ægroto per sacrum unctionis ritum interius collatam.

3.—Ex Rituali Romano, ubi legimus: "Deinde [parochus] intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco *verba formæ* in hunc modum: ad oculos, Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen. Ad aures, Per istam sanctam unctionem" etc.

4.—Ex forma in Ecclesia Græca adhibita, quæ licet in verbis materialiter sumptis valde diversa sit a forma Latinorum, mox citata, eamdem tamen exhibet significationem effectus sacramentalis.—Hæc enim legimus in Euchologio Græcorum, a Goario edito, pag. 417.: "Accipit sacerdos sanctum oleum et Extremam Unctionem suscipientem ungit, sequentem Orationem dicens: 'Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum

corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam; intercessionibus super omnes S. Dominæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercœlestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ ac vivificæ crucis, honorandi gloriosi prophetæ præcursoris et Baptistæ Joannis, sanctorum gloriosorum, et toto orbe celebrium Apostolorum, sanctorum gloriosorum et victoriis clarorum martyrum, et Deiferorum Patrum nostrorum, sanctorum medicorum mercede non conductorum Cosmæ et Damiani, Cyri et Joannis, Pantaleonis et Hermolaï, Sampsonis et Diomedis, Photii et Aniceti, Sanctorum et Justorum Dei parentum Joachim et Annæ, et omnium Sanctorum. Amen. Quia tu es fons sanitatum, Christe, et Deus noster, et tibi gloriam referimus Patri et Filio et Sancto Spiritui; nunc et semper, et in sæcula sæculorum.' "

5.—Eumdem sensum referunt verba "*Orationis ad infirmum ungendum*," quæ ex Libro Sacramentorum S. Gregorii Magni jam retulimus, p. 361.: "Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam. Operare, creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Dei altissimi et Spiritus Sancti. Per eumdem, etc." Hæc Oratio legitur etiam in veteri Pontificali Anglicano; in quo, tamen, præter verba mox relata ex Libr. Sacram. S. Gregorii Mag., hæc alia adduntur: "Quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacrosancti olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute Sanctæ Trinitatis medicatus sive sanatus, pristinam et melioratam recipere merearis sanitatem."

Ejusdem significationis est forma quæ extat in codice Arremanensi, ubi, accepta ampulla cum oleo, sacerdos dicit: "Per istam unctionem et Dei benedictionem mundentur ab omni sorde et contagione peccati, ac sanctificentur manus et os, cor quoque et tactus, odoratus, sensus, visus, auditus et gustus, totumque corpus et anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi," etc. Et postea subditur: "Sic denique ungat ægrotum dicens illas orationes vicissim: 'In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit tibi hæc perunctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis.' Item: 'In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, ungo te de oleo

sancto in remissionem omnium peccatorum in vitam æternam.' Et postea, ad unumquemque sensuum: 'Ungo oculos tuos,' etc."

Diversa in verbis, at non in sensu, est etiam forma quam legimus in codice Ratoldi Abbatis (Migne, P. L. tom. 78. p. 524.): "Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum Apostolum tuum introducere presbyteros Ecclesiæ, et ungere oleo infirmos præcepisti, præsta, quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum N. infirmum de oleo sanctificato ungere et benedicere. Hoc autem quod nos exterius tua chrismata fideliter complectimur, hoc interius spiritaliter divina virtus ac mirabiliter tuæ magnanimitatis operaretur [leg. operetur] virtutem. Per Dominum nostrum. 'Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti hujus olei unctione expietur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Alia.*—Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quidquid delectatione noxia auditus admissum est medicina spiritualis evacuet. Per Dominum nostrum, etc." Et additur postea Oratio similis fere ad verbum illi quam superius retulimus ex Pontifice Gregorio Magno: "Ungo te," ait, "oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spritus Sancti, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum. Sed te inhabitet virtus Christi altissimi et Spiritus Sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacri olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute Sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et melioratam recipere merearis sanitatem. Per eumdem etc."

Similiter significationem eamdem formalem refert forma desumpta ex Pontificali Sancti Prudentii Trecensis, quæ etiam ad verbum invenitur præcepta in Libro Sacramentorum Sancti Gregorii. Vide supra pag. 362.

Brevissima, sed ejusdem pariter sensus est forma, quam sæculo IX., Theodulphus Aurelianensis dicebat a Græcis usurpatam in Extremæ Unctionis ministratione: "Ungo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te, et alleviet te Dominus, et si in peccatis sis, remittantur tibi."

6.—Eodem pacto aliæ formæ, quæ appellantur *indicativæ* et *absolutæ*, deprecationem continent, ac proinde per modum Orationis proferuntur, et *quoad substantiam* ab aliis sane non differunt. Id vero intelligi debet

de *formis* ad conficiendum sacramentum essentialibus, quæ in Ecclesiis quibusdam particularibus aliquando adhibitæ fuerunt; non autem de aliis formis accidentalibus, quæ illis adjungebantur.

Rem egregie declarat S. Bonaventura (in 4. dist. 23. num. 1. q. 4.): "Sicut in aliis sacramentis," inquit, "non sufficit corde credere, nisi fiat professio in verbo exteriori; sic intelligendum est hic, quod non sufficit oratio mentalis sine vocali. Et ideo forma verbi est de integritate sacramenti; forma, inquam, verbi, secundum quod est expressiva orationis fidei: et hoc propter talem institutionem istius sacramenti. Unde nota quod est forma verbi, quæ exprimit actum et intentionem; et talis est per modum indicativum, et non est de sacramenti necessitate, sed congruitate: et hæc in aliquibus Ecclesiis habetur, sed non in Romana, quæ maxime vitat ea, quæ possunt esse occasio deviandi. Et est *forma, quæ exprimit orationem;* et quoniam oratio est per modum deprecativum, *talis forma est deprecativa; et hæc est de necessitate sacramenti hujus, et habetur in omnibus Ecclesiis, quoniam hæc tangitur in institutione hujus sacramenti.* Et quoniam non exprimitur verbum determinatum, sed solum oratio fidei; ideo non oportet quod sit uniformitas in verbo orationis, sed solum quod sit in sensu."

Hinc Seraphicus Doctor sibi proponit difficultatem ex forma Ambrosiana, quæ ita se habet: "Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates;"—et difficultati respondet: "Ad illud quod objicitur, quod non est eadem forma, dicendum quod secundum id quod est necessarium et essentiale sacramento, eamdem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris."—Et reapse particula "ut" et verbum optativi modi in hac forma, sicut in aliis jam supra commemoratis, clare significant ministri sacramenti votum atque preces.

Ita pariter deprecationem involvunt tum forma quæ desumitur ex sacramentali Venetorum, a Leone X., ut fertur, approbato: "Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris," etc.; tum demum forma, quæ ex vetustissimo Libro Sacramentorum Ecclesiæ Catalaunensis profertur a Martene "in nomine Patris, etc. . . . sit tibi hæc porrectio olei sanctificati, ad purificationem mentis, et corporis."—Idem dicendum est de

forma quæ invenitur in Codice Tiliano et de alia quæ est in Codice Remigio Remensi.

Quod si quædam formæ objiciantur, quæ non sunt nisi absolutæ, ut illa quæ extat in antiquo Pontificali Narbonensi: "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regnantis in sæcula sæculorum, accipe sanitatem corporis et remissionem peccatorum ;" aut alia quæ invenitur in veteri Suessionensis Ecclesiæ Rituali, et pronuntiabatur cum sacerdos inungeret aurem dexteram: "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, accipe sanitatem in nomine Domini. Amen :"—reponemus hæc verba, *per se sola*, formam non constituere, sed aliis verbis fuisse adjuncta deprecatoriis, quibus juxta mandatum Domini, a Jacobo promulgatum, Oratio fiebat super infirmum qui ungebatur ;—et hoc dicimus, præscindendo ab alia responsione, qua quis asserere posset in invocatione SS. Trinitatis, *prout fit in ea formula*, deprecationem ministri sacramenti Extremæ Unctionis esse contentam.

Scholion 1.—Ratio cur Extremæ Unctionis forma ad sacramentum conficiendum sit deprecativa, invenitur in ipsa institutione Christi, quæ ex verbis Jacobi Apostoli, et ex Traditione ac magisterio Ecclesiæ nobis innotescit. Verum, hujus institutionis convenientias intelligere et assignare possumus. Tres præcipuæ sunt, quæ proponuntur a S. Thoma in 4. sent. dist. 23. quæst. 1. art. 4. sol. 2. (in Suppl. quæst. 29. art. 8.).

Hæc sunt verba S. Doctoris: "Forma hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, et ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti. Cujus ratio multiplex assignatur: primo, quia suscipiens sacramentum hoc, est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari ; secundo, quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiæ et in solius Dei manu requiescunt: unde et ei per orationem committuntur ; tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti rite peractis, sicut character in baptismo et confirmatione, et transubstantiatio in Eucharistia, et remisssio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis."

Quod autem ait "hoc sacramentum non habere aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti rite peractis," ab eodem Sancto Doctore declaratur in solutione primæ difficultatis, quæ sic se habet: "Videtur quod forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non per deprecativam, quia omnia sacramenta novæ legis habent certum effectum. Sed certitudo effectus non exprimitur in formis sacramentorum nisi per orationem indicativam; ut cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, vel: *Ego te baptizo*, etc. Ergo forma hujus sacramenti debet esse oratio indicativa."

Respondet Angelicus: "Hoc sacramentum, sicut et prædicta, quantum est de se, habet certitudinem; sed potest ex fictione recipientis impediri, etiamsi sacramento se subjiciat per intentionem, sic quod nullum effectum consequatur. Et propter hoc non est simile de hoc, et de aliis sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur."

Scholion 2. — Theologi qui innixi antiquioribus quibusdam formulis in administratione Extremæ Unctionis adhibitis, et non recte intellectis, contendunt *formam absolutam*, seu *indicativam*, sufficere ad hoc sacramentum valide conficiendum, citant pro se Albertum Magnum, invocant ejus testimonium circa *formam indicativam*, quam solam asserunt fuisse præscriptam in antiquissimis Germaniæ sacramentariis, et addunt Sanctum Thomam, docendo formam *mere* indicativam non esse validam, Alberto Magno contradixisse. "Refert Albertus Magnus in 4. dist. 23. articulo 4. tom. 16. pag. 514.," ait Tournely (de Sacramento Extremæ Unctionis art. 2. dico 1.), "se oculis lustrasse antiquissimos Germaniæ Rituales Libros, et in eis se deprehendisse formam sacramenti Extremæ Unctionis *mere* indicativam, quem ritum, inquit, Germani Gregorianum vocabant." Et in eodem articulo, (quær. 4.) addit: "Sanctus Thomas Albertum Magnum impugnans, eam [formam absolutam et indicativam] putat insufficientem et invalidam."—Quod vero Tournely asseruit, et alii repetunt.

At—res plane admirabilis, etsi non infrequens—contraria prorsus huic assertioni est historica veritas. Etenim S. Thomas illud omnino in re præsenti docuit quod a Magistro suo Alberto Magno acceperat; et hic testimonium exhibet de antiquis Germaniæ Ritualibus Libris

quod novam vim addit argumentis allatis ad demonstrandam solius formæ deprecatoriæ in sacramento Extremæ Unctionis validitatem.

Et re quidem vera, Albertus Magnus, loco superius citato, non ad thesim adstruendam et vindicandam, sed *ad objiciendum*, ait (n. 4.): "Multæ Ecclesiæ habent pro forma orationem indicativam, sicut tota Ecclesia Alemaniæ: et dicitur esse Gregorianum illud: ergo videtur, quod ita debeat esse. Præterea, constat mihi, quod antiquissimi libri in illis terris habent indicativam orationem pro forma;"—sed statim addit: "et postea [in illis libris] *subjungitur Oratio.*" Quare prosequitur: "Et hæc sunt verba scripta in libris antiquissimis, quos præ antiquitate vix legere valebam: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et postea sequitur: Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum. Et similiter scriptum erat ad manus, et ad pedes, et ad os et cetera loca unctionis. Ergo videtur, quod ita debeat fieri."

Deinde post propositas rationes pro forma deprecatoria, conclusionem suam statuit (dist. cit. t. cit. pag. 515. col. 1.), et ita loquitur: "Ad id quod secundo quæritur, dicendum quod formalia in actu ministerii hujus sacramenti, sunt duo, sed unum refertur ad aliud. Cujus ratio potest esse: quia istud sacramentum est exeuntium viribus propriis destitutorum, et in quantum quidem sacramentum, *de bene esse* habet indicativam orationem: in quantum autem exeuntium qui soli gratiæ divinæ committuntur, *de esse* habet orationem deprecativam."

Insuper in solutione difficultatis, quæ desumebatur ex varietate formarum, inquit (p. 514. col. 2.): "Dicendum quod est *una* forma sacramentalis, quæ uno modo tenetur ab Ecclesia: et illa est formalis et substantialis. . . . Et in alia quæ dispositio quædam est, usus Ecclesiæ est difformis, *eo quod illa est de bene esse* potius quam de esse: unde illa objectio falso innititur."

Et eodem modo solvit difficultatem desumptam ex libris Ritualibus Germaniæ (pag. 515. col. 1.): "Ad aliud dicendum, quod antiqui in Ecclesiis illis volebant apponere quidquid est de esse et de bene esse sacramenti: et bene puto, quod melius est ita facere, quam tantum alterum [de esse sacramenti] apponere. Sed si non apponatur, [illud quod est de *bene esse*] grave esset dicere, quod non celebretur sacramentum: quia multæ Ecclesiæ non apponunt, et quidam etiam magnæ

auctoritatis ordines." Ostenderat autem prius, cum rationes afferret pro forma deprecativa, "usum aliarum Ecclesiarum, quæ habent tantum deprecationem illam, Per istam unctionem etc., vel, Per istam suavissimam unctionem, etc."

Denique rationes congruentiæ exponit propter quas in hoc sacramento non indicativa, sed deprecativa forma adhiberi debet; et concludit: "ille modus est formalior, qui in sacramento in efficienda re sua est competentior; et ille est deprecativus, ut dictum est;"—et paulo post: "quod in aliis quibusdam sacramentis aliter est: quia illa exhibentur ei qui manet in Ecclesia, et ab Ecclesia disponitur: et ideo circa illum magis significatur esse operatio ministrorum in sacramentis: sed iste præsumitur esse in statu transeuntis ad dispositionem divinam: et ideo Ecclesia faciendo quod potest, committit eum divinæ dispositioni. . . . . Et quia istud sacramentum transmittit istum ad divinæ misericordiæ operationem: ideo forma sua est per modum deprecationis ad misericordiam, operationem sacramenti perficientem. Et per hoc patet solutio ad totum."

ARTICULUS QUARTUS

De ministro sacramenti extremæ unctionis.

Solum sacerdotem esse ministrum Extremæ Unctionis definivit Concilium Tridentinum, sess. 14. can. 4. ubi legitur: "Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; A. S."

Unus autem sacerdos sufficit ad hoc sacramentum conficiendum. Verum licet unus, juxta catholicam doctrinam, certe sufficiat, apud Græcos tamen in ministratione Extremæ Unctionis septem sacerdotes adhibentur, ut constat ex Græcorum Euchologio, aut si septem sacerdotes præsto non sint, saltem tres, ut refert Arcudius.

In ipsa Latina Ecclesia plures sacerdotes fuisse olim adhibitos ad Extremam Unctionem administrandam ex indubiis documentis historicis clare deducitur.—Et sane Sacramentarium S. Gregorii hoc innuit;

idque testantur codices Rotradi, Remensis, et Tilianus, in quo expresse legimus: "Et sic perungunt singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato." Alii antiqui Libri Rituales idipsum confirmant; et eamdem praxim indicant Constitutiones Odonis Parisiensis, sæculo XII. editis (Collect. Harduini tom. 7. col. 1941.), in quibus statuitur: "Cum reverentia deferatur Oleum Sanctum ad infirmos, et eos ungant *sacerdotes* cum magno honore et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ."—Demum hanc disciplinam in quibusdam Diœcesibus retentam fuisse sæculo XIII. et ultra ostendunt Synodalia statuta a Martenio edita.

Hanc vero Ecclesiæ Latinæ praxim, numquam fuisse universalem, et infirmos sæpe ab unico sacerdote fuisse inunctos, patebit ex dicendis in thesi quam hic adjicimus.

THESIS IV.

Soli sacerdotes sunt ministri sacramenti Extremæ Unctionis; quod licet a pluribus presbyteris aut episcopis administrari possit, semper tamen ab unico etiam sacerdote valide conficitur.

Prima pars thesis probatur. 1. Ex verbis S. Jacobi "*Inducat presbyteros Ecclesiæ.*" Etenim hoc loco nomine *presbyterorum* non intelliguntur *ætate* seniores, aut primarii magistratus civiles, sed illi qui propter *sacerdotalem dignitatem* sunt majores; tum quia in Scripturis N. T., ubi de muniis Ecclesiasticis sermo est, *presbyteri* appellantur qui ordinatione ad sacerdotium evecti fuerunt, ut patet Act. XIV. 22.; XVI. 41.; Tim. V. 17.; Tit. I. 5.; I. Petr. V. 1. etc.;—tum quia contextus ipse verborum Jacobi idipsum evincit.

Nam *a*)—ad infirmos fideles inungendos, non dicit Jacobus solum esse *presbyteros* advocandos, sed *presbyteros Ecclesiæ;* et per hoc additum designat eos qui ad Ecclesiæ regimen, et ad ministerium in Ecclesia sacrum, specialiter consecrati sunt; ideoque sacerdotes. *b*)—Presbyteri jubentur *orare super* infirmum, *ungendo eum in nomine Domini;* et *remissio peccatorum* per eorum ministerium obtinenda promittitur: quæ utique *presbyteros* ratione dignitatis et ordinationis sacerdotalis spectare possunt; sed non eos, qui ob provectam ætatem aut magistratum civilem presbyteri vocabantur.

Ceterum, et ipse Grotius in Comm. in Ep. Jacobi fassus est, Apostolum hic nomine *presbyterorum* appellare sacerdotes, et hos apertissime significari in versione Syriaca. Nec Rosenmüllerius (in Epist. Jacobi v. 14.), aliique Protestantes admittere renuunt falsam esse interpretrationem illorum qui in verbis Jacobi viros ætate maturos intelligebant.

2. Solos sacerdotes esse ministros Extremæ Unctionis probatur secundo loco ex Traditione. Nam Patres non alium hujus sacramenti ministrum indigitant, quam sacerdotes; in Libris Ritualibus nonnisi sacerdotibus præscribitur quid in Extrema Unctione conferenda observare debeant; si historiæ perlegantur nullum in toto sæculorum decursu exemplum inveniri poterit Extremæ Unctionis ab aliis præterquam a sacerdotibus administratæ.—Hinc Concilium Florentinum, juxta perpetuam Ecclesiæ Traditionem, in Decreto pro Armenis pronuntiavit: "Minister hujus sacramenti est sacerdos;" et Tridentina Synodus (sess. 14. cap. 3.) docuit non obscure fuisse in verbis Jacobi significatum "proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum presbyterii."

3. Licet ratio a priori ob quam soli sacerdotes sint sacramenti hujus ministri in institutione Christi reperiatur, quam nobis Apostolus Jacobus et Ecclesiæ magisterium tradiderunt, convenientissimas tamen rationes hujus institutionis intelligere possumus. Etenim "congruentia optima est," inquit Suarez (d. 43. s. 1. n. 3.), "quia hoc sacramentum ordinatur suo modo ad sanctificandos fideles: potestas autem sanctificandi fideles est propria sacerdotum, per se loquendo, pertinetque ad potestatem in corpus Christi mysticum, et ideo etiam administratio hujus sacramenti eorum est propria. Estque hoc etiam consentaneum sanctitati sacramentorum, per se enim requirunt sacros ministros ad id muneris specialiter consecratos, excepto baptismo propter specialem necessitatem, et matrimonio propter specialem ejus naturam: in hoc autem sacramento nulla est peculiaris ratio, quæ talem exceptionem postulet. Dices: etiam Diaconus est minister consecratus. Respondetur, non tamen sufficienter ad hoc sacramentum ministrandum, quia nec habet potestatem in corpus Christi verum; nec ad remittenda peccata; et ideo nec per se habet potestatem in corpus mysticum, ad san-

ctificandum illud, et remittenda peccata etiam mortalia, quod interdum per hoc sacramentum fit. Unde etiam obiter verisimile fit, potestatem hanc ministrandi hoc sacramentum, tunc maxime datam fuisse Apostolis, quando ordinati sunt quoad potestatem remittendi peccata. Jo. 20. Non expediebat autem hoc ministerium reservari episcopis, tum quia, ut ex Innocentio retulimus, aliis gravioribus occupationibus impediendi erant, nec tam facile poterant in omnibus oppidis inveniri; tum etiam quia si judicium de peccatis per pœnitentiam sacerdotibus commissum est, merito etiam sacramentum hoc, quod veluti consummativum est pœnitentiæ, eisdem committitur."

Objici posset Decretum S. Innocentii I. superius relatum (p. 359.), in quo legitur oleo Extremæ Unctionis "omnibus uti christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo."—Sed huic difficultati jam, etsi obiter, responsum dedimus. Summus Pontifex, verbis citatis, *non dicit omnes fideles in sua aut suorum necessitate posse sibi aut suis sacramentum Extremæ Unctionis administrare; sed concedit fidelibus laicis posse, in suis aut suorum necessitate, oleo Extremæ Unctionis uti, devotionis causa, ad sanitatem corporis a Deo impetrandam.* Cum enim viderent fideles, Extremæ Unctionis beneficio, plures infirmos in pristinam restitui sanitatem, cœperunt eodem sacro oleo uti, sed absque omni forma sacramentali, atque eo ferme modo, quo aqua benedicta nunc frontem tingimus, et olim fideles aquam etiam baptismalem ad curandos morbos adhibebant. De hac unctione mere ceremoniali nonnulli antiqui scriptores loquuntur, ut Ruffinus, Palladius, Severus Sulpicius in vita S. Martini, S. Gregorius Turonen. in vitis Patrum. Quod etiam, immo clarius, ut notat Bened. XIV. (*de Syn.*, l. 8. c. 4. n. 2.), constat ex Vita S. Gothardi episcopi (apud Surium, die 4. Maii), qui presbytero jussit ut cujusdam mulieris, oculorum morbo laborantis, "sacro oleo, quod infirmorum dicitur, ungeret oculos; quæ quidem unctio, et sancti viri preces, ab illo dolore, usque ad vitæ finem, eam immunem conservarunt."

Insuper, textus S. Innocentii mox citati aliam etiam interpretationem catholicam admittit, quæ Bellarmino, Baronio et Suaresio magis placet. Etenim Doctores isti arbitrantur Summum Pontificem non de unctione *activa*, sed de *passiva* locutum fuisse, id est, *non de collatione, sed de susceptione sacramenti;* et aiunt: cum aliquibus persuasum fuerit oleo

Extremæ Unctionis solos inungi posse sacerdotes, eo pacto quo sacræ unctiones in nova etiam lege quædam sunt regum et sacerdotum propriæ; ad hunc refellendum errorem, Innocentium Papam docuisse oleum infirmorum benedici quidem ab episcopo, non ita tamen ut ipse solus, aut soli sacerdotes, verum etiam ut omnes Christiani in discrimine vitæ positi, eo oleo ungantur.

Testimonia, quibus Basnagius et Launoius conati sunt ostendere interdum a diaconis, immo etiam ab ipsis laicis in casu necessitatis, Extremam Unctionem administratam fuisse, nullius sunt valoris, utpote quæ ad rem non faciunt. Etenim inter loca citata ab illis auctoribus, ea quæ oleum infirmorum respiciunt, vel referri debent ad unctionem ceremonialem pro sanitate a Domino impetranda, de qua modo locuti sumus; vel spectant desiderium quo ægri *petere debebant Extremam Unctionem* a sacerdotibus ministrandam; sed nullo pacto affirmant *potestatem laicis factam illam administrandi.*

Cum Ven. Beda, scribens in c. 5. Epistolæ Jacobi, infirmos monet ut "seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores, minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant," loquitur de confessione, ut patet ex his verbis; et merito consulit, quantum ad hoc, accedendum esse ad seniores potius quam ad juniores et minus doctos. Intelligebat enim Beda, textum Jacobi non solum de Extrema Unctione, sed etiam de sacramento pœnitentiæ propter verba quæ sequuntur: "Confitemini alterutrum peccata vestra;" ac proinde hæc verba "*infirmatur quis,*" etc., interpretatur non solum de corporis, sed etiam de animæ infirmitate. At paulo post verba quæ objiciuntur, dicit: "*Orent super eum ungentes oleo. . . .* Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur *a presbyteris,* et oratione comitante sanentur."

Secunda pars thesis, qua dicimus unicum sacerdotem sufficere ad validam sacramenti Extremæ Unctionis ministrationem, probatur

1. Quia ex verbis Jacobi "*inducat presbyteros Ecclesiæ*" præceptum divinum deduci nequit, quod statuat ad Extremam Unctionem conferendam esse plures presbyteros adhibendos. Jam enim superius animadvertimus (p. 358.) numerum pluralem pro quolibet de eodem cœtu usurpatum fuisse, ideoque Apostolum Jacobum hac locutione: "*inducat presbyteros Ecclesiæ*" significasse, aliquem de presbyteris Ecclesiæ esse advocandum. Simili pacto dicimus peccata aperienda esse sacer-

dotibus in sacramento pœnitentiæ, cum uni tantum sacerdoti sacramentalis peccatorum accusatio fiat.

2. Quia Traditio manifeste ostendit antiquioribus etiam sæculis ab uno tantum episcopo, vel ab unico sacerdote Extremam Unctionem fuisse valide administratam. Et sane Innocentius I. in Epist. ad Decentium, sæpius citata, dicit: "Ceterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem [infirmum] a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest cujus est ipsum chrisma conficere." Innocentius ergo nullum agnovit divinum præceptum, statuens plures sacerdotes pro Extremæ Unctionis sacramento necessarios esse; secus non uni episcopo hanc administrationem permisisset. Quod si ab uno tantum episcopo valide sacramentum illud confici potest, unius etiam sacerdotis ministerio valide conficitur, cum ejusdem sacramenti minister sit non modo episcopus, sed etiam sacerdos.

Præterea plura exempla Extremæ Unctionis ab unico sacerdote administratæ, antiquis etiam temporibus, referuntur. Ita Sanctus Gregorius Turonensis (l. 1. Hist. c. 41.) refert, Artemium, febre correptum, ab uno S. Nepotiano visitatum atque oleo sancto perunctum fuisse. In vita S. Eugendi, qui sæc. VII. floruit, legitur: "Vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim perungendi infirmos onus injunxerat, secretissimo quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi." Et his similia in historiis aliorum Sanctorum, in Concilio Aquisgranensi II. can. 5.; in capitulis Hincmari Remensis, capit. 10., et in aliis ecclesiasticis documentis, quæ referre hic non vacat, exempla plurima inveniuntur.

3. Quia Alexander III. cap. *Quæsivit* (lib. 5. Decr. tit. 40. *de verb. significat.* cap. 14.) declaravit: "Nos igitur tibi taliter duximus respondendum, quod sacerdos uno præsente clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere."—Juxta quam Pontificis declarationem, S. Thomas (lib. 4. contra Gentes, capit. 73.) dicit convenienter hoc sacramentum pluribus sacerdotibus adsistentibus ministrari, "si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, et cujus personam gerit."

Idipsum infertur ex Conciliis Florentino et Tridentino, quæ, locis alibi citatis, non plures sed unum tantum semper memorant Extremæ Unctionis ministrum.—Et hoc etiam apertissime constat ex Rituali Romano, necnon ex moderna Ecclesiæ Latinæ praxi universali.

Scholion.—Quæri potest an *quilibet* sacerdos, quin aliam potestatem accipiat præter illam sibi traditam in ordinatione sua sacerdotali, sacramentum Extremæ Unctionis conficere valeat. Respondemus cum Suaresio (disput. 43. sect. 1. numero 4.): "Ut sacramentum *validum* efficiat, quemlibet sacerdotem simplicem esse sufficientem ministrum, quia sacramentum hoc non pendet quoad substantiam nisi ex potestate Ordinis sacerdotalis; hanc autem integram habet quilibet sacerdos simplex, ut de fide certum est. Prior propositio certissima est, quia hoc sacramentum non confertur per modum judicii, sed per modum cujusdam sanctificationis, et medicinæ; ergo per se, et essentialiter non requirit potestatem jurisdictionis; ergo solam postulat potestatem Ordinis: nam præter has duas non potest fingi alia potestas, seu conditio simpliciter necessaria."

Nec dicatur, sacramentum Extremæ Unctionis conferri ad modum spiritualis curationis, quæ, ut actus pastoralis officii, videtur requirere in conferente jurisdictionem. Huic difficultati respondetur, rationem allatam solum ostendere ad licitam hujus sacramenti administrationem requiri licentiam pastoris, nullatenus vero probare necessitatem hujus licentiæ ad sacramenti validitatem; nam Extremæ Unctionis ministratio, ut bene notat idem Suarez (loco citato), "nec est actus ligandi, aut solvendi, nec proprie actus superioris: et quamvis hoc sacramentum interdum remittat peccata, id tamen nec est per se primo, nec per modum absolutionis, seu sententiæ."

Diximus *ad licitam* hujus sacramenti administrationem requiri ut licentia pastoris obtineatur; nam nulli fas est sine Parochi licentia Extrema Unctione infirmos ungere. "Quin immo," ait Benedictus XIV. (*de Synodo*, lib. 8. cap. 4. n. 7.), "Religiosi, qui nulla petita a Parocho venia, sacramentum Extremæ Unctionis administrare præsumunt, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem incidunt Sedi Apostolicæ reservatam, uti habetur in Clementina I. *de Privilegiis:* quam quidem Clementinam cum tanta severitate, post Archidiaconum, accipit Navarrus, manual. cap. 27. n. 102., ut asserat, eadem censura irretiri Regulares Extremam Unctionem ministrantes ægroto, etiam constituto in mortis articulo, cumque Parochus abest. Sed jure ac merito Navarri opinionem refellunt Soto . . . aliique passim; etenim, cum Ecclesia, urgente mortis periculo, cuilibet sacerdoti potestatem fecerit absol-

vendi a quibuslibet censuris, et peccatis, verosimile certe non est, quod cuipiam sacerdoti interdixerit, ne in eodem statu, ac vitæ dicrimine constituto, cum Parochus abest, administret Extremam Unctionem, quæ est perfectio, et complementum Pœnitentiæ, neque ad sui validitatem requirit in ministro potestatem jurisdictionis, sicuti sacramentum pœnitentiæ. Quare S. Carolus Borromæus, etsi Parochorum jura studiose semper tutatus fuerit, nihilominus in Concilio Mediolanensi V. p. 1. Actor. Eccl. Mediolan. pag. 223., deficiente Parocho, cuilibet sacerdoti integrum esse voluit sacro oleo inungere infirmum in mortis periculo constitutum, inquiens: 'Ne alius sacerdos, nisi Parochus, hoc sacramentum ministret: si porro is impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat; tunc sacerdos alius ministret, licet.' "

ARTICULUS QUINTUS

De effectibus sacramenti extremæ unctionis.

Concilium Tridentinum, sess. 14. c. 2., docet: "Res et effectus hujus sacramenti illis verbis [Jacobi v.] explicatur: 'Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.' Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur."

Hos inter quinam est sacramenti Extremæ Unctionis effectus primarius, respondens fini quem primo in institutione ejus Christus intendit?

Huic quæstioni, juxta communiorem, magisque probatam sententiam, respondet

THESIS V.

Sacramentum Extremæ Unctionis institutum est primo ad confortandam animam hominis graviter ægrotantis; ideoque primarius hujus sacramenti effectus est augmentum gratiæ sanctificantis cum jure ad gratias actuales, quæ ad levandum et roborandum ægrum valeant; ita ut, spe firma, labores et infirmitatis molestias alacrius ferat, depositum suum, quandocumque illud Dominus repetere voluerit, libenter reddere sit paratus, et tentationes dæmonis, tunc ei vehementius insidiantis, facilius superet.—Finis autem secundarius ejusdem sacramenti est ultimo disponere animam ad introitum gloriæ; ac proinde effectus ejus secundarius est peccatorum, si quæ adhuc sunt, remissio, et reatus pœnæ, juxta dispositionem suscipientis, imminutio aut deletio.—Demum Extrema Unctio, ubi saluti animæ expedierit, sanitatem etiam corporis ægroto confert.

Prima pars thesis, probatur 1.—*Ex ratione theologica.* Etenim Christus hominibus sanis et valentibus per cetera sacramenta satis consuluit, auxilia in iis maxima præparando, queis se adversus tela hostium integros conservent. Opus ergo adhuc erat, ut firmissimo hoc Extremæ Unctionis præsidio munirentur graviter ægrotantes eo tempore, quo et vires corporis deficiunt, et dæmon omnes versutiæ suæ nervos contra eos intendit.—Hinc hujus sacramenti proprius effectus consistit, non in solo augmento gratiæ sanctificantis, quod omnia sacramenta vivorum conferunt; sed in gratiæ sanctificantis augmento cum jure ad specialia gratiæ actualis auxilia, fini ejusdem sacramenti, quem indicavimus, accomodata.—Atque hæc ad tres præcipuos effectus dari videntur; primo, ad roborandam spem maxime in articulo mortis ægroto necessariam; quod et Concilium Tridentinum docuit, dicens hoc sacramentum "ægroti animam alleviare et confirmare, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando:"—secundo, ad hilaritatem et alacritatem animi concipiendam, qua infirmus morbi ærumnas facilius toleret; ut idem Concilium declaravit, docens gratiam per sacramentum Extremæ Unctionis conferrri, qua "infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert:"—tertio demum, ad superandas dæmonis tentationes, ut in verbis ejusdem Concilii superius citatis admonemur.—Effectuum horum typus est ipsa exterior sacra unctio, cum oleum et lumini pabu-

lum præbeat, hilaritatem afferat, ad mitigrandos dolores magnopere proficiat, vires defatigati corporis recreet, et luctatores ac pugiles ad certamen disponere soleat.

2. *Ex Conciliis* Florentino, Coloniensi et Tridentino.—Etenim Concilium Florentinum effectum primarium sacramenti Extremæ Unctionis, quem vindicamus, indicavit dicens, Decreto pro Armenis: "Effectus vero [hujus sacramenti] est mentis sanatio; et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis."—Concilium Coloniense I. p. 7. cap. 49., idem significavit, dicens: "Restat Extrema Unctio, quæ, quoniam in morte extrema est, adhibetur, ut vel convalescat ægrotus, si Deo ita visum, vel fide, bonaque spe obdormiat in Domino."—Concilium vero Tridentinum indubie finem quem defendimus institutionis hujus sacramenti primarium expressit, et consequenter effectum ejus primarium, cum in Procemio de Extrema Unctione, ea quæ circa hujus sacramenti institutionem tenenda sunt, apertissime ita sancivit: "Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit."

3. *Ex doctrina S. Thomæ.* Dilucide, more suo, S. Doctor primarium Extremæ Unctionis effectum ita declarat (Suppl. q. 30. a. 1.):

"Respondeo dicendum quod quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati. Unde sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita et Extrema Unctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramen-

tum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur; scilicet contra peccatum originale, vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ: et hic defectus nihil aliud est quam quædam debilitas, et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali: et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. . . . . Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: 'Si in peccatis sit, dimittentur ei,' scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam *reliquias peccati* dicunt."

4. *Ex refutatione aliarum opinionum.* Etenim

1.—*Admitti nequit* extremam Unctionem *per se* et *primario* institutam fuisse ad peccatorum mortalium remissionem. Nam communis et constans Ecclesiæ doctrina est, duo tantum esse sacramenta mortuorum, nempe baptismum et pœnitentiam: ergo Extrema Unctio per se, atque ex primaria Christi institutione, peccata mortalia non remittit; secus enim esset sacramentum mortuorum.—Quare Catechismus Concilii Tridentini, p. 2. de Extrema Unctione, c. 28., ait: "Docebunt pastores, hoc sacramento gratiam tribui, quæ peccata, et in primis quidem leviora et, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpæ pœnitentiæ sacramento tolluntur: neque enim hoc sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed baptismus tantum, et pœnitentia vi sua hoc efficiunt."

2.—*Nequit* etiam *admitti* sacramentum Extremæ Unctionis *per se* et *primario* ad delenda peccata venialia institutum fuisse. Et sane

a) Sacramentum pœnitentiæ est *per se* institutum ad remissionem venialium peccatorum, et licet non sit ita medium necessarium ad tollenda venialia sicut mortalia, delet tamen illa per se et ex vi suæ institutionis, sicut mortalia. Sunt enim hæc duo valde distincta, ut per se patet; et defensores sententiæ quam impugnamus id fateri tenentur: nam etsi dicant, Extremam Unctionem esse per se primo institutam ad remissionem venialium peccatorum, non dicunt, nec dicere possunt,

eam esse medium necessarium ad remissionem illorum peccatorum. Certe, ut sit medium necessarium, oportet ut illud sit causa unica hujus effectus; ut vero sit per se institutum, satis est, illud esse causam per se, et ex propria institutione ad hunc effectum producendum efficacitatem habere: potest autem esse causa per se, licet non sit unica, nec necessaria, ut per se notum est. Sacramentum ergo pœnitentiæ per se institutum est ad remissionem venialium, quæ sunt sufficiens materia confessionis, et per se ac directe tolluntur per sacramentalem absolutionem. —At si ita res se habet, non debuit aliud sacramentum per se primo institui propter hunc effectum: maxime cum non esset futurum medium necessarium ad illum, et essent multa alia remedia, quibus tolli possunt peccata venialia, vel ex dispositione operantis, vel ex opere operato secundario, et quasi per accidens.—Ergo sacramentum Extremæ Unctionis non fuit *primario* institutum ad delenda peccata venialia.

b) Præterea, si hoc sacramentum per se et primario esset institutum ad delenda peccata venialia, non debuisset ad tempus infirmitatis differri, sed suscipi posset a sanis et semper ac peccata venialia commissa fuerint; id autem evidenter falsum esse constat ex omnibus hucusque dictis. At, reponunt defensores hujus sententiæ, sacramentum Extremæ Unctionis institutum fuit ad perfectam curationem peccatorum venialium; quæ, quandiu vita durat, nequit fieri, cum homo semper in hac mortalitate committat peccata levia, in fine tamen vitæ obtineri potest; et ideo institutum fuit ut remedium applicandum tantum in fine vitæ. Verum, si hæc ratio valida esset, non esset sacramentum hoc ministrandum nisi post hanc vitam, vel saltem in extremo vitæ articulo, ita ut simul cum illo vita finiretur: porro has consecutiones falsas esse nemo non videt. Et "præterea," notat Suarez (disp. 41. sect. 1. num. 4.), "quando aliquod remedium instituitur ad remissionem peccatorum, non respicit per se tempus futurum, sed præteritum, ideoque ad illud applicandum non oportet, ut talia peccata iterum committi non possint: sed satis est, quod sint commissa, et possint deleri."

c) Denique defensoribus sententiæ quam impugnamus non prodest asserere Extremam Unctionem institutam fuisse primario ad remissionem venialium, non quatenus in se considerantur, sed quatenus impediunt quominus homo cœlum statim ingrediatur; sub qua ratione peccata venialia proxime quando jam homo est in periculo mortis con-

siderantur. "Contra hoc est," inquit Suarez (loco citato, num. 5.), "tum quod non solum veniales culpæ, sed etiam reatus pœnæ temporalis impedimentum est, ne homo statim evolet: ergo eadem ratione dicendum erit fuisse hoc sacramentum per se primo institutum ad remittendas temporales pœnas. Tum etiam, quod inde fieret in omni mortis periculo sumendum esse hoc sacramentum, etiamsi non ex ægritudine, sed aliunde ex violenta, vel naturali causa extrinseca proveniat, quod tamen falsum est, ut infra videbimus. Et sequela patet, quia tunc est eadem occasio, in qua finis et ratio sacramenti hujus æque intercedit. Tum maxime, quia etiam in articulo mortis sacramentum pœnitentiæ applicari potest, et per se tollere illud impedimentum evolandi in cœlum : ergo etiam propter hoc non oportebat aliud sacramentum per se primo institui."

3. *Nequit admitti* sententia eorum qui asserunt sacramentum Extremæ Unctionis fuisse primo et per se institutum ad tollendas *peccatorum reliquias, si nomine harum reliquiarum intelligunt reatum pœnæ temporalis ;* nam hic effectus per se non requirit infusionem gratiæ, ac proinde sacramentum, quod est signum practicum gratiæ, non potest dici ad hujusmodi effectum per se et primario producendum fuisse institutum. Et insuper huc pariter faciunt rationes adductæ ad refutandam opinionem eorum qui contendunt Extremam Unctionem fuisse primo et per se institutam ad remissionem peccatorum venialium.

Si autem nomine reliquiarum peccatorum significatur spiritualis quædam debilitas, contra quam infirmus in periculo mortis constitutus per sacramentum Extremæ Unctionis roboratur, ut valeat molestias infirmitatis levius ferre, et tentationes dæmonis facilius vincere ; sententia hæc non differt ab ea quam propugnamus.

4. Demum *nequit admitti*, ut patet, sacramentum Extremæ Unctionis primario fuisse institutum ad *conferendam corporis sanitatem :*— sacramenta enim ad sanctificationem animæ, non ad salutem corporis, primario sunt instituta ; et sanitas corporis per Extremam Unctionem a Deo nonnisi prout bono animi expedit ægro confertur. Ceterum hanc opinionem ex catholicis doctoribus nemo defendit.

Secunda pars thesis statuit secundarium effectum sacramenti Extremæ Unctionis esse peccatorum, si quæ adhuc maneant expianda, remis-

sionem, et pœnæ temporalis pro peccatis debitæ imminutionem vel etiam, secundum dispositionem subjecti, perfectam relaxationem.

Et revera Extremam Unctionem peccata adhuc non absoluta remittere patet ex verbis Jacobi "*Et si in peccatis sit remittentur ei ;*—ex forma sacramenti in qua oramus Deum ut per sacram unctionem piissime indulgeat ægro quidquid deliquerit ;—ex Traditionis documentis hucusque r ecitatis, in quibus veritas hæc diserte asseritur ; — ex modo loquendi Patrum, qui Unctionem infirmorum appellant *pœnitentiæ complementum ;*—ex expressa demum definitione Concilii Tridentini, in sess. 14. cap. 2. docentis : "Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias, abstergit ;" et can. 2. statuentis: "Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata . . . . . anathema sit."—Præterea remissionem peccatorum non esse nisi effectum secundarium hujus sacramenti jam in prima parte thesis demonstravimus.

Superest igitur ut declaremus quænam sint peccata quæ per Extremam Unctionem absterguntur, et quo pacto hæc per sacramentum Deus remittat.

Ad primam quæstionem quod attinet, respondemus peccata quæ per Extremam Unctionem delentur non solum esse venialia sed et mortalia. Id eruitur ex verbis Jacobi, quæ nullam limitationem præseferunt, "*si in peccatis sit ;*"—evidens est ex testimoniis Patrum superius commemoratis ;—confirmatur declaratione amplissima Tridentini "*delicta si quæ sint adhuc expianda ;*"—exprimitur forma ipsa sacramenti "*quidquid deliquisti ;*"—a benignissima Dei nostri misericordia in urgentissimo salutis æternæ discrimine postulatur.

At omniane peccata mortalia Extrema Unctio abstergit, etiam illa quæ ut talia cognoscuntur, et absolvi possent in sacramento pœnitentiæ, aut perfecta contritione cum sacramenti pœnitentiæ voto deleri? Minime sane ; sacramentum enim Extremæ Unctionis nonnisi graves culpas illius qui jam aliis mediis a Deo institutis ad peccata lethalia dimittenda adjuvari non valet abstergit. Nam potest fieri ut quis post confessionem et communionem in peccatum mortale incidat, et ignoret se illo teneri, ideoque ejusdem peccati absolutionem quærere nequeat, aut contritionem perfectam de illo elicere ; potest etiam contingere ut confessionem et communionem non rite peregerit, et hoc ipsum ignoret ; potest similiter evenire ut quis putet se esse contritum, et non sit nisi

attritus, vel invincibiliter existimet attritionem sufficere. In his ergo casibus, cum in suscipiente supponatur attritio, peccata quæ adhuc ei remissa non fuerant, sacramento Extremæ Unctionis delentur, et in eis impletur illud Jacobi "si in peccatis fuerit dimittentur ei," quod a Concilio Tridentino his verbis declaratur: "delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit." — Immo Extrema Unctio peccata mortalia illius etiam delet, qui absque actuali usu rationis sacramentum suscipit, si tamen antequam usum rationis amiserit, attritus erat. Quæ omnia S. Carolus Borromæus in Instructione de Sacramento Extremæ Unctionis (Act. Conc. Mediol. p. 4. p. 541.) complexus est, cum exponens hujus sacramenti effectus, dixit: "Utilitas et effectus hujus sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tamquam complementum sacramenti pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur . . . quæ post alia sacramenta remanent. Potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus."

Ut autem doctrinæ quam proposuimus veritas manifesta appareat, et intelligatur quo sensu possit sacramentum hoc aliquando facere hominem de attrito contritum et infundere primam gratiam, attendantur declarationes optimæ a Suaresio traditæ (disp. 41. sect. 1. n. 19.), quas hic, saltem ex parte, referre juvabit:—

"Circa modum quo hoc fiat," inquit, "cavenda sunt extrema. Primum enim non opinor facere hoc sacramentum ex attrito contritum eum, qui sciens et videns accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione, et absque sacramento pœnitentiæ, etiamsi per eum non stet confessio, sed confiteri non possit; quia saltem per eum stat quominus contritus accedat: semper enim conteri potest, et ad hoc tenetur, per se loquendo, nec excusatur ratione ignorantiæ, ut supponimus, nec ratione hujus sacramenti, quia ipsum, per se loquendo, est sacramentum vivorum, licet debilium; et ideo per se supponit gratiam, nec ex directa intentione institutum est ad illam primo conferendam: est ergo contra institutionem hujus sacramenti, quod quis sciens et videns se esse mortuum, id est, in statu peccati mortalis, ad illud accedat, quantumvis sit attritus. Item secluso sacramento pœnitentiæ, aut baptismi, obligat naturale præceptum contritionis: quia illud erat per se medium necessarium ad remissionem peccati, cujus necessitas non cessat, nisi interve-

niente alio medio ad eundem finem per se primo institutum, quod de hoc sacramento, sicut de aliis dici non potest, alias tam esset per se institutum sacramentum in remedium peccati, sicut pœnitentia, quod plane falsum est. Tandem hoc significatum est in illa conditionali locutione Jacobi, et Trid. 'Si in peccatis sit, etc.' quæ maxime propter mortalia posita est, ut declaravimus: indicatur ergo solum propter occulta peccata et pericula hoc sacramentum ita esse institutum, non quia per se liceat in statu peccati ad illud accedere.

Atque hinc fit, ut per se loquendo, necessaria dispositio sit status gratiæ, et consequenter ut is, qui scientiam habuit peccati mortalis, prius vel digne confiteatur, vel si non datur copia confessoris, saltem conteratur: per accidens autem poterit sufficere sola attritio, dummodo intercedat excusatio novi peccati commissi propter omissam contritionem. Erit autem illa excusatio, si vel invincibiliter putetur contritio, quæ tantum gradum attritionis attigit, vel invincibiliter quis putet illam esse sufficientem dispositionem, vel certe si absque actuali usu rationis sacramentum ei detur: nam tunc non potest in ipsa susceptione actualiter peccare: unde, si erat attritus quando usum rationis perdidit, sine dubio justificatur. De illo enim statu, juxta proxime præcedentem dispositionem judicandum est, quia in illa censetur moraliter permanere. Unde, si nullus omnino dolor præcessisset, non esset ille dispositus ad effectum sacramenti, quia voluntas censetur adhuc manere moraliter affecta peccato: secus vero est, si præcessit attritio, ut dictum est."

Ex his quæ hactenus disputavimus haud difficulter intelligitur sacramentum Extremæ Unctionis, etsi primario non sit institutum ad remittenda peccata mortalia, quæ non expiata in subjecto inveniat, hæc tamen peccata delere vi institutionis suæ secundario, et non solum per accidens. Cum enim per se primo ordinetur ad præparandum proxime hominem ad introitum gloriæ, et ad hanc præparationem maxime necessaria sit peccatorum remissio, quamvis Extrema Unctio per se primo non sit propter illam, non est tamen omnino exclusa ab intentione instituentis, qui speciali etiam ratione hoc remedium procuravit, ut si fortasse accideret, peccatum aliquod non esse dimissum, per hoc sacramentum deleretur. Quodque procul dubio significatur in locutionibus conditionalibus Jacobi "*Si in peccatis sit, dimittentur ei*" et Concilii Tridentini "*Si quæ sunt adhuc expianda* [delicta], *abstergit:*"—nam locutionibus his conditionalibus Apostolus et

Concilium indicant remissionem peccatorum in institutione sacramenti Extremæ Unctionis, a Christo facta, non esse effectum per se primo intentum—talis enim effectus non requirit aliam conditionem præter ablationem obicis;—simulque significant illam peccatorum remissionem esse aliquo modo peculiarem hujus sacramenti, et in ejus institutione aliquo modo intentam.

Postremo ex dictis patet peccata venialia virtute sacramenti hujus deleri:—dispositionem vero necessariam in suscipiente ad hanc remissionem consequendam declaravimus, cum de virtute pœnitentiæ loqueremur, Tractatu *de Pœnitentia*, p. 1. a. 9.

Sed non modo peccata mortalia et venialia deleantur per sacramentum Extremæ Unctionis, verum etiam remittitur pœna temporalis, debita ex peccatis prius remissis quoad culpam. Id merito infertur ex fine hujus sacramenti. Nam institutum fuit ad proxime, quantum in ipso est, præparandum hominem ad gloriam, ideoque ad tollenda impedimenta quibus ab assecutione gloriæ homo præpeditur. Atqui non solum culpa, sed etiam reatus pœnæ non remissus introitum gloriæ impedit. Ergo:— Præterea remissionem pœnæ temporalis complectuntur universalissimæ locutiones tum Concilii Tridentini "delicta et peccati reliquias [Extrema Unctio] abstergit," tum formæ sacramenti: "Indulgeat tibi Dominus quidquid . . . deliquisti."

"Quantum vero pœnæ," inquit Suarez (l. c. n. 17.), "per hoc sacramentum tollatur, Deus novit. Non existimo tamen asserendum statim auferri omnem reatum pœnæ, sicut per baptismum; nullum enim fundamentum habemus ad hoc asserendum, multumque repugnat veritati, et necessitati Purgatorii, quo etiam fideles post susceptionem hujus sacramenti diu purgantur, quod tamen ita non esset, si hoc sacramentum statim omnem reatum pœnæ remitteret. . . . Dico igitur remittere quidem reatum pœnæ ex opere operato, juxta dispositionem et devotionem recipientis, ideoque non semper totum auferre."

Tertia pars thesis alium effectum secundarium Extremæ Unctionis vindicat, illum nimirum quo corporis sanitatem aliquando confert. Hunc effectum indicant verba Jacobi "*Et oratio fidei salvabit* [syriace, *sanitati restituet*] *infirmum;*"—prædicant Traditionis testimonia, quæ superius attulimus (p. 360. et seq.);—docent Tridentini Patres, sess. 14. cap. 2.—Sed sanitas corporis bono animæ interdum minime expedit; et ideo hanc sanitatem Extrema Unctio virtute sua nonnisi aliquando

confert. Hinc Concilium Tridentinum, enumerans hujus sacramenti effectus, dixit; per illud "sanitatem corporis interdum [infirmus], *ubi saluti animæ expedierit,* consequitur."

Ad rem præclare S. Thomas (Suppl. q. 30. a. 2.): "Sicut baptismus per ablutionem corporalem facit spiritualem emundationem a maculis spiritualibus, ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem: et sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit, ita etiam Extrema Unctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed hæc est differentia, quod corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem; et ideo semper eam facit: sed Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis."

Adversus doctrinam propositam objici posset:—sæpe post Extremam Unctionem convalescunt, qui sanitate recuperata in animæ detrimentum abutuntur; et e converso, sæpe accepto hoc sacramento moriuntur, qui si superstites forent, non tantum piam et honestam vitam ducerent, sed alios quoque complures ad bonam frugem revocarent: ergo non confertur ex hoc sacramento sanitas corporis, si ad salutem animæ ita expedierit.

Respondemus, non obstat conclusioni, quam defendimus, aliquos post susceptionem sacramenti Extremæ Unctionis recuperare sanitatem et ea deinde in animæ detrimentum abuti, quia 1.—non constat eos *virtute sacramenti* sanitatem recuperasse, cum convalescere et sanari potuerint mediis naturalibus. 2.—Quia potuit etiam fieri, ut sanitas spiritualem fructum attulerit, quem homo postea, tentationibus sponte cedens, iterum amiserit: neque enim opus est, ut salus animæ, quam Concilium Tridentinum ex sacramento ait obventuram, perpetuo duret.

Respondemus insuper objectioni prout spectat justos, qui accepto hoc sacramento moriuntur, et si superstites forent, abundantes fructus spirituales, secundum humanas prævisiones, producerent; incertum nobis esse utrum justi, qui post Extremam Unctionem decedunt, sanitate

accepta, permansuri fuissent in justitia, necne; et præterea, alias forte rationes adesse divinæ sapientiæ notas, propter quas non expedit illis sanitatis donum accipere, sed potius absque mora cœlum ingredi. Quare cum dicitur sacramentum conferre sanitatem corporis, si bono animæ expedierit; id intelligi debet non secundum conjecturas humanas, sed secundum ordinem divinæ sapientiæ et providentiæ.

Demum, etsi sanitas corporalis, ægro per sacramentum Extremæ Unctionis reddita, sit effectus supernaturalis, non ideo vocari debet miraculum, quia non fit præter leges a Deo statutas, sed juxta eam quæ intrinsece in ipsa hujus sacramenti institutione inclusa censetur.

ARTICULUS SEXTUS

De subjecto sacramenti extremæ unctionis.

Postquam Extremæ Unctionis effectus exposuimus, ad designandum subjectum quod eam suscipere potest gradum facimus. Et primo quidem, patens est solum hominem viatorem, adeoque in hac mortali vita constitutum, sacramenti de quo loquimur esse capacem: sacramenta enim omnia pro viatoribus, non pro illis qui sunt in termino, instituta sunt.—Secundo, manifestum est etiam, hoc sacramentum nonnisi homini baptizato posse conferri, cum baptismus sit veluti janua sacramentorum, et per ejus susceptionem homo fiat capax recipiendi cetera sacramenta.

Verum, non omnes viatores baptizati hujus sacramenti sunt capaces: id enim suscipere nequeunt pueri antequam rationis ætatem attigerint, aut perpetuo amentes. Immo, non adultis quibuscumque, sed solum infirmis, periculoso morbo laborantibus, sacramentum Extremæ Unctionis ministrari potest.

Sit igitur

THESIS VI.

Extremam Unctionem pueri ante usum rationis, aut perpetuo amentes, suscipere nequeunt: et ex adultis, nonnisi ægroti periculoso morbo laborantes recipere eam possunt.

Prima pars thesis, spectáns pueros et perpetuo amentes qui pueris assimilantur, nullo negotio deducitur ex dictis ad probationem thesis præcedentis.

Etenim, sacramentum Extremæ Unctionis institutum fuit a Christo tum ad confortandum hominem infirmum, et ad roborandum eum contra tentationes dæmonis; tum ad conferendam ei, si necessaria fuerit, peccatorum actualium quæ commiserat, remissionem.—Sed horum effectuum capaces non sunt pueri qui rationis ætatem adhuc non habent, nec perpetuo amentes.—Ergo.

Dices:—sanitatis corporalis, quæ est etiam sacramenti hujus effectus, pueri quoque aut perpetuo amentes sunt capaces; ergo et ii hoc sacramentum recipere valent.—Reponimus:—sanitas corporalis per Extremam Unctionem consequenda nec infallibilis est, nec primarius sacramenti effectus, sed solum secundarius qui cessante primario effectu cessat.

Præterea Apostolus Jacobus, dum ait: "Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ," aperte significat infirmum debere Extremam Unctionem petere, vel ejus susceptioni consentire; quod nonnisi qui ætatem rationis jam attigit facere potest.

Hinc in Rituali Romano expresse statuitur: "Extrema Unctio non ministretur . . . pueris rationis usum non habentibus."

Secunda pars thesis, qua statuimus ungendos esse solum infirmos gravi morbo laborantes, probatur

1. Ex verbis S. Jacobi "*Infirmatur quis in vobis.*" Etenim vox ἀσθενεῖ, quæ in textu græco legitur, spectat infirmos, et quidem graviori ægritudine laborantes.—Id constat, ex I. ad Cor. XI. 30.; nam illud: "Ideo in vobis multi infirmi et imbecilles" in græco est: "διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄρρωστοι" ubi *infirmi* qui gravius ex morbo laborant dicuntur ἀσθενεῖς, imbecilles vero, idest ἄρρωστοι sunt non bene valentes, etsi lecto non decumbant.—Id etiam apparet ex sequentibus locis clarissimis: Joan. IV. 46. ubi legitur: "Cujus filius infirmabatur Capharnaum," extat in græco, "οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ;" et XI. 2. legunt Latini: "Cujus frater Lazarus infirmabatur," Græci vero, ἧς ὁ ἀδελφὸς Λάζαρος ἠσθένει· ibid. versu 3. Latini: "Ecce quem amas, infirmatur," et Græci, ἴδε ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ.

Præterea, etsi verbum hoc esset ambiguæ significationis, id adhibitum fuisse in textu Jacobi ad significandam gravem corporis ægritudinem, ex iis quæ subjiciuntur fit manifestum: "Et Oratio fidei salvabit infirmum," καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πιστεως σώσει τὸν κάμνοντα· est enim, κάμνω,

consentientibus omnibus, idem ac deficio, lassesco, et graviore infirmitate laboro.

His addas quæ de eadem re diximus p. 356.

2. Nonnisi infirmos gravi morbo laborantes esse inungendos constat ex Patrum testimoniis, et ex libris liturgicis, superius citatis; immo ex nominibus quibus sacramentum unctionis appellatum fuit, nimirum *Unctio infirmorum, Extrema Unctio, Sacramentum exeuntium.*

Quapropter S. Thomas (Suppl. qu. 32. art. 1.) apertissime docuit: "Hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur."

3. Idipsum Conciliorum Florentini et Tridentini sententia confirmatur. Etenim in Decreto pro Armenis, legimus: "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet." Et Tridentinum sess. 14. c. 3. de Extr. Unct. ait: "Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur."

4. Demum ex fine ob quem institutum fuit sacramentum Extremæ Unctionis, et ex effectibus ejus antea enumeratis, evidenter id eruitur.

Doctrinæ et praxi Ecclesiæ Latinæ ministrantis solum adultis graviter ægrotantibus sacramentum Extremæ Unctionis non adversantur quædam facta a Martene commemorata, ut, exempli gratia, Odiliæ filiæ Comitis Herimanni et Mathildis, quæ a Richardo Abbate Monasterii S. Vitonis de futura, sequenti die, ejus morte præmonita, licet corpore sana "nullam gravedinem pateretur, attamen liquore sancti olei inuncta . . . inter verba orationis læta spiritum efflavit."—Etenim, ut adnotat Benedictus XIV. (*de Synodo*, lib. 8. c. 5. n. 2.) præterquam quod exempla allata "extraordinaria sunt, et derivata e speciali afflatu Spiritus Sancti, qui interdum homines solvit ab ordinariæ providentiæ legibus . . . possumus prudentur existimare . . . eos qui sunt divinitus admoniti de sibi instante vitæ interitu, jam tum cœpisse lethali morbo interius laborare, quo cito perducerentur ad mortem, quamquam exterius viderentur sani et incolumes;"—ac proinde illis administrandam fuisse Extremam Unctionem ob eamdem rationem propter quam conceditur senibus, qui præ decrepita ætate, licet nulla alia speciali afficiantur

ægritudine, in dies morituri creduntur, cum annosa ipsa senectus infirmitas sit, quæ labefactatis vitæ organis mox ducat ad interitum.

Græci inungere sanos sacro oleo solent, ut ex eorum Euchologio, et ex testimonio Arcudii, Goarii, Allatii, et aliorum sine dubio constat. Sed multis et ipsi Goario, unctio illa videtur non ut sacramentum administrata, sed ut ceremonia quædam, ad modum illius unctionis quæ antiquitus in Ecclesia etiam Latina, ut adnotavimus, fieri consuevit. Si vero sanis quidam ex Græcis sacramentum Extremæ Unctionis conferre intendunt, eos gravissime errare dicendum est. Juenin et Sainte-Beuve, qui voluerunt hanc quorumdam Græcorum praxim defendere, et contra communem theologorum sententiam conati sunt asserere Extrema Unctione etiam bene valentes posse inungi, merito exagitat Benedictus XIV. in opere de Synodo lib. 8. c. 5. n. 5.

ARTICULUS SEPTIMUS

De necessitate et iteratione extremæ unctionis.

I. Certum est sacramentum Extremæ Unctionis non esse necessarium necessitate medii ad salutem ; utrum vero necessarium sit necessitate præcepti, sive divini, sive ecclesiastici, inter theologos controvertitur. —S. Thomas, Suarez, Estius, Sylvius, Viva et alii multi docent, ægrotos periculose decumbentes, per se et seclusa ratione scandali aut contemptus, ad Extremam Unctionem percipiendam non teneri. Præceptum enim divinum, aiunt, neque ex verbis Jacobi, neque ex Traditione Ecclesiæ deduci potest; et Ecclesia non injungit præceptum pro susceptione alicujus sacramenti nisi præceptum divinum supponatur, quod in casu non extat. Insuper Concilium Tridentinum, sessione 14. capite 3., non dixit peccatum esse *non suscipere* hoc sacramentum, sed illud *contemnere.* Præterea, quum hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, sed utile et ad melius esse, non videtur caritas erga seipsum obligare sub gravi ad illud suscipiendum ; caritas enim non obligat sub gravi præcepto ad id quod melius est.—"Hoc tamen non obstante," inquit S. Alphonsus (l. 6. Tr. 5. c. 1. n. 733.), "prima sententia [affirmans] etiam probabilis, et omnino *suadenda* mihi apparet, non tam

ratione præcepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione caritatis erga seipsum; nam licet moribundus possit aliis præsidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte cum magna difficultate ad bonos actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriæ tunc sunt debiliores: et ex altera vehementiores sunt (ut ait Tridentinum) dæmonis insidiæ; unde ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto, tanquam firmissimo præsidio in tanto conflictu."

II. Ad iterationem sacramenti quod attinet, labente sæculo XI. et ineunte XII., nonnulli putaverunt fidelem, sancto oleo inunctum, nunquam deinceps infirmorum unctione posse liniri; putaverunt alii Extremam Unctionem solum post tres annos a prima susceptione iterum suscipi posse; et alii post annum.—Sed communi usu recepta et approbata sententia, rejiciens has falsas opiniones, permittit hujus sacramenti iterationem quotiescumque fidelis in novum incidit morbum; immo et in eadem infirmitate, si morbus post unctionem susceptam ita remittat ut infirmus periculum proximum mortis evasisse videatur, et deinde iterum in vitæ discrimen relabatur.—Id aperte docuit S. Thomas (Suppl. q. 31. a. 1.): "Sacramentum . . . quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quæ est effectus hujusmodi sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari;" et eadem quæstione, art. 2.: "Si homo illum articulum [mortis] evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur, iterum potest inungi, quia jam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter."—Quin immo id expresse docuit Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 3. dicens: "Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint;"—et Rituale Romanum præscripsit: "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit."

LIBER QUARTUS

De Ordine

De Matrimonio.

DE ORDINE

NOTIONES PRÆVIÆ.

Altissimam sacramenti Ordinis dignitatem, a quo sacramenta cetera pendent, ita ut sine ipso partim confici et administrari nequeant, partim solemni ceremonia et augustiori ritu carere videantur, inter Catholicos nemo est qui non suspiciat. Hujus itaque celsissimi sacramenti veritatem, pro viribus, adversus hostes infensissimos sedulo vindicabimus, et amplitudinem ejus, materiam atoue formam, ministrum et subjectum, ut rei excellentia postulat, sequentibus articulis, exponere ac enodare plene conabimur.

Atque a notionibus quibusdam præviis tractationem ordimur.

Ordo, latissima significatione, dispositionem superiorum et inferiorum rerum dicit, quæ inter se ita aptata sunt, ut una ad alteram referatur: strictiori sensu, ordo accipitur ad significandum gradum, in quo relatio hæc superioris et inferioris fundatur.

In Ecclesia, strictissima acceptione, sumitur Ordo, 1)—ad significandum statum illorum qui sacro ac solemni ritu ad divinum ministerium assumpti sunt, quibusque potestas tradita est ad perficienda ea quæ salutem fidelium, cultum divinum, et præsertim divinum sacrificium spectant: 2)—ad significandos diversos gradus, diversasque hujus ministerii functiones: 3)—ad significandum ipsum ritum, quo ministri sacri a communi fidelium cœtu segregantur, divino servitio mancipantur et ad sacra munia obeunda potestate insigniuntur. Hoc posteriori sensu Ordo idem est ac Ordinatio, quam verum ac proprie dictum sacramentum esse demonstrabimus.

Porro in Ecclesia divinitus institutum esse cœtum seu Ordinem

præsidum ac sacrorum ministrorum, qui Hierarchæ et clerici vocantur, ad regendos Christifideles, et ad gignendam in hominibus sanctitatem; ideoque Ecclesiam, divino jure, societatem esse ex imperantibus et subditis compositam, in qua sacrum principatum clerici tenent, ita tamen ut et inter eos diversi sint potestatis et excellentiæ gradus, inconcussum fidei dogma est, quod ex Tractatu *de Ecclesia Christi* assertum ac vindicatum jam supponimus. — Hic solum ad meliorem rerum dicendarum intelligentiam, nonnulla ex probationibus in eo Tractatu fusius evolutis, breviter recolamus oportet.

Et in primis, a divina institutione discrimen in Ecclesia Christi clericorum a laicis et ordinem ministrorum hierarchicum ortum habuisse, invicte ostenditur ex lege veteri. In testamento enim veteri, inter ceteras, Tribum Levi selegit sibi Deus, ut ex illa sacerdotes et ministri, a reliquo Hebræorum populo discreti, et solemni ritu initiati, soli peragerent sacrificia, et sacra munia obirent.—Jam vero, si "umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum" (ad Hebr. x. 1.), sacerdotes sacrorumque ministros a laicis discrevit, illosque his prætulit; quanto magis nova lex, quæ ipsa bona in veteri testamento olim præfigurata, nunc in veritate exhibet, quæque longe præ veteri excellentius sacrificium ac sacerdotium habet, clericos, idest, sacerdotes et sacrorum ministros, discernet a laicis, et illis hos subjiciet.—"Quod si ministratio mortis . . . . fuit in gloria . . . . quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?" (II. ad Cor. III. 7. 8.) "Nam," prosequitur Apostolus (ibid. vv 9–11.), "si ministratio damnationis gloria est; multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. . . . . Si enim quod evacuatur, per gloriam est; multo magis quod manet, in gloria est:"—id est, si ministerium legis Mosaicæ, quæ ab æterna morte homines liberare non poterat, gloriosum fuit, multo magis excellentiori gloria circumornari debet ministerium legis novæ, quæ justitiam confert et vitam æternam; et si ministerium quod cum lege Mosaica abolendum erat, et abolitum est, gloriosum fuit, multo magis debet gloria fulgere ministerium legis Evangelicæ usque ad finem sæculi permansurum.

Sed attendamus factum. Mitto Christum Apostolos ex credentium cœtu selectos et amplissima potestate donatos constituisse sacerdotes Dei, dispensatores mysteriorum, pastores ac doctores; prætereo Christum

ipsum, præter Apostolos, alios septuaginta duos discipulos designasse (Luc. x. 1.), qui sacrorum administrationem, data proportione, participarent ;—verba solum hic commemoro quæ coram Ephesinæ Ecclesiæ rectoribus locutum fuisse Apostolum Paulum legimus (Act. xx. 28.): "Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei." Nonne hæc apertissime significant hierarchas in Ecclesia a Spiritu Sancto esse constitutos, et ab eo accipere potestatem qua munia sacra obeant, et subditos, ad gignendam, alendamque in eis sanctitatem, pascant ac regant?

Demum Apostolum audiamus nobis delineantem statum Ecclesiæ, in qua Deus ipse diversa membra, dispari potestate prædita, disposuit. "Sicut enim," inquit Paulus ad Romanos (XII. 4. 5.), "in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra."—Et ad Corinthios scribens eamdemque similitudinem illustrans ait (I. ad Cor. XII. 12–29.): "Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno Spiritu potati sumus.... Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. ... Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores.... Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores?"—Quod iterum in Ep. ad Eph. (IV. 11–13.) inculcat dicens: "Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi."—Deus igitur in Ecclesia sua clericos a communi cœtu fidelium, seu a laicis, distinxit; et non his, sed clericis potestatem sacri ministerii contulit, quos posuit fidelium doctores atque rectores; ideoque hierarchiam ecclesiasticam Deus constituit, et eam perpetuo futuram esse decrevit.

Quare Concilium Tridentinum (sess. 23. capit. 4.) damnans "eorum

sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant," testimonium Pauli, in locis mox citatis, invocavit ad veritatem catholicam quam docuit confirmandam et dixit: "Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores."—Et in canone 6. statuit: "Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit."

Hæc de existentia hierarchiæ ecclesiasticæ attigisse sufficiat, quæ tractationi de Ordine tamquam procemium præposuimus.

Rem nostram aggrediamur.—Diximus eos qui ad sacram hierarchiam pertinent solemni ritu initiari et per eum ad sacra munia obeunda, secundum gradum hierarchiæ in quo constituuntur, potestatem accipere. Jam ergo quæritur:—ritus hic sacer, qui Ordo, sive Ordinatio nuncupatur, estne vere et proprie novæ legis sacramentum, a Christo Domino institutum? Hanc primam de sacramento Ordinis quæstionem in sequenti articulo pertractabimus; in quo non adhuc *signate* statuemus *hanc* vel *illam* ordinationem pro collatione *hujus* vel *illius* Ordinis, ad hierarchiam ecclesiasticam pertinentis, esse sacramentum; sed solum, adesse in Ecclesia *Ordinationem* quæ verum et proprii nominis est sacramentum. Deinde quot ordines in Ecclesia sint videbimus, simulque utrum in qualibet ordinatione ad quemlibet eorum ordinem conferendum sacramentum, necne, conficiatur.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia sacramenti Ordinis.

Sacramenti Ordinis existentiam negavit Lutherus, sed aliter aliquando visus est sentire Calvinus;—nunc autem communiter Protestantes sacramentum Ordinis repudiant, cum ordinationi vim conferendi gratiam et characterem in anima ordinati indelebiliter imprimendi denegent, et eam ut nudam ceremoniam habeant, qua ministerii munus ei committi declaratur qui ad illud exercendum electus fuerit.

Hos hæreticos anathemate feriit Conc. Trid., in sess. 23. c. 3., statuens:—"Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit:"—et can. 4.: "Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: 'Accipe Spiritum Sanctum;' aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit."

Idcirco, ad dogma fidei propugnandum, proponitur

THESIS I.

Ordo, seu Ordinatio qua in Ecclesia quidam saltem ministrorum sacra munia obeundi potestatem accipiunt, vere et proprie novæ legis est sacramentum.

I. Probatur thesis. *Ex sacris Litteris.*— Ut enim ex Scripturis demonstretur ordinationem, quorumdam saltem Ecclesiæ ministrorum, esse proprie, seu strictu sensu, sacramentum, tria ex illis constare debent, nimirum 1.—hanc Ordinationem perfici signo sensibili; 2.—hoc signum esse collativum gratiæ sanctificantis; 3.—a Christo Domino permanenter esse institutum.—Sed hæc tria ex sacris Litteris certo constant.—Ergo.

Minor probatur per partes.—Et primo, sacræ Litteræ sæpe commemorant *ritum sensibilem*, scilicet *manuum impositionem*, adhibitum ad Ecclesiæ ministros constituendos, seu ad conferendam eis potestatem sacra munia peragendi.

Sequentia loca citamus ad exemplum.—In Actibus Apostolorum (XIV. 22.) legimus ordinationem presbyterorum factam variis in locis a Paulo et Barnaba, his verbis: "Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino." Hæc autem verba in Græco textu declarant quo modo illi presbyteri ordinati fuerint, nempe per impositionem manuum; sic enim scripta sunt: "*Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν.*"—"Ex qua structura liquet," ait J. Th. Beelen (Comm. in Act. Apost. XIV. 22.), "actum illum, qui per vocem *χειροτονήσαντες* exprimitur, tribuendum esse solis Apostolis [Paulo nempe et Barnabæ], nec ullam fieri mentionem *suffragiorum* populi, quæ Calvinus [Instit. lib. 9. cap. 3. num. 15.] hic comminiscitur. Et vero si electionem per *suffragia populi* Lucas hic indicare voluisset, ipsi populo, non vero Paulo et Barnabæ, illud *χειροτονεῖν* tribuisset; quemadmodum supra (VI. 2–6.) memorat septem viros ad officium diaconatus, Apostolorum concessu, electos fuisse a Christianis Hierosolymitanis, quibus viris Apostoli deinde consecrantes suas manus imposuerunt."—Quare sensus testimonii mox citati, ut idem Beelen adnotat, hic est: "Et quum [Paulus et Barnabas] novellis Christianis (*αὐτοῖς*) per singulas Ecclesias [id est Lystriæ, Iconii, et Antiochiæ, vid. ver. 20.] inter preces et jejunia per impositionem manuum presbyteros creassent, utrisque, et novellis Christianis, et sacris ministris recens constitutis, valedixerunt, commendantes eos Domino, in quem crediderant."

Nec alio ritu Timotheus, Ephesinæ Ecclesiæ episcopus, ordinatus fuerat:—impositionem enim manuum, quam in ordinatione acceperat, in mentem ei revocat Paulus Apostolus, dicendo ordinationis gratiam eum obtinuisse "*cum impositione manuum presbyterii.*" (I. ad Tim. IV. 14.; et II. ad Tim. I. 6.).

Nec aliter Timotheum ordinare presbyteros debuisse patet ex monitu ejusdem Apostoli (I. ad Tim. V. 22.): "Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis."

Quod autem ritus impositionis manuum, pro ordinatione presbytero-

rum et episcoporum, semper adhibitus et in locis citatis commemoratus, sit *gratiæ sanctificantis collativus*,—id est, talis ut vi et efficacitate sua instrumentali conferat suscipienti *gratiam gratum facientem*,—patet ex verbis quibus Paulus Timotheum adhortatur, ut gratiam acceptam *per sacram impositionem manuum* non relinquat otiosam, sed eam excitet, eaque ad munia sacra sancte ac fideliter obeunda bene utatur.—Hæc sunt verba Apostoli: "Noli," inquit (I. ad Tim. IV. 14.), "negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam [id est juxta revelationem qua Spiritus Sanctus jussit te ordinari episcopum, vid. I. 18.], cum impositione manuum presbyterii." Et iterum (II. ad Tim. I. 6.): "Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum."

Ex his autem verbis evidens est gratiam fuisse datam *efficacitate ritus* adhibiti, id enim declarat illud incisum "*per impositionem manuum mearum* [*διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου*]:"—gratiam vero, de qua loquitur Apostolus, non esse donum aliquod *gratis datum*, sed esse *gratiam sanctificantem*, rationibus, quas subjicimus, demonstratur.

1.—Quamvis græca vox "*χάρισμα*," ab Apostolo adhibita ad significandam gratiam, "[*Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος*," et "*τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ*]" sæpe designet *gratiam gratis datam*, ut donum linguarum, curationum, etc.; eadem tamen voce significari etiam potest *gratia gratum faciens*, scilicet ea quæ sanctificat suscipientem:—et ipse Paulus procul dubio ad hanc gratiam significandam illa voce usus est in epistola ad Rom. v. 15. "Sed non sicut delictum," inquit, "ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit."—"*Ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα, εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε.*"

2.—In locis citatis ex Epistolis ad Timotheum, Paulum Apostolum nomine "*χάρισμα*" non significasse gratiam gratis datam, sed *gratiam gratum facientem*, seu sanctificantem, scopus et contextus orationis clamant; nam non gratia *gratis data*, sed gratia *sanctificans* in ordinatione accepta cum jure ad gratias actuales pro impletione pastoralis muneris, negligi poterat, remisse implendo pastoris munus, et ipsa sola excitari debebat edendo sanctitatis fructus insignes.

3.—Gratia sanctificans aptissime designatur *ignis* symbolo, et hoc

Apostolus non obscure utitur, illis verbis: "*ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ.*"

4.—Apostolus continuo declarat qualis sit gratia, quam in ordinatione sua Timotheus acceperat, quamque cum ordinantur accipiunt omnes episcopi, et ait: "Non *enim* dedit nobis [episcopis, Ecclesiæ pastoribus] Deus Spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis." Quæ verba significant, in ordinatione episcopali per impositionem manuum Pauli Timotheum accepisse, sicuti accipiunt omnes similiter ordinati, —quod in textu citato Apostolus indicat, dicendo "*nobis*"—gratiam Spiritus Sancti qua ad implendum munus a Deo ipsi commissum, *robur et fortitudinem animi* acquireret, dilectione ferveret, non sua sed quæ Jesu Christi quæreret, et *sobrietatem* seu *moderationem* servaret in omnibus. Hæc autem nonnisi gratiam sanctificantem significant, cum habitibus infusis et jure ad gratias actuales, collatam ut fideliter impleri posset ministerium acceptum a Deo in ordinatione.

5.—Idipsum confirmatur ex versu sequenti (ver. 8.): "Noli itaque," ait Apostolus, "erubescere testimonium Domini nostri:"—id est, quoniam non timiditatis et ignaviæ, sed fortitudinis et firmitatis spiritum vi ordinationis tuæ a Deo accepisti; metus ignominiæ et persecutionis a suscepto munere strenue implendo retrahere te non debet;—"sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei."

6.—Demum gratiam sanctificantem, ad fideliter exequendum munus traditum, esse illam de qua loquitur Paulus, quamque Timotheum in ordinatione sua dicit accepisse, iterum manifeste apparet ex ver. 14. ejusdem capitis primi. Etenim Apostolus postquam Timotheum discipulum suum carissimum adhortatus fuerat ad excitandam gratiam in Episcopali ordinatione acceptam, et virtute ejusdem gratiæ "ad collaborandum Evangelio" sine ulla tribulationum formidine; commendat eidem Timotheo primarium pastoris officium, et ait (ver. 14.): "Bonum depositum custodi," doctrinam nempe, instar depositi creditam tibi fidelissime custodiendam, tuisque successoribus integerrime tradendam.—At quomodo inter tot humanarum opinionum varietates, tot obstacula, et fraudes, depositum commissum aliisque tradendum, intactum, incontaminatum custodiri poterit?—Ad hoc difficillimum munus exequendum, ait Apostolus, accepisti in ordinatione tua gratiam Spiritus Sancti, quamque nos omnes, cum pastorale munus nobis commissum fuerit, accepimus; illa roboratus, impositum tibi munus exequi poteris;—ideoque addit;

"Depositum custodi *per Spiritum Sanctum qui est in nobis :*"—nimirum per gratiam Spiritus Sancti, in ordinatione acceptam, habitualem, quæ dat nobis jus ad auxilia quibus depositum nobis traditum servare valemus.

Postrema nota cujus existentia, in ordinatione sacra, demonstrari debet, ut hæc veris et proprie dictis sacramentis novæ legis accenseatur, est institutio a Christo permanenter facta ritus in ordinatione adhibiti. —Verum ex probationibus allatis institutio Christi clarissime per se patet. Eumdem enim ritum vidimus in Scripturis semper commemoratum cum de ordinationibus pastorum Ecclesiæ ageretur ;—et simul vidimus hunc ritum conferre, efficacitate sua instrumentali, gratiam sanctificantem.—At nonnisi Christus signo sensibili, seu ordinationis ritui, efficacitatem tribuere potest ut conferat, tamquam instrumentum Dei et ipsius Christi, gratiam sanctificantem.—Ergo Christus instituit ordinationis ritum, in Scripturis commemoratum, de quo hucusque locuti sumus ; illumque ut in Ecclesia perpetuo futurum instituit, utpote qui esset ad initiandos Ecclesiæ pastores usque ad consummationem sæculi permansuros :—Quare in ordinationibus horum Pastorum semper eumdem ritum fuisse adhibitum, quoad Ecclesiæ Christianæ initia, Scriptura testatur ; et quoad sequentes ætates, ut mox videbimus, Traditio.

II. Sed jam ad vindicandam veritatem sacramenti Ordinis ex testimoniis Patrum animo nos convertamus. Et quidem in eorum scriptis multa ad rem pulcherrimaque nobis obviam sese dant ; sed ex illis multis nonnisi pauca seligamus ac producamus necesse est.

S. Greg. Nyssenus (Orat. in Bapt. Christi—Mig., P. G. t. 46. p. 582.) gratiam sanctificantem collatam a Deo *efficacitate* ordinationis, quæ in Ecclesia peragitur, egregie docet. Etenim postquam vim et efficaciam verborum sacramentalium, quibus sacramenta baptismi et Eucharistiæ conficiuntur, declaraverit, ita prosequitur : "Eadem *verbi* [id est formæ sacramentalis] *vis* etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, *novitate benedictionis* a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul ; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore, vel forma mutatus ; sed, *quod ad speciem externam* attinet, ille sit qui erat, *invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens.*"

S. Joannes Chrysostomus, frequenter eamdem ordinationis gratiam, aureo atque copiosissimo celebrat eloquio. Etenim in lib. 3. de Sacerdotio (num. 4.) Paraclitum Spiritum sacerdotium ordinasse docet his verbis:—"Sacerdotium in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet: et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quæpiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent."—Et mox, ex dignitate ad quam Spiritus Sanctus sacerdotes evehit arguens excellentiam gratiæ qua illos cumulat, prosequitur: "Si quis secum reputet, quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget, quanto honore *Spiritus gratia* sacerdotes ornaverit."

Nec minus aperte loquitur in Hom. de resurrectione mortuor., n. 8. (Migne, P. G. t. 50. p. 432.). "Nisi nunc," ait, "etiam esset arrhabo Spiritus, neque baptisma adhibitum esset, neque peccatorum remissio, neque justitia et sanctificatio facta esset; neque adoptionem filiorum Dei accepissemus, neque percepissemus mysteria; corpus enim et sanguis mysticus non fiunt absque Spiritus gratia: neque sacerdotes habuissemus, neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile."

Et in Ep. II. ad Tim., Homilia 1. (n. 2.) exponens verba Pauli, ex quibus superius argumentati sumus, ita ipsum Paulum inducit loquentem: "Ideo cum sciam te non simulatam fidem habere, te commonefacio: alacritate quippe opus habes ut exsuscites gratiam Dei. Ut enim ignis opus habet lignis, sic et gratia alacritate nostra, ut semper ferveat. 'Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;' id est, gratiam Spiritus, quam accepisti, ut præsis Ecclesiæ, ut signa edas, et cultum omnem exhibeas Penes nos enim est illam vel exstinguere vel accendere: idcirco alibi dicit, 'Spiritum nolite extinguere' (I. Thess. v. 19.). Ex ignavia enim et negligentia exstinguitur; ex vigilantia et attentione excitatur. Est quidem in te, sed tu ardentiorem efficito; id est, fiducia impleto, gaudio, lætitia: sta viriliter."

S. Cyrillus Alexandrinus ostendit ritibus veteris legis præfiguratam fuisse collationem gratiæ sanctificantis in sacris ministrorum Ecclesiæ ordinationibus.—Hæc enim habet in lib. 12. Comm. in Ev. Joannis (xx. 22. 23.; Migne L. G. t. 74. p. 711.): "Vetus itaque et in Litteris

posita lex, umbras habens et exemplaria verorum, corporalius, ut ita dicam, et rudius res sacras explicari jubebat. Moses itaque beatus, Deo rursus id jubente, aquis ablui, cum Aaronem ipsum, tum Levitas præcepit. Deinde perfectionis immolato ariete, cruore ejus unxit auriculæ dextræ partem infimam, ut scriptum est, tum dextræ manus ac dextri pedis extremum, Christi mysterii typum tamquam in imagine depingens. Nam cum aqua et sanguis ea sint per quæ fiebat sanctificatio, quomodo vel unde dubitari potest quin pulchritudo veritatis in obscurioribus adhuc typis formaretur? Dominus autem noster Jesus Christus, in veritatis vim figura legis translata, divinorum altarium sacerdotes per seipsum perfecit. . . . Perfecit vero, per veram sanctificationem, suæ naturæ participes communicatione Spiritus efficiens, ac veluti refingens naturam hominis ad supernaturalem vim atque gloriam."

Theodoretus ordinationis gratiam passim commemorat. Quædam tantum loca referre, brevitatis causa, cogimur.—In Ep. I. ad Tim. v. ad verba Pauli (ver. 22.), "manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis," adnotat: "Oportet enim prius examinare vitam ejus qui ordinatur; deinde *in ipsum invocare gratiam Spiritus.*"—In Ep. 2. ad Tim. I., exponens verba quæ leguntur versu 6.: "Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum," ait: "Hortor te ut animi tui alacritate excites *gratiam Spiritus quam accepisti per meam ordinationem.* Quemadmodum enim oleum lampadis flammam efficit vehementiorem, ita animi alacritas attrahit gratiam Spiritus . . . . . Sanctissimi Spiritus gratiam dedit nobis Deus, non ut pericula pro pietate timeamus, sed ut divina virtute referti, et ipsum ardenter amemus, et insolentes animi nostri perturbationum motus castigemus."

Idem Theodoretus ordinationem Acepsimatis ita describit (Relig. Hist. XV.): "Hic [Acepsimas] genibus flexis gratiam expectabat, ille [Ecclesiæ pontifex] manum imponens Spiritui famulabatur."—Et in Eccl. Hist. l. 4. c. 20., referens Mosis Monachi ordinationem, veritati quam vindicamus novum testimonium perhibet his verbis: "Annuens," inquit, "postulationi Valens Alexandriam duci sanctum virum jussit, ibique propter loci vicinitatem pontificali gratia insigniri. Quo perductus cum esset, videretque Lucium sibi manum velle imponere: 'Absit,' inquit, 'ut manu tua consacrer. Nam te invocante Spiritus gratia non

venit.' Cui Lucius: 'Qua ductus,' ait, 'conjectura hoc dicis?' Et ille: 'Non conjecturam sequor,' inquit, 'sed certo scio: quia cum apostolicis dogmatibus pugnas, et contraria doces, et blasphemiæ verborum impia facta conveniunt. . . .' Hæc ille fidenti animo dicebat. Hic vero cædem spirans audiebat, et occidere quidem cupiebat, sed verebatur, ne restinctum bellum iterum accenderet. Quare ad alios episcopos duci jussit quos optarat. Ab his ergo percepta cum admirabili fide gratia pontificali, ad eos profectus est, qui ipsum postularant."

Et hæc ex Patribus Græcis allata sufficiant:—ex Latinis etiam disertissima quædam testimonia pro re nostra nunc audiamus.

S. Augustinus, inter alia quæ citari possent, egregie et apertissime pro nobis loquitur in libro secundo contra Epistolam Parmeniani, cap. 13. Refert enim et confutat quorumdam Donatistarum opinionem his verbis (n. 28.): "Illud quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt, 'baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit;' multis modis apparet frustra et inaniter dici. . . . . . . Utrumque enim Sacramentum est; et quadam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra; quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in sacramentis, quæ ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa Ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria."—Et paulo post (num. 30.) adversus eosdem adversarios Donatistas, ait: "Ipsi explicent quomodo sacramentum baptizati non possit amitti et sacramentum ordinati possit amitti, quoniam dicunt: 'Recedens ab Ecclesia baptismum quidem non amittit, jus dandi tamen amittit?' Si enim *utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat;* cur illud non amittitur et illud amittitur? *Neutri sacramento* injuria facienda est."

S. Leo Magnus, scribens ad Dioscorum Alexandrinum (Ep. 9. c. 1.)

docet jejunium, quod Ordinum conferendorum occasione tum a conferente tum a suscipientibus servabatur, ex Traditione Apostolica originem habuisse: "ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, *ne tantæ benedictionis* sacramentum negligenter videatur impletum."

Et idem S. Leo Magnus in Epist. ad episcopos Africanos Provinciæ Mauritaniæ (Epist. 12. cap. 3.), urgens illud Apostoli I. ad Tim. II. 2., "oportet episcopum . . esse unius uxoris virum," ait hanc præceptionem semper habitam fuisse, ut "sacratam;" et quia in quibusdam ordinationibus servata non fuerat, exclamat: "Quis igitur tolerare audeat quod in *tanti sacramenti* perpetratur injuriam? . . . . ."—Deinde statuit (c. 9.): "Unde si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus ulterius non habebunt, nec umquam *ei sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio immerito præstiterunt.*"

Unum adhuc testimonium adjiciam.—S. Gregorius Mag. in I. Reg. x. 9. (Exp. in I. Reg. lib. 4. c. 5. n. 23.) inquit: "In eo quod immutatum cor Saul habere dicitur, novis prædicatoribus sanctæ Ecclesiæ similatur, qui cum ordinem prædicationis accipiunt, per divinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saul in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit, quia *sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesiæ doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est spiritus septiformis.* Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde, immutantur, quia quos gratia sua Sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus quod non erant."

Et insuper argumentum *præscriptionis* recolas pro sacramenti Ordinis existentia, quod invenies in hoc opere de *Re Sacramentaria*, Vol. 1. l. 1. *de Sacramentis in Genere*, p. 1. a. 4.

III. Demum *congruentiæ rationes gravissimæ* pro re nostra militant, quas breviter ac concinne proposuit P. Hurter (Theol. dogm. tom. 3. p. 436.): "Si enim *a*) ritus," inquit, "quo homines *aggregantur* Ecclesiæ et *filii* fiunt Dei, sacramentum est; sacramentum erit ritus ille, quo Ecclesiæ *præficiuntur* et constituuntur *patres* filiorum Dei. Si *b*) ritus ille, quo Christi subditi promoventur in ejusdem *milites*, gratiæ est efficax; quanto magis ille, quo seliguntur in militum *duces*, Christi

ministros et fidei doctores. Si *c*) status *matrimonialis* propter adnexas difficultates et onera, diuturnitatem, momentum, gratia sanctificatur et fovetur; a fortiori status *clericalis*, in primis *sacerdotalis*, qui excellentior, altior, difficilior est, quo quis totum se Ecclesiæ devovet. Cum denique *d*) Ecclesiæ ministri, sacerdotes in primis, ministri quoque sint *Eucharistiæ*, quæ omnium mysteriorum est apex, decet divinam providentiam, eos condigne ad tam celsum munus gratia præparare et disponere."

ARTICULUS SECUNDUS

De numero Ordinum ecclesiasticorum.

Existentia sacramenti Ordinis adserta et vindicata, ad inquirendum ejus ambitum progredimur; et primo numerum Ordinum ecclesiasticorum quæremus, deinde utrum unicuique eorum ratio veri et proprie dicti sacramenti competat, necne, investigabimus.

Jam vero, ad numerum ordinum quod attinet, Concilium Tridentinum, sess. 23. can. 2., definivit: "Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit."—Et can. 6.: "Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit."—Et can. 7.: "Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit."

Ex his definitionibus constat de fide esse credendum: 1.—dari in Ecclesia Catholica *ordines majores* et *minores:* 2.—ex divina institutione esse, *episcopos*, *presbyteros* et *ministros.*—Quot autem sint horum ministrorum *gradus*, ac proinde quot sint *ordines ministrorum*, Concilium Tridentinum non definivit. Attamen hac etiam de re Concilium voluit Christifidelibus veram doctrinam, fideliter ab eis profitendam, tradere; idque præstitit, ejusdem sessionis cap. 2. Hæc sunt Concilii verba:—"Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri

posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus."—Quibus verbis Concilium Tridentinum indubie docuit septem Ordines in Ecclesia Catholica esse recensendos.

Et juxta has Conc. Trid. declarationes, Catechismus ejusdem Concilii, jussu S. Pii V. Pontificis Maximi promulgatus, quæstioni propositæ, "Ordines ministrorum Ecclesiæ quot sint, et quinam," respondet (p. 2. de Ordine, n. 24.): "Docendum erit hosce omnes Ordines septenario numero contineri, semperque ita a Catholica Ecclesia traditum esse, quorum nomina hæc sunt, ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos."

Septem igitur Ordines, his nominibus in Ecclesia distinctos, admittendos esse probabimus:—et nunc in antecessum, ad claram doctrinæ, quam vindicabimus, intelligentiam, necnon ad difficultates præcavendas, nonnulla præmittimus et declaramus.

1.—Ordinis ecclesiastici nomen dupliciter sumi potest, strictiori scilicet sensu et latiori. Strictiori sensu, *Ordo*, ut jam ab initio hujus tractationis animadvertimus, gradus est in hierarchia ecclesiastica, certo ac solemni ritu collatus, quo minister Ecclesiæ consecrationem quandam, et ad exercendas actiones spectantes sacrificium et altaris ministerium potestatem accipit. Latiori autem sensu *Ordo* appellatur sive status, sive officium eorum qui quomodocumque se devovent divinis obsequiis; etiamsi hæc ad sacrificium Missæ non referantur.—In præsenti quæstione, sicut in toto decursu Tractatus, de Ordinibus strictiori significatione acceptis agimus.

2.—Ministri Ecclesiæ, jam in aliquo ecclesiastico Ordine constituti,

quandoque ob aliud officium eis commissum, præter functiones Ordinis communes, aliis nominibus antiquitus vocabantur, quæ officium aliud non autem novum Ordinem eis collatum significabant. Ita inter clericos ordinatos, ii quibus cura committebatur humandi corpora defunctorum, præsertim martyrum, appellati fuerunt *Fossarii*, aut *Laborantes*, græce *Κοπιάται, καὶ Κοπιῶντες*:—*Cantores* vel *Psaltes* vocabantur qui in ecclesiasticis functionibus canere debebant:—et similiter, ratione officii eis commissi, alii ex Ecclesiæ ministris dicebantur *Custodes martyrum*, seu locorum in quibus corpora martyrum condita erant; *Catechistæ* vel *Doctores* audientium; *Defensores* pauperum et Ecclesiarum; *Œconomi* et *Apocrisiarii*.

3.—Tonsura clericalis non est Ordo, sed ritus ab Ecclesia institutus, per quem homo disponitur ad amplectendam vitam clericalem, et ad Ordines suscipiendos. "Ut homines," ait Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. de Ordine, n. 27.), "ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent; ita cum, tonso capillo, Deo dedicantur, tamquam aditus ad Ordinis sacramentum illis aperitur: declaratur enim qualis esse debeat qui sacris imbui cupit. Nam clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum sortem et hæreditatem suam habere incipiat, veluti qui in Hebræorum populo, divino cultui mancipati erant: quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promissionis distribui, cum inquit: Ego pars et hæreditas tua. Ac quamvis id omnibus fidelibus commune sit, præcipua tamen ratione eis conveniat necesse est, qui se Dei ministerio consecrarunt."

4.—Potestas ecclesiastica duplex distingui debet, ordinis nempe et jurisdictionis.—Hæc, seu potestas jurisdictionis, tota in corpore Christi mystico versatur; cum ad eam spectet christianum populum regere, gubernare, ac dirigere ad æternam cœlestemque beatitudinem.—Potestas autem Ordinis ad verum Christi corpus in mysterio Eucharistiæ realiter præsens tota refertur; ita tamen ut non solum consecrandæ Eucharistiæ vim habeat, sed ad eam accipiendam hominum animas præparet, atque idoneos reddat, et cetera omnia complectatur quæ ad Eucharistiam consecrandam et suscipiendam quovis modo referantur.—Ordines igitur secundum habitudinem ad Eucharistiam distinguuntur:—id est, secundum potestatem quam conferunt sive ad consecrationem corporis et

sanguinis Christi, sive ad quamdam cooperationem circa corporis et sanguinis Christi consecrationem ac susceptionem.

5.—Hinc, aliquo vero sensu, dici potest duplicem tantum esse in Ecclesia gradum et ordinem, *sacerdotum* scilicet et *ministrorum*; id est, eorum qui Augustissimum Eucharistiæ Sacrificium offerre possunt ac debent, et eorum qui, relate ad sacrificium Eucharistiæ, sacerdotibus ministrant.

6.—Sacerdotium est ministrorum ecclesiasticorum Ordo supremus:—verum etsi omnes sacerdotes eamdem potestatem habeant offerendi Missæ sacrificium, non omnes eadem potestate donantur, quæ spectet sive corpus Christi mysticum, sive corpus Christi naturale in Eucharistia. Quamobrem sacerdotium est duplex, *summum* seu *primi Ordinis*, quod est *episcopatus*; et *secundi ordinis*, quod simpliciter sacerdotium appellatur, et est *presbyteratus*.

7.—Ex dictis facile intelligitur sensus quarumdam locutionum, quæ non raro occurrunt apud Patres, dum quandoque duos Ordines in Ecclesia, scilicet sacerdotum et ministrorum, quandoque tres Ordines enumerant, episcoporum, presbyterorum et diaconorum:—spectant enim *vel* duplicem habitudinem ministrorum Ecclesiæ ad Eucharistiam, *vel* cum hac habitudine spectant etiam duplicem gradum sacerdotii, propter quem triplex ordo hierarchicus constituebatur.—Similiter intelligitur qua ratione Concilium Tridentinum declaret ecclesiasticam hierarchiam divina institutione constare ex "*episcopis, presbyteris et ministris*;" et in enumeratione Ordinum ecclesiasticorum (sess. 23. c. 2.) non indicet episcopatum. Enumeravit enim, tamquam supremum Ordinem, *sacerdotium*, quod episcopatum et presbyteratum complectitur; qui tamen inter se ita distinguuntur ut Ordo presbyteratus seu sacerdotii secundi ordinis, sacerdotio primi ordinis seu episcopatui, qui tamquam Ordo a presbyteratu distinctus considerari debet, subordinetur.

8.—Eadem ratione patet cur antiquiores quidam Theologi, ut Paludanus et alii, dixerint octo esse in Ecclesia Ordines; sex enim ordinibus usque ad sacerdotium communiter numeratis, adjungebant loco Sacerdotii, Presbyteratum, et Episcopatum. Nonnulli vero Canonistæ Ordinibus proprie dictis, addebant clericalem Tonsuram, quæ ad Ordines disponit; et ideo, latiori quodam sensu, dixerunt Ordines esse novem.

9.—Ministrorum ad altare multiplex est gradus et Ordo, sicut mul-

tiplex est circa sanctissimam Eucharistiam ministrorum cooperatio. Hæc vel Eucharistiam ipsam spectat, vel suscipientes;—et optime ab Angelico Doctore declaratur, in 4. dist. 24. q. 2. a. 1. quæst. 2. (Suppl. q. 37. a. 2.).

Hæc sunt verba S. Doctoris:—"Dicendum quod ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum, ut Dionysius dicit, c. 3. Eccles. Hierarch., in princ. Sicut enim templum, et altare, et vasa, et vestes, ita et ministri, qui ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent: et hæc consecratio est ordinis sacramentum. Et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam: quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiæ.

"Si primo modo, sic est ordo sacerdotum: et ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, et patenam cum pane, accipientes potestatem conficiendi corpus, et sanguinem Christi.

"Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes.—Si primo modo, sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit; et hoc pertinet ad diaconum. Unde in littera, 4. dist. 24. dicitur quod ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi: unde et ipse Christi sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti: et hoc pertinet ad subdiaconos: unde dicitur in littera, ibid., quod vasa corporis et sanguinis Domini portant, et oblationem in altari ponunt: et ideo accipiunt calicem de manu episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandam materiam sacramenti: et hoc competit acolytho. Ipse enim, ut in littera, ibid., dicitur, urceolum cum vino et aqua præparat: unde accipit urceolum vacuum.—Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium, loc. sup. cit. Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes; et hi totaliter etiam a visione divi-

norum et cœtu fidelium arcendi sunt: et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni; et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum: et ideo prima rudimenta doctrinæ fidei, scilicet Vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni; et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum. Et sic patet ratio et numeri et gradus ordinum."

10.—Ordo diversimode *sacer* vocari potest. Si enim secundum se consideretur, quilibet Ordo dici potest sacer, cum sit solemni ritu collatus, et ad ministerium sacrum referatur.—Si vero Ordo sacer dicatur ille qui, ut loquitur S. Thomas (Suppl. q. 37. a. 3.), aliquem actum habet circa rem consecratam; "*tres* tantum sunt," prosequitur S. Doctor, "Ordines sacri, scilicet *sacerdotium* et *diaconatus*, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et *subdiaconatus*, qui habet actum circa vasa consecrata."—Sin autem Ordo sacer appelletur ille cui annexa sit obligatio continentiæ quæ ex ecclesiastica lege oritur, subdiaconatus est nunc utique, juxta præsentem Ecclesiæ Latinæ disciplinam, Ordo sacer; sed hoc sensu sacer non fuit semper, subdiaconi enim illa lege primitus non adstringebantur.—Si demum Ordo sacer nuncupetur ille qui principatum sacrum, juxta gradum suum, habet in Ecclesia; in hoc etiam sensu subdiaconatus non est Ordo sacer: subdiaconus enim est subminister, et inservit Diacono.

11.—Si quæratur qua ratione sacramentum Ordinis, quod unum est, in septem Ordines dividatur, seu, quod idem est, qua ratione septem Ordines unum efficiant sacramentum Ordinis; respondemus cum S. Th. (Sup. q. 37. art. 1. ad 2.): "Divisio Ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi: cujus hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic: tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit, Num. XI. 17. Moysi: 'Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi.' Et ideo omnes Ordines sunt unum sacramentum."

Et ut melius sensus hujus doctrinæ intelligamus, rem optime nobis declarabit Albertus Mag. (in 4. s. d. 24. a. 3.).—"Dico," inquit, "quod

hoc totum, medium est inter integrale et universale: quia in modo constitutionis sive perfectionis ex partibus, simile est integrali, hoc est, per respectum partium ad totum : sed per respectum totius ad partes, habet similitudinem cum toto universali, quia prædicatur de qualibet parte :—sed deficit ab utroque in aliquo ; ab universali quidem, quia licet prædicetur de omnibus, tamen secundum perfectam rationem suæ potestatis non prædicatur nisi de ultimo ; et de omnibus aliis prædicatur non secundum perfectam rationem, sed prout participatur aliquid de potestate ultimæ partis, quia in omni toto potestativo semper pars potestatis antecedentis est in subsequente. Unde Boët. dicit, quod quidquid potest inferius, potest et superius, et non convertitur : et Dionysius, quod superiora habent potestatem inferiorum excellenter et eminenter, sed non convertitur. A toto autem integrali deficit, quia essentia totius adest cuilibet parti, et propter hoc etiam ratio adest, licet secundum potestatem imperfectam et perfectam, ut prius dictum est."

His præmissis, sit

THESIS II.

Septem in Ecclesia catholica sunt Ordines, scilicet ostiarii, lectoris, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, et sacerdotis. Sacerdotium tamen est Ordo bipartitus ; nam episcopi, qui sunt sacerdotes primi ordinis, sacerdotibus secundi ordinis seu presbyteris, jure divino superiores sunt, potestate tum Ordinis tum jurisdictionis.

Prima pars thesis, prout spectat sacerdotium et diaconatum, demonstrari non debet ; hi enim ordines, in Scripturis Novi Testamenti frequenter commemorati et in tota Ecclesiæ Catholicæ historia passim occurentes, a nemine respuuntur. Ceterum in argumentis, quæ afferemus, ad existentiam aliorum Ordinum demonstrandam, tum de sacerdotio, tum de diaconatu mentio fiet.—Probanda est igitur existentia quinque ordinum quos in thesi præter sacerdotium enumeravimus ; et hæc evincitur unico argumento, quod subjungimus :

Illi ordines, nec plures, nec pauciores, admittendi sunt, qui semper in Ecclesia, uti tales, agniti fuerunt.—Atqui ordines qui in thesi recensentur semper in Ecclesia, ut tales, admissi fuerunt.—Ergo.

Minor, quæ probari solum debet, ex multis ecclesiasticis documentis indubie eruitur.

Et in primis, ad Ecclesiam Latinam quod attinet, Ordines, quos defendimus, nominantur in vetustissimis scriptis Patrum, qui modo unum, modo alium, modo plura, modo omnia simul, prout occasio scribendi ferebat, commemorant, ut distinctos clericorum gradus, ab omnibus agnitos.

Tertullianus (l. de Præscript. c. 41.) dum hæreticorum ordinationes condemnat, aperte alludit ad ordinationes rite peractas apud catholicos, et inter eas ordinationem Lectoris indicat: "Ordinationes eorum," inquit, "temerariæ, leves, inconstantes: nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. . . . Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector."

Sed audiamus S Cyprianum. In Epistola 3. ad "presbyteros et diaconos Romæ consistentes" de *subdiacono* loquitur: "Accepi," ait, "a vobis litteras ad me missas per Crementium hypodiaconum, quibus plenissime de glorioso ejus exitu instruerer; et exultavi satis quod, pro integritate administrationis ejus, consummatio quoque honesta processerit."—Eumdem Crementium subdiaconum nominat clerus Romanus in Epistola 2. (inter Epist. S. Cypr.) "ad Clerum Carthaginensem."

In Epistola 24. "ad Clerum," S. Cyprianus de Ordinationibus Saturi *Lectoris* et Optati *Subdiaconi* ita scribit: "Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. . . . Sed et illud ad vos perferre litteris meis debui, urgente causa clero in Urbe consistenti litteras me misisse. Et quoniam oportuit me per clericos scribere, scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos vero qui illic sunt vix ad ministerium quotidiani operis sufficere, necesse fuit novos aliquos constituere qui mitterentur. Fecisse me autem sciatis lectorem Saturum et hypodiaconum Optatum confessorem, quos jam pridem communi consilio clero proximos feceramus, quando aut Saturo die paschæ semel atque iterum lectionem dedimus, aut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus, examinantes an congruerent illis omnia quæ esse debent in iis qui ad clerum parabantur. Nihil ergo a me absentibus vobis novum factum est, sed quod jampridem communi consilio omnium nostrum cœperat, necessitate urgente promotum est."—Saturum *lectorem* et Optatum *hypodiaconum* iterum commemorat in Epistola 29. ad "presbyteros et

diaconos Romæ consistentes;" et solum Saturum in Ep. 32. ad "clerum Carthaginensem."

Sed præ ceteris notanda est Epistola 33., qua *clero et plebi*, renuntiat Aurelium a se Lectorem fuisse ordinatum. Sanctum Antistitem audiamus. "Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi universæ salutem. In ordinationibus clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed exspectanda non sunt testimonia humana cum præcedunt divina suffragia. Aurelius frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus et Deo carus, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus, minor in ætatis suæ indole, sed major in honore, gemino hic agone certavit; bis confessus, et bis confessionis suæ victoria gloriosus, et quando vicit in cursu factus extorris, et cum denuo certamine fortiore pugnavit, triumphator et victor in prælio passionis. . . . Merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus et incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus. Sed interim placuit ut ab officio lectionis incipiat, quia et nihil magis congruit voci quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia quæ Christi martyrem prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde martyres fiunt; ad pulpitum post catastam venire, illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis qui præsentes aderant ordinatum sciatis. Quod vos scio et libenter amplecti et optare tales in Ecclesia nostra quam plurimos ordinari."

In Epistola sequenti, seu 34. ad "clerum et plebem" pariter missa, S. Cyprianus de ordinatione alterius Lectoris loquitur, cujus merita confessionis amplissima celebrat laude. "Exultate itaque," inquit, "nobiscum litteris nostris, quibus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum, virtutibus pariter et moribus gloriosum clero nostro, non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum. . . . . . Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem . . . quid aliud quam super pulpitum, id est super tribunal Ecclesiæ, oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspi-

cuus, legat præcepta et Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat. . . . . . . Hos Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat."

Inter Epistolas S. Cypriani extat 79. quam Cypriano miserant Lucius aliique martyres ad metalla damnati, et ex ea constat *Acolythos* etiam tunc fuisse in clero. "Supervenerunt litteræ tuæ, frater clarissime," inquiunt, "quas per Herennianum hypodiaconum, et Lucianum et Maximum et Amantium *acolythos* misisti nobis; quibus lectis recipimus in vinculis laxamentum, in pressura solatium et in necessitate præsidium et excitati sumus et robustius animati ad si quid amplius fuerit pœnarum."—Hos acolythos nominant etiam Nemesianus, Dativus, Felix et Victor martyres in Epistola ab eis missa S. Cypriano (inter Epistola S. Cypriani 78.). Ipse S. Cyprianus in Epistola sua 28. "ad presbyteros et diaconos" de alio Acolytho loquitur, cui nomen erat Favorinus.

Demum libello, martyrum nomine a Luciano conscripto, ad indulgentiam pro pœnitentibus postulandam, exorcistæ ordo commemoratur. "Universi confessores Cypriano papæ salutem. Scias nos universis de quibus apud te ratio constituit quid post commissum egerint, dedisse pacem, et hanc formam per te et aliis episcopis innotescere voluimus. . . . . . Præsente *de clero et Exorcista et Lectore*, Lucianus scripsit."

Eodem sæculo III. S. Cornelius Papa, in Epistola ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ præsulem missa anno 252., quam Eusebius Cæsariensis in Historia ecclesiastica (l. 6. cap. 43.) nobis servavit, omnes Ordines esse tunc in Ecclesia Romana aperte declarat. De Novato enim hæretico scribens, S. Cornelius inquit: "Ergo ille Evangelii vindex, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia catholica. In qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) *presbyteros* quidem esse sex et quadraginta, septem autem *diaconos* totidemque *subdiaconos*, *acolythos* duos et quadraginta, *exorcistas* et *lectores* cum *ostiariis* quinquaginta duos."

Sæculo IV. Concilium Carthaginense IV. celeberrimum, cui S. Augustinus interfuit, anno 398. celebratum, non solum ordines omnes, quos vindicamus, commemorat, sed pro unoquoque singillatim, tradit ritum ordinationis. Hi enim sunt canones pro ordinationibus:—

Can. 2. "Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant

Evangeliorum codicem super caput et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant."

Can 3. "Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant."

Can. 4. "Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur."

Can. 5. "Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua et mantile, et manutergium."

Can. 6. "Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi."

Can. 7. "Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo : Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum."

Can. 8. "Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium. Post hæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum : Accipe et esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint.

Can. 9. "Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens : Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur."

Et ad ostendendum officium Psaltis non esse alium Ordinem a veris et proprie dictis Ordinibus distinctum, additur a Concilio canon 10., qui sic se habet : "Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi pres-

bytero: Vide ut quod ore cantas, corde credas: et quod corde credis, operibus comprobes."

Hoc ipso sæculo IV. S. Paulinus Nolanus de S. Felice Nolanæ Ecclesiæ presbytero, qui temporibus Decii glorioso confessoris titulo illustris effectus, multo illustrior erat miraculis, quæ ad ejus tumulum creberrime fiebant, sancta ejus munia in Ecclesia describens, canebat (poem. 15. v. 108.):

. . . . Primis lector servivit in annis.
Inde gradum cœpit, cui munus voce fideli
Adjurare malos et sacris pellere verbis.

Et Sulpicius Severus in Vita S. Martini (n. 5.) narrat: "Tentavit autem idem Hilarius [S. Hilarius Pictaviensis] imposito diaconii officio sibi eum [Martinum] arctius implicare et ministerio vincere divino. Sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans. . . . . *exorcistam* eum esse præcepit, quam ille *ordinationem*, ne despexisse tamquam *humiliorem* videretur, non repudiavit."

Eodem sæculo S. Siricius Pontifex Romanus definiens tempus quod in ministerio impendi debebat ut clericus ex inferiori ordine ad superiorem ascendere posset, decrevit, in Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem (Epist. 1. cap. 9.): "Quicumque . . . se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et *lectorum* debet ministerio sociari. Qui accessu adolescentiæ usque ad tricesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum, et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, *acolythus* et *subdiaconus* esse debebit; postque ad *diaconii* gradum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue *presbyterium* consequatur. Exinde, post decennium, *episcopalem* cathedram poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata."

Et in eadem Epistola (cap. 10.) continuo addit:

"Qui vero jam ætate grandævus, melioris propositi conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus

et subdiaconus fiat, et sic ad diaconium, si per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum, presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis edecumarit electio, non immerito sortietur."—Demum (cap. 13.): "Monachos quoque," inquit, "quos tamen morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut qui intra tricesimum ætatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore, promoveantur ordinibus: et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia, maturæ ætatis consecratione, perveniant. Nec saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita."

Initio sæculi V., S. Innocentius I., Ep. 38. ad Episcopum Nucerinum (cap. 5.), scribebat tempora "a majoribus" constituta pro ordinibus conferendis omnino esse servanda, "nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat."

Et successor ejus S. Zosimus Papa in Epistola ad Hesichium episcopum Salonitanum vigore apostolico inculcabat necessitatem servandi tempora statuta pro ordinationibus: "Si quid auctoritati tuæ," ait, "quod nos non opinamur, æstimas defuisse, supplemus. Obsiste talibus ordinationibus, obsiste superbiæ et arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas. Si enim officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinato temporibus deferunt: quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ pensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit, et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta [Merl. rudimentis] servitii: nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen ætas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Jure inde summi pontificis locum sperare debebit."

Evidens autem est in hoc decreto, sicut in præcedentibus Siricii et Innocentii, nolle Summum Pontificem omnes omnino Ordines, qui in Ecclesia tunc erant, recensere; sed solum præscribere tempus, quod nisi

prius fuerit in *exercitio* alicujus Ordinis expletum, non poterat quis ad alium ordinem recipiendum licite admitti.—Hinc in ordinibus a Zosimo commemoratis, non indicatur Ordo *ostiariatus;* non quia non erat Ordo, aut non debebat suscipi, sed quia non requirebatur ut munia ejus omnes implerent, tempore aliquo determinato, antequam promoverentur ad superiorem Ordinem.—Hinc in eadem Ep. c. 3. ait: "Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret:" et continuo addit: "Si major jam et grandævus accesserit, ita tamen, ut post baptismum statim, si divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat" etc.

Eodem V. sæculo Gelasius Papa, Epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ, de eadem re agens, et temporis intervalla pro susceptione Ordinum imminuens ob urgentem quarumdem Ecclesiarum, necessitatem, statuit:

"Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodire, eatenus ecclesiis quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeo dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam intuendi quam promovendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus. Ut si quis etiam de religioso proposito, et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat . . . . . si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis *ostiarii* possit implere ministerium: ut si his omnibus quæ sunt prædicta fulcitur, continuo *lector*, vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat *acolythus*, maxime si huic ætas etiam suffragatur; sexto mense *subdiaconi* nomen accipiat: ac si modestæ conversationis honestæque voluntatis existit, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter: cui tamen, quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse devotio."

Et ad idem sæculum V. quod attinet, S. Hieronymus de omnium ordinum collatione testimonium apertissimum reddit.—Etenim in Epistolis 102. et 103. ad S. Augustinum missis, Asterium *Hypodiaconum* nominat; et Commentario in Epist. ad Titum, II. 15., ait: "Non solum

episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopore providere ut cunctum populum, cui præsident, conversatione et sermone præcedant; verum et inferior gradus, *exorcistæ, lectores, æditui,* et omnes omnino qui domui Dei serviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quam clericos."—Et demum in Ep. 52. ad Nepotianum, ubi vivendi formam describit quam Clerici sequi debent, de *acolytho* loquitur.

Ne sim infinitus, documentis jam citatis solum hoc addam, nempe, sæculo VI., S. Gregorium Magnum in libro Sacramentorum totum ritum quo Ordines omnes, incipiendo ab *ostiario,* usque ad ordinationem *episcopi* conferebantur, plenissime tradere. Ibi enim legimus: "Incipit *ordo ad sacros ordines benedicendos.* Majores gradus ante Evangelium, minores vero post communionem dantur. . . . . . Ordinatio ostiarii . . . . ordinatio lectoris . . . . ordinatio exorcistæ . . . . ordinatio acolythi . . . . ordinatio subdiaconi" etc.—Et post S. Gregorii Magni ætatem, omnes scriptores ecclesiastici, ut S. Isidorus Hispalensis, Beda, Rabanus Maurus et ceteri, qui de ecclesiasticis ordinibus et ordinationibus loquuntur, septem Ordines, atque hos tantum, recenserunt.

Manet igitur evidenter probatum Ecclesiam Latinam, prout constat ex antiquissimis ac indubiis documentis, semper, et absque ulla mutatione, septem ordines ministrorum, quos defendimus, agnovisse.

Quod autem Ecclesia Græca, primis christianæ religionis sæculis, agnoverit etiam septem ecclesiasticos Ordines, quos defendimus, ex sequentibus certis et pro re nostra validissimis documentis ostendimus.

In Concilio Antiocheno, habito anno 341. canone 6. statuitur: "Si quis a proprio episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit a proprio episcopo susceptus. . . . . Idem autem decretum adversus laicos, et presbyteros et diaconos, et *eos qui sunt in cleri catalogo* observetur."—Deinde in canone 10. clarius nominantur illi qui, præter presbyteros et diaconos, inter clericos gradum habent. "Ii qui sunt in vicis, vel pagis," inquit Concilium, "qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi episcopi ordinationem, manuumve impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant . . . . constituant autem *lectores, hypodiaconos et exorcistas et eorum promotionem sufficere existiment,* nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant absque urbis episcopo, cui subjicitur ipse et regio."

Eodem sæculo IV. in Concilio Laodiceno, canone 20., statuitur:

"Quod non oportet diaconum ante presbyterum sedere, sed sedere cum jussu presbyteri. Similiter autem etiam haberi honorem diaconis *a ministris et omnibus clericis oportet.*"—Post diaconos ergo, sequebantur illi qui hic *ministri* appellantur, seu *subdiaconi*, et post eos alii gradus clericalis ordinis numerabantur.—Pro subdiaconis, canone 21. præscribitur: "Quod non oportet *ministros* locum habere in diaconis [id est in locis Ecclesiæ apud apsidem positis, quæ et secretaria et pastophoria appellabantur], et sacra vasa tangere:"—et in canone sequenti, seu 22., *ostiarium* commemoratur: "Quod non oportet *ministrum* ferre orarium [stolam, qua utebantur presbyteri et diaconi], neque *fores* [τας θύρας] relinquere." Demum, canone 24., clarissime omnes ministrorum ordines commemorantur his verbis: "Quod non oportet sacro ministerio deditos, a presbyteris usque ad diaconos, et reliquum ecclesiasticum ordinem, id est usque ad *subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas,* et *ostiarios,* et ex numero continentium et monachorum, ingredi tabernas."

Sub finem sæculi VII. Concilium Quinisextum in 4. canone statuit: "Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel *subdiaconus*, vel *lector*, vel *cantor*, vel *ostiarius*, cum muliere Deo dicata coierit, *deponatur*. . . . Sin autem laicus *segregetur*."

Acolythum nomine *deputati* et *ceroferarii* agnovisse videntur Græci, saltem sequioris ætatis, et Orationem pro ejus *ordinatione* ex antiquissimo Cryptoferratensi Bessarionis codice edidit Goarius in Euchologio. Qui et ibidem, apposita post ordinationem Lectoris nota, aperte testatur, præter Lectores, de quibus nullum dubium occurrere potest, "omnino indubium sibi esse, Ecclesiam Græcam ostiarios, exorcistas et acolythos suis ministris aggregasse."

Quod etiam constat ex Litteris ab Innocentio IV. missis, anno 1254., ad Othonem episcopum Tusculanum, et Sedis Apostolicæ in Regno Cypri Legatum. Pontifex enim "expresse præcipit quod episcopi Græci septem Ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de cetero conferant, cum hucusque *tres de minoribus neglexisse, vel prætermisisse dicantur.*"—Quibus verbis et illos ordines jam primitus agnovisse Græcos, et suis olim clericis contulisse, sat aperte Innocentius IV. indicat.

Quin etiam, eosdem Ordines nec omnino prætermissos fuisse a Græcis sequioris ætatis contendit Arcudius, his in rebus peritissimus, cum

asserat ordines Ostiarii, Exorcistæ et Acolythi connexos fuisse cum Ordine Lectoris, ac proinde in unica ordinatione simul omnes quatuor minores ordines ostiarii, exorcistæ, lectoris et acolythi fuisse collatos.—Hoc ipsum sibi fuisse testatos Christophorum Campanam Canonarcham Chiensem, et Nathanaëlem S. Mauræ Archiepiscopum refert Goarius (Euch. p. 239.). Dixerunt enim, scribit Goarius, "æqualem esse utraque in Ecclesia numerum ordinum; Ostiarios tamen, Exorcistas et Acolythos Græcam separatim non instituere, sed unica Lectoris benedictione, quatuor a nobis minores Ordines vocatos conferre, atque ita uno lectoris ordine accepto, ostiarium, exorcistam, lectorem et acolythum eumdem evadere." Cujus quidem rationis indicium et signum ostendebant, prosequitur Goarius, "quod lector ordinatus, idem sacris altaris foribus adstat, cæreum Evangelio legendo præfert, Scripturam quoque sacram legit, atque energumenis ex Pontificis commissione, quæ nunc tantum sacerdotibus demandatur, manus posset imponere."

Concludamus igitur et dicamus, hoc certis probationibus esse demonstratum, nempe antiquam et Orthodoxam Ecclesiam Græcam eosdem omnino Ordines ecclesiasticos agnovisse quos Ecclesia Latina semper agnovit, et Concilium Tridentinum enumeravit.

In *secunda parte thesis* statuimus sacerdotium esse ordinem bipartitum, id est, complecti sub se ordinem presbyterorum qui sunt sacerdotes inferioris seu secundi ordinis, et ordinem episcoporum qui sunt summi sacerdotes, seu primi ordinis.

Hanc episcoporum præeminentiam sæculo IV. Aërius presbyter Arianus impugnavit, cujus verba refert S. Epiphanius (Adversus hæreses, lib. 3. tom. 1.—hæresi 75. n. 3.): "Quanam in re presbytero," aiebat Aërius, "episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas. Manus imponit episcopus, imponit et presbyter; baptizat episcopus, idem facit et presbyter; divinum omnem cultum administrat episcopus non minus id facit et presbyter; episcopus in throno sedet, et presbyter."

Hunc Aërii errorem innovavit Calvinus, sæculo XVI., de primitiva Ecclesia christiana scribens (l. 4. Inst. cap. 4. n. 2.): "Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur;

neque tamen sic honore et dignitate superior erat episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consensu fuerit, exequatur; id muneris sustinebat episcopus in Presbyterorum cœtu, atque id ipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres."

Longe longeque ab his erroribus remota fuit sententia quorumdam Scholasticorum, qui negaverunt episcopatum esse a presbyteratu Ordinem distinctum. Ii enim in omnibus catholice sentientes, admittebant episcopos esse presbyteris superiores, fatebantur episcopatum a Christo Domino esse institutum, agnoscebant multa solis episcopis competere quæ non competunt presbyteris:—sed solum ex eo quod eamdem potestatem consecrandi Eucharistiam habeant tum episcopi tum presbyteri, nolebant in episcopatu agnoscere Ordinem diversum a presbyteratu, et malebant dicere episcopatum esse novum officium respectu quarumdam actionum sacrarum; propter quod in consecratione sua episcopus characteris, in ordinatione presbyterali impressi, extensionem reciperet ad novam et ampliorem potestatem ac dignitatem.

Verum, post Concilii Tridentini declarationes et definitiones, opinionem hanc veterum Scholasticorum,—quæ magis in verbis, quam in re ipsa differt a doctrina quam defendimus—paulatim theologi dereliquerunt; et communiter nunc admittunt episcopos non modo esse *jure divino* presbyteris superiores quoad potestatem tum ordinis tum jurisdictionis, sed etiam eos in sacerdotii apice ita esse constitutos, ut Ordine, a presbyterali Ordine distincto, sacerdotibus inferioribus, seu presbyteris, antecellant.

Hoc sensu secunda pars thesis, superius proposita, intelligi debet, quam sequentibus argumentis demonstramus.

Et ad potestatem ordinis quod attinet, episcopi ordinare possunt presbyteros, presbyteri vero nunquam id *valide* facere possunt.—Ergo episcopi presbyteris jure divino quoad potestatem ordinis antecellunt.

Consequentia patet, nam 1)—potestas ordinandi presbyteros, est ad constituendos sacerdotes qui valeant consecrare Eucharistiam et offerre sacrificium; ac proinde est potestas Ordinis. 2)—est potestas quæ non

confertur *humano jure*, secus posset eodem jure vel episcopis auferri, vel conferri etiam presbyteris; ergo est potestas collata episcopis *jure divino*.

Antecedens probatur ex Traditione, quæ clarissime relucet tum in perpetua Ecclesiæ praxi, tum in manifestis Patrum declarationibus.

Etenim, ut prius de praxi loquamur, in toto sæculorum decursu a prima legis christianæ promulgatione usque ad nos, in tanta rerum, hominum ac circumstantiarum varietate, et in maximis sæpe atque urgentissimis Ecclesiarum particularium necessitatibus, nullum exemplum reperitur ordinationis presbyteri factæ ab aliquo qui non esset episcopus, quæque *valida* habita fuerit.

Ex Patribus autem tria solum, brevitatis causa, afferam testimonia.

Et primo S. Hieronymus, quem Presbyteriani pro se invocant, aperte testatur solos episcopos ordinare posse presbyteros: etenim in Ep. 146. alias 85., ad Evangelum sine ulla ambiguitate dicit (num. 1.): "Quid enim facit, *excepta ordinatione*, episcopus quod presbyter non faciat?"

S. Joannes Chrysostomus, Hom. 11. in Ep. 1. ad Tim., cum dixisset "inter episcopos et presbyteros *ferme* nihil interesse,"—sunt enim pares quoad ineffabilem consecrandi Eucharistiam potestatem, quam omnes sacerdotes in ordinatione presbyterali accipiunt,—addit "sola quippe *ordinatione* superiores sunt, atque hoc tantum *plus quam* presbyteri habere videntur."

S. Epiphanius loquens de Aërii errore—quem appellavit (hæres. 75. n. 3.) "*dogma supra hominum captum furiosum et immane*,"—hæc pro nobis disertissima profert (num. 4.): "Enimvero totum illud [Aërii dogma] stoliditatis esse plenissimum, prudens quisque facile perspicit, velut cum episcopum ac presbyterum adæquare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter cum Patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat."

Atque huc facit celebre documentum quod doctrinam simul et Ecclesiæ praxim, quoad rem nostram, patenter ostendit.

In Apologia S. Athanasii contra Arianos (n. 12.) his verbis calumniæ

Ischyræ qui presbyterum se esse dicebat, refutantur: "Unde igitur presbyter Ischyras? quo ordinante? num Collutho? id enim solum restat. Atqui Colluthum, presbyterum obiisse, ambasque ejus manus *sine auctoritate* fuisse, ac omnes qui ab eo, schismatis tempore, ordinati sunt, ad laicorum statum redactos ita conventibus interesse, *omnibus notum ac nulli dubium est.*"—Et in eadem Apologia (n. 75.), testimonium refertur a presbyteris plurimis Philagrio Ægypti præfecto missum, ubi de eodem Ischyra legimus: "Scelus confictum delatumque fuerat a quodam, quem secum adducebant, Ischyra, qui se presbyterum jactitabat, tametsi non presbyter. Ordinatus quippe fuit a Collutho presbytero, qui falso episcopi nomine gloriabatur, demumque in communi Synodo, ab Hosio et sociis ejus episcopis celebrata, ad priorem presbyteri ordinem redactus est. *Ac consequenter quotquot a Collutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reversi conditionem;* ita ut ipse quoque Ischyras inter laicos visus fuerit."

Quod autem jure divino episcopi presbyteris etiam quoad potestatem jurisdictionis antecellant patet in primis ex typo veteris legis. In ea enim lege unus fuit summus sacerdos, nempe, Aaron, et qui succedebant Aaroni; et præterea erant omnes inferiores sacerdotes, omnes nempe Aaronis filii; denique erant ceteri Levitæ, qui a Levi descendebant, sed non per Aaronem. Hi autem gradus jure divino distincti erant; ut jure divino summus sacerdos auctoritate et dignitate superior esset inferioribus sacerdotibus, et hi superiores essent ceteris Levitis; unde trium illorum graduum diversæ erant consecrationes, sicut et vestes, ac officia.—Cum ergo hæc hierarchia, a Deo per Moysen in lege veteri instituta, figura fuerit hierarchiæ per Christum instituendæ in lege nova; et episcopi sint in lege nova quod erant summi sacerdotes in veteri; et quod erant inferiores sacerdotes, modo sint simplices presbyteri, sicut quod erant Levitæ, modo sunt diaconi; sequitur, episcopos supra presbyteros, et presbyteros super diaconos, divino jure, in nova lege constitutos esse.

Quam episcoporum excellentiam super presbyteros in lege Mosaica præfiguratam, et pro impletione illius figuræ in Ecclesia christiana divino jure constitutam, agnoscebat S. Hieronymus in Epistola superius citata ad Evangelum, quam concludit his verbis: "Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod

Aaron et filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia." Et in Epistola 52. ad Nepotianum ait: "Quod Aaron et filios ejus, hoc esse episcopum et presbyteros noverimus."

Præterea Apostoli jure divino omnibus in Ecclesia potestate jurisdictionis antecellebant. Sed episcopi loco Apostolorum constituuntur. Ergo.—E Patribus qui minorem hujus argumenti propositionem docent, audiamus unum, S. Augustinum. In Psalmum XLIV. explicans verba vers. 17.: "Pro patribus tuis nati sunt tibi filii," ait (n. 32.): "Quid est, 'pro Patribus tuis nati sunt tibi filii?' Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? ipsa Ecclesia patres illos appellat; ipsa illos genuit [per episcopalem ordinationem] et ipsa illos constituit in sedibus patrum [Apostolorum]: non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es; de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Constitues eos Principes super omnem terram."

Nec immerito ex ipsis verbis Pauli Apostoli S. Epiphanius (loc. cit.) argumentatur. "Quod autem," inquit, "non idem esse possit cum episcopo presbyter, divinus Apostoli sermo declarat, quo, quisnam episcopus, quisnam presbyter, intelligitur. Nam ad Timotheum episcopum scribens, ita loquitur: 'Presbyterum ne objurges, sed hortare velut patrem.' Quid autem attinebat episcopo vetare, ut ne presbyterum objurgaret, nisi majorem supra presbyterum auctoritatem haberet? Quare deinceps admonet: adversus presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus."

Demum excellentiam episcoporum super presbyteros evidenter evincunt sequentia loca Patrum antiquiorum luculentissima, quæ inter multa seligimus ad exemplum.

S. Ignatius Martyr, qui obiit anno 107. ær. vulg., Ep. ad Ephesios (num. 3.) scribit: "Episcopi per tractus terræ constituti, in sententia Christi sunt;" et (num. 6.): "quemcumque" ait, "paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum."

In Epistola ad Magnesios (num. 6.) inquit: "Hortor ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo præsidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis, concreditum habentibus ministerium Jesu Christi."

Eamdem doctrinam S. Ignatius Martyr iterum inculcat, cum in Epistola ad Trallianos (n. 3.) dicit: "Cuncti revereantur diaconos ut mandatum Jesus Christi, et episcopum ut Jesum Christum et presbyteros ut senatum Dei et Concilium Apostolorum."—Et in Epistola ad Philadelphenses: "Studeatis," inquit, "una Eucharistia uti: una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyterio et diaconis conservis meis; ut quod faciatis, secundum Deum faciatis."

Clemens Alexandrinus, qui obiit an. 217. ær. vulg., l. 6. Stromatum (c. 13.) scribit: "In Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes angelicæ gloriæ, et illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ expectare illos qui, insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ conveniente Evangelio. . . . Scribit Apostolus, primo quidem diaconos futuros, deinde cooptandos esse in presbyteratum progressu gloriæ (nam gloria differt a gloria) donec in virum perfectum [id est, episcopum] creverint." Igitur episcopi tam distinguuntur a presbyteris, quam hi a diaconis; et quemadmodum presbyteri diaconis hic superiores esse asseruntur, quod et hæretici fatentur, ita et presbyteris episcopi. Tres enim gradus ex æquo a se invicem secreti recensentur, e quorum uno progressus fiat ad alium.

Eodem sæculo III., Origenes Hom. 11. in Jeremiam (opp. tom. 3. p. 370. Migne P. G. t. 13.) quam habuit, cum jam esset presbyter, inquit: "Nos qui putamur aliquid esse, id est qui in clericatus vobis ordine præsidemus in tantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus. . . . Sed si ordinem clericatus et mereamur pariter et habeamus. . . . . Plus a me exigitur quam a diacono; plus a diacono, quam a laico: qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet [episcopus], pro omni Ecclesia rationem reddet."

Et S. Cypr. Ep. 27. ad Lapsos (n. 1.), inquit: "Dominus noster, cujus præcepta et monita observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens . . . dicit Petro: Tu es Petrus et super istam

petram ædificabo Ecclesiam meam. . . . Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror . . . etc."—Quid clarius?

Sæculo IV. S. Optatus Milev., l. 1. de Schismate Donatistarum, c. 13., loquens de atrocissima Diocletiani persecutione, quæ cœpta anno 303. alios fecit martyres, alios confessores, alios vero "funestam prostravit in mortem," ait: "Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? *Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi* illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ legis impie tradiderunt."

Demum excellentia episcoporum patet etiam ex potestate quam habent vi ordinationis suæ confirmandi, benedicendi oleum pro extrema unctione, aliaque perficiendi, quæ non possunt fieri a presbytero virtute solius ordinationis presbyteralis.

Et concludamus verbis Doctoris Angelici, qui episcoporum super presbyteros auctoritatem ita declarat (Suppl. q. 40. a. 4. ad 3.): "Sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiæ quantum ad aliquid gerit typum Christi, ut ex littera patet, 4. dist. 24. Et tamen ille est superior qui secundum majorem perfectionem Christum repræsentat. Sacerdos autem repræsentat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit; sed episcopus in hoc quod alios ministros instituit, et Ecclesiam fundavit. Unde ad episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuentem. Et propter hoc etiam episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut et Christus."

Hinc licet S. Doctor (ead. quæst. art. 5.) dicat episcopatum non esse ordinem, prout "ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ"—spectabat enim Angelicus potestatem, quam episcopus habet cum presbytero æqualem quoad consecrationem Eucharistiæ—aperte tamen fatetur (ib. ad 3.) potestatem episcopalem, qua episcopi presbyteris antecellunt, "non esse

tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis;" et ait secundum aliquem verum sensum negari non posse episcopatum esse ordinem.—Ipse Doctor Angelicus audiatur, qui in opusculo "de perfectione vitæ spiritualis," c. 24., circa præsentem quæstionem mentem suam clare nobis aperit.

Hæc sunt verba S. Doctoris:—"Quod vero quarto proponitur, quod episcopatus non est ordo; hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. Expresse enim dicit Dionysius esse tres ordines ecclesiasticæ hierarchiæ: scilicet episcoporum, presbyterorum, et diaconorum: et 21. dist. cap. *Cleros* habetur, quod ordo episcoporum quadripartitus est. Habet enim ordinem episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia; super quam principalem accipit curam, et quasi regalem. Sed quantum ad corpus Christi verum, quod in sacramento continetur, non habet ordinem supra presbyterum. Quod autem habeat aliquem ordinem, et non jurisdictionem solam, sicut archidiaconus vel curatus presbyter, patet ex hoc quod episcopus potest multa facere quæ non potest committere; sicut confirmare, ordinare et consecrare basilicas, et hujusmodi: quæ vero jurisdictionis sunt potest aliis committere. Idem etiam patet ex hoc quod si episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur tamquam potestate ordinis remanente, sicut et in aliis contingit ordinibus."

Difficultates quæ contra primam partim thesis occurrunt præoccupavimus; ideoque eas quæ secundam partem impetunt et potiores videntur, hic subjungimus.

Objicitur ergo

1. S. Paulus ita loquitur de episcopis ac presbyteris, ut aliquando presbyteros vocet episcopos, aliquando episcopos appellet presbyteros, et quidquid de episcopis dixerit, id pariter de presbyteris affirmaverit; ergo episcopi jure divino non sunt superiores presbyteris.

Prob. Ant. ex variis Scripturæ locis.—Ad Philipp. (I. 1.) scribit: "Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis, in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus:" hic autem per episcopos intelligi presbyteros manifestum est; si enim episcopi nomine significaretur primus aliquis sacerdos jurisdictione in ceteros præditus, non dixisset Paulus *cum episcopis*, sed cum episcopo; fieri enim nequit, ut ejusdem urbis plures sint episcopi sensu prædicto; ergo.—Ad Tim. I. IV. 14. ait: "Noli negligere gratiam ... quæ data est tibi per prophetiam, cum impo-

sitione manuum presbyterii." Idem ergo est presbyter, quod episcopus, cum fatentibus Catholicis sermo ibi sit de impositione manuum facta ab episcopis.—Ad Tit. I. 5. inquit: "Reliqui te Cretæ, ut . . . constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi." Subinde vero virtutes presbyteri describens, ver. 7. addit: "Oportet enim episcopum sine crimine esse;" ergo nihil discernit presbyterum inter et episcopum, prout ex particula *enim* intelligimus.—Denique Act. xx. 17. legitur: "A Mileto [Paulus] mittens Ephesum, vocavit majores natu [πρεσβυτέρους] Ecclesiæ," quibus deinde ait ver. 28.: "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;" ergo vel plures erant ejusdem civitatis episcopi, vel iidem erant presbyteri, qui episcopi.

Resp. 1. *Dist. Ant.*—S. Paulus presbyteros vocat episcopos et vicissim, quod episcopi et presbyteri *nomina* utrique ordini Apostolorum ævo fuerint communia *C.* Quasi *ordines* ipsos tunc distinctos non fuisse senserit *N. Ant. et conseq.*—Ita hoc argumentum solvit S. Chrysostomus Hom. 1. in Ep. 1. Philipp. (opp. t. 11. p. 195. A.) expendens illa verba: "Cum episcopis et diaconibus."–"Quid est hoc?" inquit, "an unius civitatis multi erant episcopi? nequaquam. Sed presbyteros ita appellavit. Tunc enim *nomina* adhuc erant communia, atque etiam ipse episcopus vocabatur diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens inquit, 'diaconiam, id est, ministerium tuum imple,' cum tamen ille episcopus esset, quod constat ex illis verbis ad eumdem scriptis . . . . 'quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.' Presbyteri enim episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens inquit: 'Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros.' . . . Quæ quidem de episcopis dicit. Namque hæc cum dixisset, statim addit: 'Oportet enim episcopum sine crimine esse.' . . . Antiquitus enim ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi, et episcopi presbyteri. Quocirca hodie multi episcopi ita scribunt: compresbytero et condiacono. Procedente vero tempore proprium cuique tributum est nomen, ut hic quidem episcopus, ille vero presbyter appellaretur."—Hanc Chrysostomi explicationem, tanquam omnium planissimam et commodissimam, plerique interpretum Græcorum et Latinorum tenent. Nam in S. Scriptura non tantum nomen Episcopi, sed etiam Apostoli et diaconi aliis quoque tribuebatur, qui ordine et auctoritate aut minores erant, aut multo

præstantiores. Præter duodecim, quos Christus in Evangelio elegit *Apostolos*, etiam Paulum, Barnabam, Andronicum aliosque hoc nomine cohonestatos legimus: imo Christus ipse (ad Hebr. 3.) *Apostolus* confessionis nostræ appellatur. Paulus se et Apollo (I. ad Corinth. III. 5. et 2. ad Cor. III. 6.) vocat *διακόνους ministros*, et ad Rom. XV. 8. ait, Christum *διάκονον* "ministrum fuisse circumcisionis." Petrus item epist. 1. c. 5. ver. 1. aiebat "presbyteros, qui in nobis sunt, obsecro compresbyter," aut juxta Vulgatum, *seniores*, *consenior*. Audentne Novatores Christo Apostolos et episcopos, Apostolorum principi presbyteros, imo episcopis diaconos facere auctoritate pares?

Resp. 2. cum S. Epiphanio, aliquibus in locis extitisse episcopos cum diaconis absque presbyteris, in aliis vero presbyteros cum diaconis sine episcopis; indeque factum, ut ubi Apostolus episcoporum mentionem fecit, de presbyteris omnino siluerit. En verba S. Epiphanii Hom. 75. (n. 5.) adversus Aërium ita dicentis: "Ut tam sibi quam auditoribus imponat, illud objicit: Apostolum presbyteris et diaconis scribere, non episcopis. Item episcopum alloquens, 'Noli,' inquit, 'negligere gratiam, quæ est in te, quam accepisti per manus presbyterorum collegii:' deinde alio loco '*episcopis et diaconis*,' ut idem episcopus et presbyter esse videatur. Sed nimirum veritatis iste seriei ignarus, nec in reconditiore historia versatus, non intelligit, Apostolum, cum recens adhuc esset christiani dogmatis propagatio, pro re nata scripsisse; nam ubi jam episcopi constituti fuerant, ad episcopos ac diaconos scribebat. Neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant. Et quidem presbyteris in primis et diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus ecclesiastica negotia administrari possunt. Quare ubi nondum episcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco propositus est episcopus. At ubi et necessitas postulabat, nec eorum, qui episcopatu digni erant, copia deerat, ibi episcopi constituti. Sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui presbyteri crearentur: unde solo episcopo contenti fuerunt. Sine diacono autem episcopus esse non potest. Quare in id Apostolus incubuit, ut ministrandi gratia episcopo diaconi suppeterent."

Erant igitur, ex mente Epiphanii, primis Ecclesiæ sæculis episcopi a presbyteris non solum gradu et auctoritate, sed etiam nomine distincti. Nec tamen ex productis supra Scripturæ testimoniis ad Philipp. I. et

Act. xx. sequitur, plures fuisse ejusdem civitatis episcopos. Nam cum Philippi metropolis esset, plures sub ea erant episcopi illius provinciæ, qui ex urbibus aliis negotiorum causa poterant convenire. Eodem sensu explicat illud Act. xx. 17. S. Irenæus, qui II. sæculo ær. christ. vixit, inquiens (adversus hæres. lib. 3. cap. 14.): "In Mileto convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus."—Ceterum hæc Epiphanii assertio cum sententia Chrysostomi facile conciliari potest; cum non repugnet, eadem vocabula in ampliori significatione pluribus, in pressiore vero et propria uni tantum, convenire.

2. Concilium Nicænum in Ep. synodica (Labb. tom. 2. p. 251. A) permittit presbyteris, "qui ad nullum schisma deflexisse comperti sunt, et se intra catholicam et apostolicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habere et ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi." Ergo presbyteris tunc jus erat ordinandi.

Resp. *Dist. Ant.*—Jus habere ordinandi, hoc est, eligendi *C.* Id est, consecrandi *N.* Verbum græcum *προχειρίζεσθαι* significat *promovere.* Synodus Meletiani schismatis presbyteris in clericorum promotione suffragii jura concesserat; ceteris autem concedit *καὶ προχειρίζεσθαι, καὶ ὀνόματα ὑποβάλλειν*, hoc est, *et promovere, et nomina suggerere.*—Nec refert, quod vox illa *προχειρίζεσθαι* paulo ante dicatur de iis, qui ab Alexandro episcopo Alexandrino erant consecrati. Nam licet ex se promotionem tantum, electione factam, significet; potest tamen etiam ad ordinationem, ut sibi subjectam, applicari; prout can. 14. Synodi 11. et alibi adhibetur. Mendosum autem est, quod in codice Dionysii Exigui, can. 13. Concilii Ancyrani, legitur: "Presbyteris non licere presbyteros aut diaconos ordinare sine præcepto episcopi vel litteris:" emendatiora enim aliorum exemplaria habent: "Sed nec presbyteris civitatis sine episcopi præcepto amplius aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere."

3. S. Hieronymus præeminentiam episcoporum supra presbyteros ex divino jure statutam esse minime credit.

Et sane, Comm. in cap. 1. Ep. ad Titum, initio ait: "Idem est ergo presbyter, qui et episcopus."

Deinde statim subjicit: "Et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo,

ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur."

Pergit: "Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur."

Demum concludit: "Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere."

Quæ omnia ostendunt S. Hieronymum credidisse excellentiam episcoporum supra presbyteros non extitisse initio christianæ Ecclesiæ, et invectam fuisse humano jure ad tollenda schismatum semina.

Resp.—*Nego assertum*, et ad *Prob.* Resp. exponendo distinctim, juxta explicationem a P. T. Holtzclau traditam (Theol. Wirceb. t. 5. p. 373.), sensum verborum quæ objiciuntur.

a)—"Idem est presbyter, qui episcopus" nomine tenus *C.* reipsa *N.* Eodem enim loco Hieronymus ait: "Presbyterum et episcopum unum esse, et aliud *ætatis*, aliud esse *nomen officii*. . . . . Eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus [Paulus]."—Quod probat ex variis Scripturæ locis superius jam adductis, qui de solis nominibus agunt, præsertim ex initio epistolæ ad Philipp. "cum episcopis et diaconis;" aitque: "Certe in una civitate plures, *ut nuncupantur*, episcopi esse non poterant." Ergo S. Hieronymus singulares primi ordinis antistites, eosque alios a presbyteris procul dubio credidit.

b)—"Communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur," *Dist.* Et pari etiam auctoritate *N.* Communi consilio, sed auctoritate dispari *C.* Ex communi namque cura et administratione Ecclesiæ non sequitur, pares fuisse episcopis presbyteros.—Profecto S. Cypr. Ep. 5. (al. 4.) ad presbyteros et diaconos, "solus," inquit, "rescribere nihil potui; quando a primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere." Nemo tamen negaverit, tunc multum fuisse discriminis inter episcopum et presbyteros, inter hos et diaconos, inter plebem et clerum.—Quodque satis agnovit Hieronymus: scribit enim ipse, l. de Script. Eccles., Jacobum primum Hierosolymorum episcopum, continuo post Christi ascensionem, fuisse

constitutum; sciebat Petrum Antiochiæ sedisse, et Evodium sibi successorem ordinasse; Marcum Alexandriæ sedisse antistitem ante tempora illius schismatis, ad quod provocat.

c)—At occasione schismatis Corinthiaci, teste Hieronymo, "toto orbe decretum est, ut unus ex presbyteris electus superponeretur ceteris." *Dist.* id est, ut unus, qui jam ordine et charactere alios antecellebat, curam et administrationem ad se solum revocaret *C.* Ut superponeretur quasi antea presbyteris non antecelleret *N.*—Ante schisma, de quo loquitur S. Hieronymus, erat in qualibet insigniore Ecclesia episcopus, qui charactere ac suæ ordinationis dignitate presbyteris excellebat; curam tamen gregis cum presbyteris ultro communicaverat: quam tamen postea, oborto schismate ob presbyterorum arrogantiam, episcopi ad se revocarunt, ita decernentibus Apostolis.—Atque hoc est, quod ait Hieronymus, "in toto orbe decretum esse:" neque enim de Concilio universali, aut specialibus synodis hac de causa coactis constat.

d)—Eodem sensu intelligendus est Hieronymus, quando dixit, episcopos presbyteris majores esse "consuetudine magis, quam dispositionis dominicæ veritate." Neque enim vult sic esse majores quoad gradum, dignitatem et characterem sacramenti; sed exterius duntaxat, quod presbyteri non ut ante amplius æque vocarentur a præsulibus in partem sollicitudinis. Illam quippe in gubernanda Ecclesia curarum consiliorumque communionem, quam S. Hieronymus ait initio servatam fuisse, explicat præstantissimus Doctor his verbis, verba in objectione allata proxime consequentibus: "imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret." At Moyses utique jure divino illis erat superior.

4. Idem S. Hieronymus in Epist. 146. ad Evangelum, ait: "Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam ut diaconos presbyteris, id est, episcopis anteferret." Et ut probet diaconos præferre presbyteris idem esse ac præferre episcopis, continuo addit, Paulum Apostolum "perspicue docere eosdem esse presbyteros quos episcopos;" et deinde illud citat in confirmationem quod in Ecclesia Alexandrina fiebat, dicens: "Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent."

Resp.—In hac Epist. 146., ad Evangelum, S. Hieronymus ut retunderet audaciam quorumdam diaconorum, qui sacerdotes honore debito non prosequebantur, totus est in excellentia sacerdotalis ordinis vindicanda. Cum autem presbyteri sacerdotali potestate aucti sint sicut episcopi, ratione hujus potestatis dicit diaconos qui se præferunt presbyteris præferre se episcopis. — Insuper dicit "Apostolum perspicue docere eosdem esse presbyteros quos episcopos," quia episcopi et presbyteri *nomina* Apostolorum ætate, juxta S. Hieronymum, promiscue tum episcopis, tum presbyteris tribuebantur; et quia *communi presbyterorum consilio,* etsi dispari auctoritate, Ecclesiæ illis Christianismi primordiis gubernabantur.

Quod vero S. Hieronymus ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ appellet, et dicat, presbyteros unum a se electum in excelsiori loco posuisse et episcopum nominasse; intelligas de *electione* episcopi a solis presbyteris facta, non item de potestate a presbyteris ei delegata, ac de episcopali consecratione. Continuo enim S. Doctor subdit: "Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?"—Quæ etiam verba accipias dicta de officiis ecclesiasticis baptizandi et Eucharistiam conficiendi: nam quod potestatem confirmandi non exceperit, ideo factum est quia S. Doctor respexerat ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri ex speciali delegatione chrismabant.

Illud autem, usque ad tempora a S. Hieronymo commemorata, peculiare fuit Ecclesiæ Alexandrinæ quod soli presbyteri jure suffragii gauderent, quodque ex suo tantum collegio episcopum eligerent, teste Eutychio Alexandrino, atque illico a morte episcopi, "ne aliis hunc, aliis illum postulantibus in populo jurgia et contentiones existerent," ut habet Epiphanius, hær. 49. Electus iste quamprimum a presbyteris in sede sublimiori collocabatur, et ante consecrationem ab episcopis aliis acceptam vocabatur episcopus, atque post dies aliquot jurisdictione et auctoritate plene fruebatur. Addit Eutychius presbyteros manus electo etiam imposuisse, in speciem scilicet anticipatæ cujusdam consecrationis. Quæ quidem postea mutata fuere, et S. Athanasius cum adhuc esset diaconus in episcopum electus fuit.

Neque obstat S. Hieronymum dixisse electionem episcopi Alexandrini a presbyteris factam fuisse "*quomodo* si exercitus Imperatorem faciat;

aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent." Nam, hanc comparationem adhibuit S. Doctor ad declarandum *modum electionis,* nequaquam vero ad excludendam episcopi consecrationem, aut ad ostendendum episcopum fuisse a presbyteris consecratum.

Præterea idem S. Hieronymus in Epistola 14. n. 8. ad Heliodorum Monachum, diaconos "in tertio gradu" esse dicit, ac proinde absque ulla ambiguitate, conceptis verbis, affirmat in primo gradu esse episcopos, in secundo presbyteros. "Et ceteris," inquit, "quæ de eo sequuntur, explicitis, non minorem [S. Paulus] *in tertio gradu* adhibuit diligentiam, dicens, 'Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos etc.' "

5. Patres non raro affirmant sacerdotium præstantiorem esse gradum ad quem possit mortalium quis ascendere.—Atque presbyteri sacerdotium adepti sunt.—Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Sacerdotium adæquate sumptum, prout scilicet duos diversos ordines complectitur *C.* Inadæquate, seu sumpto pro solo presbyteratu *N.*—Et *Dist. min.*—Presbyteri sacerdotium inadæquate, h. e. ordinem presbyteratus, adepti sunt *C.*—Sacerdotium adæquate adepti sunt, ita ut nulla alia sacerdotalis potestas eis remaneat consequenda *N.*

6. Auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, sive Ambrosiaster, in cap. 3. Epist. ad Tim. 1. scribit: "Episcopi et presbyteri esse unam ordinationem."—Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Unam ex omni parte *N.* Unam quatenus uterque, presbyter et episcopus, sit sacerdos *C.*—Sensum sententiæ nobis objectæ auctor ille incertus ostendit, cum statim adjicit: "Uterque enim sacerdos est: sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter episcopus. . . . . Unde et quemadmodum episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit, quod non accepit."

Scholion 1.—Quum statuitur episcopos *divino jure* presbyteris quoad potestatem jurisdictionis antecellere, minime adseritur episcopos potestatem jurisdictionis *completam, ad subditos ordinatam, et proxime expeditam ad prodeundum in actum secundum, accipere immediate a Christo,*

et non a Christo, *mediante Romano Pontifice;* neque *hoc sensu* potestas jurisdictionis *divino jure* episcopis conferri dicitur ac propugnatur.

Quod ut probe teneatur, adnotamus potestatem jurisdictionis episcopalis spectari posse *in abstracto* et *in concreto. In abstracto* spectatur si consideratur prout respicit *ordinem episcopalem,* et dicit potestatem pastoralem pro regimine Ecclesiæ, subordinatam Summo Romano Pontifici, ut supremo in terris pastori et Christi Vicario. *In concreto* autem spectatur, si eadem potestas prout in hoc vel in illo *peculiari episcopo* residet, attendatur.

Potestatem jurisdictionis episcopalis *in abstracto* consideratam *divino jure* constitutam esse; ac proinde *ex eodem divino jure,* episcopalem ordinem quoad potestatem jurisdictionis antecellere ordini presbyteratus, nuper in thesi quam vindicavimus, aperte ostendimus.

Verum enimvero, ad potestatem jurisdictionis episcopalis *in concreto* inspectam quod attinet, ut quæstioni huic respondeatur —"estne illa potestas immediate collata a Christo Domino singulis episcopis, ita ut *jure divino* in ordinatione episcopali quilibet episcopus eam accipiat, necne?"— accurate sensus diversi qui sub hac interrogatione intelligi possent, distinguendi sunt. Itaque potestatem jurisdictionis episcopalis *in concreto* inspectam, seu in singulis episcopis, tripliciter spectari posse animadvertimus, scilicet quoad *exigentiam, actualitatem* et *exercitium.*

Quoad *exigentiam,* certum est, potestatem illam esse *immediate* a Deo, ideoque esse *ex jure divino,* ut constat ex iis quæ in thesi ultima disputavimus. Exigentia enim illius potestatis jurisdictionis pastoralis habetur vi ordinationis episcopalis, cum vi hujus ordinationis episcopus immediate constituatur in gradu eorum qui *divino jure* debent esse pastores in Ecclesia, et sub auctoritate suprema Romani Pontificis assumi debent ad regendas Ecclesias particulares.

Quoad *exercitium,* certum est etiam, potestatem jurisdictionis episcopalis omnino pendere a Summo Pontifice, a quo arctari, ampliari, immo et auferri potest, ut in Tractatu *de Romano Pontifice* demonstratur.

Quoad *actualitatem* vero potestatis episcopalis, inter doctores controvertitur utrum *immediate* a Christo accipiatur, an *mediate* per Romanum Pontificem, qui ut auctor immediatus, licet minus principalis,—Christus enim solus est auctor principalis illius potestatis—eam, auctoritate sibi propria, tribuat et conferat. Aliis verbis disputatur,—utrum

potestas jurisdictionis, quam habent episcopi, dici debeat ex *jure divino* accepta, non modo quia vi ordinationis suæ episcopus habet *jure divino* exigentiam pastoralis jurisdictionis; sed etiam quia *eodem jure divino*, vi ordinationis suæ, habet *actualem* hanc jurisdictionem, scilicet potestatem jurisdictionis completam, ad subditos ordinatam et proxime expeditam ad actus pastorales, eo quod *immediate* a Christo Domino in ordinatione episcopali eam acceperit.

Hanc quæstionem, quæ in Tractatu *de Romano Pontifice* ad trutinam revocatur, thesis mox vindicata non attigit.

SCHOLION 2.—Ex iis quæ hucusque dicta sunt evidenter patet episcopatum suapte natura in se includere sacerdotium, ita ut sine hoc ne intelligi quidem possit episcopus, cum sit primus ac præcipuus sacerdos, qui non modo, simul cum aliis sacerdotibus inferioris ordinis, potestatem habet consecrandi Eucharistiam aliaque perficiendi quæ a presbytero fieri possunt, sed insuper potestatem habet propriam ordinis episcopalis ob quam presbyteris antecellit. Sicut ergo dari non potest ternarius sine binario, nequit esse episcopus qui non sit sacerdos; et si diaconus consecraretur episcopus, prætermissis illis quæ Ordinem sacerdotalem constituunt, nihil fieret.

ARTICULUS TERTIUS

De episcopatu.

Quot in Ecclesia catholica sint Ordines jam declaravimus; modo, an ordinationes, quibus singuli ordines conferuntur, sacramenta sint, inquirimus; et ab episcopatu, incipimus.

Nomine itaque episcopatus, in præsenti quæstione, significatur consecratio episcopi, vel ritus quo presbyter, seu ille qui jam inferiorem sacerdotii gradum adeptus est, ad superiorem evehitur et constituitur in gradu Præsulum, illorum nempe quos in præcedenti articulo demonstravimus superiores esse presbyteris potestate tum ordinis, tum jurisdictionis. Et de hoc ritu, quo presbyteri fiunt episcopi, quæritur utrum verum et proprie dictum sacramentum sit.

Nonnulli scholastici antiquiores, quos Dominicus Soto secutus est, id negaverant; sed sententia affirmans nunc communis inter theologos evasit, eamque *certissimam* esse dixit Bellarminus, negari non posse *sine nota* asseruit Vasquez, *certa fide* admittendam esse docuit Petrus Soto. Sit igitur

THESIS III.

Episcopatus, seu consecratio qua potestas ordinis episcopalis confertur, est sacramentum.

Prob. 1. *Ex Sacris Litteris.*—Etenim ritus de quo Paulus Apostolus, in Epist. I. ad Timoth. IV. 14., et 2. ad eumdem Timoth. I. 6., loquitur, est ritus collativus gratiæ a Christo Domino permanenter institutus; ac proinde verum et proprii nominis sacramentum.—Sed ille ritus est consecratio episcopalis, seu ordinatio qua potestas episcopalis ordinis confertur.—Ergo consecratio qua potestas ordinis episcopalis confertur est verum et proprii nominis sacramentum.

Major constat ex thesi I. hujus Tractatus, p. 8. et 11., ubi demonstravimus *impositionem manuum*, de qua loquitur Apostolus, fuisse a Christo permanenter institutam ad conferendam rite suscipientibus gratiam sanctificantem.—*Minor* vero ex eadem thesi, p. 10., manifesta est; nam ideo, ut ibidem ostendimus, Apostolus Timotheo in mentem revocat gratiam acceptam *per impositionem manuum*, eumque hortatur ad illam gratiam excitandam, quia collata ei fuerat ad munus Pastoris seu episcopi fideliter sancteque implendum, cum potestas ordinis episcopalis ei conferebatur, seu in consecratione episcopali.

2.—*Ex doctrina Patrum.*—Hi enim, *a*)—Aperte docent ordinationem episcopi esse sacramentum. Exempli gratia S. Augustinus loco superius citato, p. 14. (l. 2. cont. Parm. c. 13.) dicit: "Utrumque *sacramentum* est; et quadam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur; istud cum ordinatur [episcopus] . . . . nam si quando . . . . *præpositi* [episcopi schismatici] pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordinati . . . quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in *sacramentis*, quæ

ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut *præpositi* eorum [schismaticorum] venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa *Ordinationis sacramenta* detrahuntur, sed manent super eos."

b)—Tradunt gratiam sanctificantem conferri in consecratione episcopi *per impositionem manuum.* Ita tradunt S. Joannes Chrysostomus in Epist. II. ad Tim Hom. 1. (n. 2.), et Theodoretus referens (Eccl. Hist. lib. 4. c. 20.) ordinationem Mosis Monachi; quorum verba dedimus pp. 12. 13.—Eis addas testimonium S. Leonis Magni Serm. 3. (in annivers. die assumpt. suæ, n. 1.) : "Cum hujus divini sacerdotii sacramentum [Christi Domini sacerdotis secundum ordinem Melchisedech] etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro et sanguis creavit eligitur; sed cessante privilegio patrum, et familiarum ordine prætermisso, eos *rectores* Ecclesia accipit, *quos Spiritus Sanctus præparavit;* ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed *dignatio cœlestis gratiæ gignet Antistitem.*"

c)—Diserte statuunt Ordinationem episcopalem imprimere in anima *characterem:* unde sequitur illam Ordinationem procul dubio Sacramentum esse, cum nonnisi per sacramentum *character* in anima indelebilis imprimatur. Porro docuisse Patres Ordinationem, qua episcopus consecratur, imprimere in ejus anima characterem indelebilem, clarissime constat ex scriptis S. Augustini adversus Donatistas.—Ipsa verba ejus, quæ paulo antea retulimus, id ostendunt; et confirmat, inter alia quæ afferri possent, testimonium S. Doctoris desumptum ex "Sermone ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem" habito, cum ibi præsens adesset Emeritus Donatistarum episcopus. "Multi disputant," inquit Augustinus (Serm. cit., n. 2.), "parum intelligentes quid loquantur, et dicunt: Si schismatici sunt, si hæretici sunt, quare sic illos suscipiunt? . . . . Non ergo sic illos suscipimus, ut sunt . . . . suscipimus autem catholicos: mutantur, suscipiuntur. Sed propter malum quod habent, non in eis possumus persequi bona quæ agnoscimus. Malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum habent: bona vero quæ in illis agnoscimus, non sunt sua; Domini nostri habent bona, Ecclesiæ habent bona. . . . Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, *quando ordinantur episcopi,*

invocatio illa Dei est, non Donati. Non eum suscipio *episcopum*, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus. In errante et deserente milite crimen est desertoris, *character* autem non est desertoris, sed *Imperatoris.*"

3.—*Ex Concilio Tridentino.*—Etenim in capite 3. sessionis 23., Tridentina Synodus docet "per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri," adeoque ordinem vere et proprie esse sacramentum. Ut autem ex Scripturis illud probet, verba Pauli citat, dicens: "inquit *enim* Apostolus: 'Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis, et sobrietatis."—Sed hæc verba Pauli ordinationem episcopalem spectant, ut demonstravimus.—Ergo ordinatio episcopalis, juxta Concilium Tridentinum, confert gratiam, et est vere ac proprie sacramentum.

Præterea Concilium, ejusdem sessionis canone 4., anathema pronuntiat contra eum qui asserat in sacra ordinatione "frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum."—Ergo in ordinatione episcopali, in qua consecrator juxta ritum Ecclesiæ Latinæ dicit promovendo in episcopum: "*Accipe Spiritum Sanctum,*" hæc verba episcopus frustra non dicit, ac proinde *per illam ordinationem* efficitur quod his verbis, "*Accipe Spiritum Sanctum*" significatur, seu gratia sanctificans confertur;—et ideo verum ac proprie dictum sacramentum in ea conficitur.

4.—*Ex ratione theologica.*—Diaconatus, ut probabitur, est sacramentum; ergo a fortiori sacramentum est episcopatus, cum longe excellentior potestas in Ordinatione conferatur episcopo quam diacono:—ille namque ad Ordinem Præsulum evehitur, hic ad ministerium ordinatur.

5.—Nec dissentit *S. Thomas,* qui aperte docet per Ordinationem episcopalem conferri gratiam. Etenim, Exposit. in Epist. I. ad Timoth. cap. 4. lect. 3., in illa verba: "cum impositione manuum presbyterii," ait: "Hæc impositio significat collationem gratiæ."—Et in Ep. II. ad Tim. c. 1. lect. 3., inquit: "Gratia Dei est sicut ignis, qui quando obtegitur cinere, non lucet; sic gratia obtegitur in homine per torporem, vel humanum timorem. Unde et Timotheus effectus pusillanimis, torpuerat circa prædicationem; et ideo dicit: '*Ut resuscites gratiam*' sopitam. . . . Et addit: '*Quæ est in te per impositionem manuum mearum:*'

a quo scilicet ordinatus erat episcopus: in qua manus impositione, data est ei gratia Spiritus Sancti."

Nota 1.—Si character episcopalis *inadæquate* spectetur, seu si ille solus attendatur qui in ordinatione episcopo imprimitur, minor est sane, quoad dignitatem, charactere sacerdotali, qui in ordinatione presbyteratus impressus fuit:—Sed si character episcopatus *adæquate* consideretur, quoniam et illum presbyteri, et alium proprium ordinationis episcopalis complectitur, major est, ut patet, et eminentior.

Nota 2.—Archiepiscopatus, Patriarchatus, et Summus Pontificatus non sunt Ordines, quia non differunt *in iis quæ sunt Ordinis episcopalis;* cum et ipse Summus Pontifex in collatione sacramentorum nullum actum exercere possit, quem non possit episcopus. Idcirco illi gradus differunt inter se dignitate et jurisdictione, non Ordine.

ARTICULUS QUARTUS

De Presbyteratu.

De presbyterorum, seu sacerdotum, munere atque officio ita Pontificale Romanum loquitur: "Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare." At presbyterorum munia præcipua duo sunt, sacrificium offerre Deo, et a peccatorum vinculis fideles absolvere.

Ordinationem, qua presbyter initiatur, distinctim nunc consideramus, eamque verum et proprie dictum sacramentum esse insequenti thesi ostendimus.

THESIS IV.

Presbyteratus est sacramentum.

Hæc thesis expresse definita ut dogma fidei non invenitur, sed evidenter ex definitionibus Concilii Tridentini desumitur, et argumentis tam certis roboratur, ut nullus unquam catholicus eam in disputationem vocaverit, immo nec ullus hæreticus:—nam hæretici vel negant Ordinationem esse sacramentum, vel si sacramentum eam esse fatentur, Ordinationem sacerdotalem sacramentum esse non diffitentur.

Probatur thesis 1.—*Ex Concilio Tridentino.*—Etenim in sessione 23. capite 1. docuit: "In Ecclesia Catholica esse sacerdotium visibile et externum. . . . . Hoc autem a Domino salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi."—Deinde in canone 1. ejusdem sessionis definivit: "Esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum . . . esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi."—Insuper in canone 2. definivit: "*Præter sacerdotium*, esse in Ecclesia catholica alios ordines . . . . . . per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur."—Demum canone 3. definivit: "Ordinem, sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum."

His autem positis, sequenti pacto argumentamur:—Juxta Concilii Tridentini definitionem, sacra Ordinatio qua Ordo confertur, est sacramentum.—Sed ut ex alia ejusdem Concilii definitione evidenter apparet, inter ordinationes sacras, ordinatio sacerdotalis, seu presbyteri, præcipua est, utpote quæ potestatem confert consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini nec non peccata remittendi et retinendi.—Ergo ex Concilio Tridentino saltem inter ordinationes sacras, ordinatio presbyteri, seu presbyteratus, est sacramentum.

Præterea, idem Concilium, eadem sessione, canone 4. definivit: "Per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde non frustra episcopos dicere 'Accipe Spiritum Sanctum.'"—Ergo cum ante finem ordinationis presbyteri, juxta ritum Latinorum, episcopus dicat: "Accipe Spiritum Sanctum," admitti debet per ordinationem presbyteralem vere conferri gratiam sanctificantem; ideoque presbyteratum esse verum et proprie dictum sacramentum.

Item, Tridentina Synodus, in eodem canone 4. definivit: "Per eam [ordinationem sacram] imprimi characterem, et eum qui semel sacerdos fuit, laicum rursus fieri non posse."—Ergo ille qui ordinationem sacerdotalem accepit, characterem hujus Ordinationis indelebilem in anima impressum gerit.—Sed impressio characteris indelebilis in anima est effectus proprius ritus sacramentalis.—Ergo.

2.— *Concilium Florentinum*, Decreto pro Armenis, ait: "Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem

confertur ordo;"—et continuo addit: "Sicut presbyteratus traditur" etc.—Ergo ex Concilio Florentino presbyteratus est sacramentum.

3.—*Patres*, quos in thesi 1. p. 11. et seq. commemoravimus, S. Gregorius Nyssenus, S. Joannes Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, *gratiam virtute ordinationis sacerdotalis acceptam* prædicant.

Similiter gratiam per ordinationem sacerdotalem collatam indicat S. Leo Magnus in Epist. 9. ad Dioscorum (c. 1.): "Quod ergo a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum," inquit, "a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus *sacerdotalis* vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati ejus noctis quæ in prima sabbati lucescit exordia deligantur in quibus his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus *sacra benedictio* conferatur...... Intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ *benedictionis sacramentum* negligenter videatur impletum. Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc *ordinandorum sacerdotum* formam per Ecclesias quibus Dominus præesse te voluit etiam ipse servaveris, ut his qui consecrandi sunt numquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur..... In hac denique [die Dominico] promissus a Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit; ut cœlesti quadam regula insinuatum et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse *mysteria sacerdotalium benedictionum*, in qua collata sunt omnia dona gratiarum."

4.—*Scriptura ipsa* ostendit presbyteratum esse sacramentum, cum referat Christum Dominum, conferendo potestatem remittendi et retinendi peccata, dixisse Apostolis "Accipite Spiritum Sanctum," ut ostenderet illos, quibus tam excellens potestas confertur,—et hæc presbyteris in ordinatione datur,—gratiam sanctificantem cum ea simul accipere.—Quod et præfiguratum fuisse in veteri lege a S. Cyrillo Alexandrino audivimus supra, a. 1. p. 12.

5.—*Ratio* propter quam S. Thomas declarat 'in sacramento ordinis conferri gratiam gratum facientem" pro presbyteratu præcipue militat.

Verba referam S. Doctoris (Suppl. q. 35. a. 1.):—"Dicendum quod *Dei perfecta sunt opera*, ut dicitur Deut. XXXII. 4. Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet, quia

animalibus dantur membra, quibus potentiæ animæ possint exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod digne sacramenta dispenset. Et ideo sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem."

Et in eodem art., ad 3. ait: "Dicendum quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo præexigitur gratia quæ sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei."

ARTICULUS QUINTUS

De Diaconatu.

Diaconi nomen, quod græca origine, ministrum designat, accipi potest sensu vel *generico*, vel *specifico*. Sensu *generico* omnes Ecclesiæ ministri dici possunt diaconi, id est *ministri Christi*, et Christus ipse dicitur ad Rom. XV. 8. *διάκονος περιτομῆς*:—sensu autem *specifico* diaconus dicitur ille qui diaconatus Ordinem est adeptus. Diaconatus vero recte definitur Ordo per quem potestas confertur, ut quis solemniter ac proxime sacerdoti sacris operanti inserviat. Est etiam diaconorum munus in Missæ Sacrificio Evangelium legere, accepta ab iis qui præsunt facultate prædicare, baptismum conferre, Eucharistiam distribuere. Commissa olim diaconis cura fuit ac dispensatio bonorum ecclesiasticorum; et ex diaconorum classe custos scriptorum ad Ecclesiam pertinentium eligebatur, *χαρτοφύλαξ* apud Græcos appellatus.

In Ordinatione diaconi vere et proprie dictum sacramentum conferri non solum Novatores negaverunt sed etiam pauci quidam catholici Doctores, ut Durandus et Cajetanus. Ceteri omnes theologi tamquam certam tenent sententiam oppositam, quam vindicat

THESIS V.

Diaconatus est sacramentum.

Prob.—Ordinatio diaconi est signum sensibile, collativum gratiæ, permanenter in Ecclesia sua a Christo institutum.—Ergo est sacramentum.

Prob. Ant. per partes. 1.—Adesse pro ordinatione diaconi *signum sensibile permanenter institutum*, patet; nam diaconi ordinantur, et semper in Ecclesia ordinati fuerunt, *signo illo sensibili*, quo in Actibus Apostolorum initiati fuerunt septem primi diaconi, de quibus legimus (Act. VI. 6.): "Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum et orantes imposuerunt eis manus."

Hos autem septem primos diaconos, quos Scriptura, loco citato, commemorat vere Ordinem diaconatus consecutos fuisse, ita ut non ad officium mere profanum, ut contendit Calvinus, sed ad sacrorum ministerium constituti fuerint, textus sacer et Ecclesiæ Traditio diserte ostendunt.

Et sane Sacræ Litteræ referunt, antequam constituerentur diaconi non tam fuisse investigatum an industrii et fideles forent in distribuendis eleemosynis, quam utrum essent "*pleni Spiritu Sancto et sapientia;*" quæ electionem ad sacrum ministerium, certe subindicant.—Præterea Scriptura dicit illos, quos fidelium multitudo elegerat et Apostoli approbaverant, ab ipsis Apostolis sacro ritu diaconos constitutos fuisse, *illo ipso ritu* qui pro ordinatione episcoporum, aut presbyterorum indicatur.— Demum eadem Scriptura refert septem illos diaconos, *apostolicarum manuum impositione ordinatos*, prædicandi Evangelii et conferendi baptismatis jure potitos fuisse;—id enim de S. Stephano præsertim ac de Philippo clare perhibetur.

Traditio autem veritatem, quam defendimus, manifestam reddit.

Etenim S. Cyprianus, Ep. 65. (n. 3.) ait: "Diaconos post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt *episcopatus sui et Ecclesiæ ministros*."—Et Concilium Carthaginense sub S. Cypriano quartum, an. 254. ær. vulg. habitum, postquam (num. 4.) declaraverit ordinationes sacerdotales plebe præsente faciendas esse, "ut malorum crimina detegi possint, et bonorum merita prædicari," addit: "Nec hoc in episcoporum

tantum et sacerdotum, sed et in diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo et ipso in Actis eorum scriptum est: 'Et convocaverunt,' inquit, 'illi duodecim totam plebem discipulorum, et dixerunt eis' (Act. VI. 2.). Quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis *ad altaris ministerium*, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet."

Eusebius Cæsar. (Hist. Eccl. l. 2. c. 1.) ita septem diaconorum *ordinationem* ab Apostolis factam refert: "Mox septem spectatæ virtutis viri per precationem manusque impositionem diaconi ab Apostolis constituti sunt, *qui Ecclesiæ ministerium* exhiberent. Quorum ex numero fuit Stephanus, qui statim post *ordinationem* etc."

S. Joannes Chrysostomus—qui tamen ab adversariis nostris, quasi aliam ab ea quam defendimus doctrinam docuerit, citari solet,—Hom. 14. in Acta Apostolorum, n. 3., ait: "'Et elegerunt,' inquit (rursum ipsi eligunt), 'Stephanum . . . . . quos statuerunt coram Apostolis. Et orantes imposuerunt illis manus.' Hinc palam est quod *segregaverint illos* a multitudine." Et deinde addit: "Vide, quam non superflue scriptor loquatur: non enim dicit quomodo, sed simpliciter *quod ordinati sint impositione manuum et prece* [ὅτι ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς]." Et continuo prosequitur: "*hoc enim est ordinatio* [τοῦτο γὰρ ἡ χειροτονία ἐστίν]. Manus viri superponitur, *totum vero Deus operatur*, *ejusque manus est quæ tangit caput ordinati*, si quemadmodum oportet ordinetur."

Sæculo VI. Arator subdiaconus, l. 1. de Actibus Apostolorum, vers. 552–556., de Ordinatione septem diaconorum ab Apostolis facta canebat:

"Jura ministerii, sacris altaribus apti,
In septem secuere viros, quos, undique lectos,
Levitas vocitare placet: quam splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus! quæ pocula vitæ
Misceat et latices cum sanguine porrigat Agni."

Demum, ut unum adhuc a ceteris qui afferri possent, commemorem, Ven. Beda, sæculo VIII., in priori expositione Act. Apost. capit. VI., scribit ab Apostolis fuisse electos septem diaconos, "qui sublimiori gradu essent ceteris, et proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent." —Et in lib. Retract. ejusdem operis addit: "Communis quidem dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis viri eligerentur: verum ubi inventi sunt, qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem lectores

ipsos altaris quoque sacri ac dominici sanguinis, sicut et refectionis mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari. Quod probatum est verbo, quo dictum est: 'et orantes imposuerunt eis manus.' Hoc etenim proprium est eorum, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promoventur officium."

Præterea in ipsa ordinatione diaconi juxta ritum Ecclesiæ Græcæ eadem veritas asseritur. Pontifex enim impositam ei qui ordinatur tenens dexteram, Deum precatur: "Gratiam Stephano protomartyri tuo *in opus ministerii hujus a te primum vocato* concessam largire."

Et in admonitione præmissa ordinationi diaconorum juxta ritum Latinorum, Pontifex convertens sermonem suum ad ordinandos, inquit: "Cogitate beatum Stephanum, merito præcipuæ castitatis *ad officium istud* electum."

2. *Ritum quo diaconus ordinatur collativum esse gratiæ sanctificantis* demonstratur

a)—Ex ipso ritu; impositio enim manuum episcopi ad ordinandum diaconum adhibetur, quam in prima thesi demonstravimus esse collativam gratiæ.

b)—Ex doctrina Patrum. Et primo placet referre testimonium S. Joannis Chrysostomi, ut ex illo, quem pro se citant, adversarii revincantur.—Porro S. Doctor, in textu a nobis superius allato, aperte dicit gratiam in ordinatione septem diaconorum fuisse collatam per impositionem manuum Apostolorum, et hoc ipsum semper in ordinatione fieri; inquit enim: "Manus viri superponitur, *totum vero Deus operatur, ejusque manus est quæ tangit caput ordinati.*"—Sed insuper, adhuc evidentius de gratia per ordinationem diaconi collata loquitur in eodem opere, Hom. 15. n. 1., ubi verba exponit quæ leguntur Act. VI. 8.: "Stephanus autem plenus fide et virtute faciebat prodigia et signa magna in populo." Hæc sunt Chrysostomi verba: "Vide," inquit, "quomodo inter septem illos unus præcellens esset et primas teneret. *Etsi enim ordinatio communis esset, et hic majorem gratiam attraxit.* Antea vero signa non faciebat, sed cum manifestus factus fuit; *ut ostenderetur non solam gratiam sufficere, sed ordinationem requiri, ut Spiritus accessio fiat.* Quod si antea spiritu pleni erant, at id a lavacro."

S. Dionysius Areopagita (de Eccl. Hierarch. cap. 5. nu. 2.) describit ritum consecrationis episcoporum, presbyterorum et *diaconorum*, quem

appellat "mysterium consecrationis sacrorum ordinum [*Μυστήριον ἱερατικῶν τελειώσεων*]:—et de diaconis dicit: "Porro diaconus unum genu flectens ante divinum altare supra caput habet dextram pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur invocationibus ad ministrorum consecrationem accommodatis. Unicuique autem eorum [episcoporum, presbyterorum, diaconorum] signum crucis a consecrante pontifice imprimitur, et singulis sancta prædicatio perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus ecclesiasticis, una cum pontifice consecrante, consalutantibus illum qui in aliquem dictorum ordinum sacrorum est cooptatus."—Deinde (n. 3.) S. Dionysius explicat significationem rituum qui pro consecratione illorum sacrorum ministrorum adhibentur, et ait: "Itaque accessus ille ad divinum altare genuumque flexio insinuat omnibus iis qui sacris ordinibus initiantur, vitam propriam Deo, consecrationis auctori, penitus subjiciendam, nec non spiritalem integritatem omnino puram purgatamque atque uniformem offerendam esse, ut, quantum fieri potest, digna sit divino templo et altari *ejus, qui sanctiori ratione deiformes mentes consecrat.* Pontificis autem manus impositio designat hierarchicam protectionem, qua, tanquam sanctos filios, paterno affectu fovet, et statum *virtutemque sacri ordinis impertitur*, adversariasque potestates procul ab illis abigit: simulque docet, sic consecratos obire sacras omnes ordinis functiones, tamquam qui sub Deo illas obeant, quem in omni re suarum actionum ducem habent."—Et postquam significationes aliorum rituum declaraverit, dicit "salutationem quæ sub finem sacrarum ordinationem adhibetur, sacri quidpiam innuere," idque his verbis exponit: "Cum enim mens sancta sacrosanctis habitibus et virtutibus, divinaque vocatione ac sanctimonia ad sacri ordinis consecrationem pervenerit, tum amabilis exsistit æqualibus sanctissimisque ordinibus, et ad maxime deiformem provecta pulchritudinem amat et ipsa mentes sui similes, et ab iisdem sancte redamatur."

Theodoretus (Interp. Ep. I. ad Tim. III. 10.), expendens illud Apostoli "Et hi quidem [diaconi] probentur primum et sic ministrent nullum crimen habentes," inquit: "Prius autem convenit horum vitam examinari, deinde sic *gratiam spiritualem consequi* [*τῆς πνευματικῆς χάριτος ἀπολαῦσαι*]."

S. Hieronymus (lib. adv. Vigilantium, initio) dum de quibusdam episcopis loquitur, quod diaconos non ordinarent, nisi prius uxorem

duxissent, ait: "Nisi prægnantes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, *Christi sacramenta* non tribuunt."

S. Leo Magnus, Ep. 9. ad Dioscorum, superius citata, non modo sacerdotalis, sed etiam leviticæ ordinationis gratiam affirmat (c. 1.), et statuit jejunium esse illis ordinationibus præmittendum, "*ne tantæ benedictionis sacramentum* negligenter videatur impletum."

Anastasius II., quintus a S. Leone in Cathedra Romana Summus Pontifex, Ep. 1. ad Anastasium Augustum (c. 7.) aiebat: "Sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes, *sive Levitas* secundum canones ordinavit; ulla eos, ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum *tradita sacramenti gratia* minus firma videatur."

Et Concilium Chalcedonense c. 2. declarat in ordinatione *diaconi, si propter pecunias* fiat, *gratiam in venditionem deduci;* nam: "Si quis episcoporum," inquit, "accepta pecunia, ordinationem fecerit et sub pretio deduxerit *impretiabilem gratiam*, atque ordinaverit per pecunias episcopum, sive chorepiscopum, sive presbyterum, sive *diaconum*, aut quemcumque alium qui connumerantur inter clericos . . . . quicumque ergo hæc meditatus fuerit, si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum; et qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio et creatione probrosa."

c)—Gratiam conferri per ritum quo diaconus ordinatur ostendunt etiam *Pontificale Romanum* et *Euchologium Græcorum.*—Nam in *Pontificali Romano* legimus Pontificem, cum ad ordinationem diaconi accingitur, clerum et populum prius alloqui his verbis, quæ gratiam per ordinationem conferendam aperte declarant: "Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultæ propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat, ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et, quos sacris mysteriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua benedictione sanctificet, et confirmet. Per unigenitum Filium suum etc."

Deinde post solemnissimam precationem, Pontifex, ut in eodem Pontificali legitur, "manum dexteram extendens, ponit super caput . . . ordinando . . . . . . dicens; 'Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad

resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini.' "—Jam vero Tridentina Synodus, sess. 23. can. 4., definivit "per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde non frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum."—Ergo in ordinatione diaconi hæc verba ab episcopo frustra non pronuntiantur, sed significant quod per ordinationem confertur, nimirum gratiam sanctificantem.

In *Euchologio Græcorum* eadem gratia diacono per ordinationem collata clarissime significatur. Etenim "Pontifex,"—in Euchologio a Goario edito legitur, p. 250.,—"impositam ordinandi capiti dexteram habens, exclamat: Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.* piissimum subdiaconum in diaconum: oremus pro eo ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus."—Deinde: "Pontifex impositam tenens dexteram, precatur hoc pacto: Domine Deus noster, qui in præscientià tua, super destinatos ab imperscrutabili tua virtute, ut ministri fiant et illibatis mysteriis tuis deserviant, *Sancti tui Spiritus copiam effundis:* ipse Domine et hunc, quem tibi a me promoveri complacuit in diaconi ministerium, in omni honestate fidei sacramentum in pura conscientia tenentem, conserva: *gratiam* vero Stephano protomartyri tuo in opus ministerii hujus a te primum vocato *concessam, largire, et gradum a bonitate tua sibi præstitum,* secundum beneplacitum tuum administrare præbe; recte namque ministrantes gradum sibi bonum acquirunt; et perfectum ostende servum tuum, Quia tuum est regnum etc."

Demum Pontifex adhuc "impositam tenens manum, precatur hoc pacto: Deus salvator noster qui, incorrupta tua voce, ministerii legem Apostolis tuis sanxisti, et protomartyrem Stephanum ejusmodi renunciasti, primumque teipsum diaconi opus adimplentem prædicasti sicut in Evangelio sancto tuo scriptum est: 'Si quis vult in vobis prior fieri, esto minister vester.' Ipse Domine, servum tuum hunc, quem diaconi ministerium subire voluisti, *Sancti et vivifici tui Spiritus adventu, omni fide et caritate et virtute et sanctificatione adimple.* Non enim in manuum mearum impositione, sed in abundantium miserationum tuarum visitatione, gratia te dignis exhibetur: ut et hic, omni peccato alienus factus, inculpate tibi adstet, et sinceram promissionis tuæ mercedem reportet. Tu enim es Deus noster etc."

d)—Denique gratiam sanctificantem conferri a Deo per ordinationem

cum diaconatus ordo suscipitur, constat ex dignitate et arduitate ministerii ejusdem ordinis. Et revera, si—ut ex Angelico Doctore audivimus (Suppl. q. 35. a. 1.)—"cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri;" et ideo per Ordinationem cum collatione potestatis confertur gratia sanctificans sacramentalis, ob quam auxilia gratiæ actualis suo tempore ordinatus recipiet ad recte sancteque exequendum ministerium sacrum sibi commissum:—cum diacono ministerii sacri potestas tribuatur per Ordinationem, per hanc eidem confertur gratia; immo secundum dignitatem et arduitatem sacri ministerii quod diacono committitur, amplioris gratiæ munus confertur ei per ordinationem.

Porro quam arduum simul ac excelsum sit ministerium diaconi, proxime ad eminentiam sacerdotalis ordinis accedens, addiscere breviter præstat ex Augustino, Ambrosio et Isidoro.

S. Augustinus in Epist. 21. (alias 148.) ad Valerium episcopum, ait: "Nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius et lætius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, et tristius et damnabilius. Item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet."

S. Ambrosius vero, ad diaconum quod attinet, rem explicat, in opere *de Officiis ministrorum*, lib. 1. cap. 50., ex quo pauca, speciminis gratia, hic proferimus. "Quod si Evangelio Domini," inquit, "etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus atque institutus est; quanto magis vos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est. . . . Unde et Apostolus cum episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non avarum, non litigiosum, domui suæ bene præpositum, addidit: 'Diaconos similiter oportet esse graves, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura' (I. Tim. III. 8.). Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. . . . . . Tu ergo electus es ex omni numero filiorum Israel, inter sacros fructus quasi primogenitus æstimatus, præpositus tabernaculo, ut prætendas in castris sanctitatis et fidei, ad quæ

si alienigena accesserit, morte morietur, positus ut operias arcam Testamenti. . . . . Et boni Levitæ servaverunt mysterium, fidei suæ tegmine; et tu mediocre putas quod commissum est tibi? Primum ut alta Dei videas, quod est sapientiæ: deinde ut excubias pro populo deferas, quod est justitiæ: castra defendas, tabernaculumque tuearis, quod est fortitudinis: teipsum continentem ac sobrium præstes, quod est temperantiæ. . . . Et ideo eligitur Levita, qui sacrarium custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mortem timeat, ne quid intemperantius gerat, ut specie ipsa gravitatem præferat: nec solum animum, sed etiam oculos continentes habere quem deceat; ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus; quoniam: 'Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulteravit eam in corde suo' (Matth. v. 28.)."

Et S. Isidorus Hispalensis (de Ecclesiasticis officiis, lib. 2. cap. 8.) diaconi munia ac dignitatem his verbis (n. 4. 5.) exaltat: "Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est, illi orare, huic psallere mandatur; ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. . . . Levitæ inferunt oblationes in altari, levitæ componunt mensam Domini, levitæ operiunt arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent, et sumant qui servare non possunt; quique propterea altario albis induti assistunt, ut cœlestem vitam habeant, candidique ad hostias immaculatique accedant, mundi scilicet corpore, et incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potius eminentia castitatis splendeant. Quales enim diaconi ordinentur, Apostolus Paulus plenissime scribit ad Timotheum."

3. Ritum, quo diaconus ordinatur, *a Christo institutum* esse, ex dictis patet:—signum enim quod gratiam conferat nonnisi a Christo Domino institui potuit.

Thesis mox vindicata confirmari etiam debet argumentis ex Conciliis Florentino et Tridentino desumptis, quæ ad thesim sequentem demonstrandam afferemus; si enim ex illis ostendi potest minores Ordines ac Subdiaconatum esse sacramenta, ex iisdem a fortiori ostenditur sacramentum esse diaconatum.

Objicitur

1.—Diaconatus non est a Christo institutus;—ergo non est sacra-

mentum. *Ant. prob.* ex S. Cypriano qui Epist. 65. ad Rogatianum (n. 3.) ait: "Meminisse autem diaconi debent quoniam Apostolos, id est, episcopos et præpositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt apostolatus sui et Ecclesiæ ministros."

Resp. *N. Ant. Ad prob. N. conseq.*—Nam S. Cyprianus tantum ait Christum per se ipsum dum esset in terris non consecrasse diaconos, sed eos ab Apostolis fuisse post ascensionem Domini electos et constitutos:—ex quo tamen a Christo institutum non fuisse diaconatum nullatenus sequitur. Insuper, illud attendatur, nempe S. Cyprianum sententiam in objectione propositam protulisse ad reprimendam cujusdam diaconi, adversus episcopum insurgentis, arrogantiam. "Graviter et dolenter" ait S. Antistes Rogatiano, "commoti sumus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, frater carissime, lectis litteris tuis, quibus de diacono tuo conquestus es quod, immemor sacerdotalis loci tui et officii, ac ministerii sui oblitus, contumeliis et injuriis suis te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice circa nos et pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo nobis conqueri, cum, pro episcopatus vigore et cathedræ auctoritate, haberes potestatem qua posses de illo statim vindicari, certus quod collegæ tui omnes gratum haberemus quodcumque circa diaconum tuum contumeliosum sacerdotali potestate fecisses, habens circa hujusmodi homines præcepta divina, cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat: 'Et homo quicunque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem,' etc."

2.—Septem primi diaconi, de quibus sermo est in Actibus Apostolorum, VI., electi fuerunt ut inservirent mensis, aliaque munia obirent nequaquam sacra et ad altaris mysterium minime spectantia; legitur enim ibi (VI. 2.): "Non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, etc. et elegerunt Stephanum," etc; narraturque ibidem (vers. 1.) *murmur Græcorum adversus Hebræos*, cujus occasione diaconi constituti fuerunt, ut utriusque nationis viduis æque pars eleemosynarum distribueretur.—Ergo saltem argugumenta, quæ ad thesim defendendam ex electione septem diaconorum in Actibus Apostolorum relata desumuntur, nullius sunt ponderis.

Resp. *N. Ant.*—Ultro quidem fatemur *occasione* murmuris Græcorum septem primos diaconos fuisse electos, qui ad normam veræ cari-

tatis oblata a fidelibus bona dispensarent:—sed præterea contendimus eos ab Apostolis sacrorum etiam ministros fuisse constitutos et ordinatos. Quod, ut in probationibus thesis ostendimus, Apostolorum acta non obscure indicant, et Traditio catholica clarissime profitetur.

Insuper, ex his verbis: "Non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis," deduci nequit ibidem sermonem esse *de mensis dumtaxat communibus.* In Ecclesiæ namque primordiis conjunctæ fuerunt mensæ communes et sacræ, sicut in ultima cœna utramque mensam Christus conjunxit, communem in qua agnum cum Apostolis suis comedit, et sacram, in qua corpus et sanguinem suum eisdem Apostolis in cibum potumque tradidit. Hujus moris documentum habemus in Epistola I. Pauli ad Corinth. XI., ubi Apostolus, vers. 21., dicit: "Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est:"—en cœnam communem: deinde ver. 26. dicit: "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat:"—en cœnam sacram.

Demum ministerium mensarum distinctum quidem erat a *ministerio verbi*, sed illud non excludebat: ministerium enim prædicationis evangelicæ diaconos exercuisse ex ipsis Actibus Apostolorum demonstravimus. Apostoli vero, ut se totos ministeriis sublimioribus apostolatus devoverent, bonorum temporalium et pauperum curam in diaconos rejecerunt; non ita tamen ut hanc etiam pauperum sollicitudinem omnino relinquerent, ut ex Act. XI., aliisque Scripturæ locis constat.

3.—In can. 16. Conc. Quinisexti aperte dicitur septem primos diaconos electos fuisse non ut mysteriis, sed ut mensæ ministrarent:—quod in eodem canone auctoritate S. Joannis Chrysostomi comprobatur. "Propter hæc ergo," in canone citato legitur, "nos quoque prædicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina; sed eos esse quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuerunt humanitatis et studii in eos qui indigent."—Verba vero Chrysostomi inserta canoni Concilii Quinisexti, seu Trullani, hæc sunt: "Quamnam autem habent hi [de quibus sermo est Act. VI] auctoritatem, et quam acceperunt ordinationem, scire est

necessarium. Numquid diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis. An presbyterorum dispensatio? Atqui nullus adhuc erat episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec diaconorum nec presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum."

Resp.—Canones Concilii Quinisexti seu Trullani, a Pontifice Sergio non confirmati, parum habent auctoritatis; mirum igitur esse non debet quod assertio in canone 16. contenta, utpote contraria communi Ecclesiæ traditioni, rejiciatur. Immerito autem auctoritate S. Joannis Chrysostomi nituntur Concilii Trullani Patres:—nam hoc unum in verbis citatis sibi vult S. Doctor, nempe, nullum fuisse initio Ecclesiæ inter episcopos, presbyteros et diaconos discrimen *quoad nomen.* Primos vero diaconos fuisse ad sacrum ministerium ordinatos, et quidem per ritum collativum gratiæ sanctificantis, diserte S. Chrysostomum, exponendo verba Act. VI., docuisse superius demonstravimus.

4.—S. Hieronymus, Epist. 146. ad Evangelum, diaconos appellat mensarum ac viduarum ministros. "Quid patitur," inquit, "ut mensarum et viduarum minister super eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi, sanguisque conficitur?"

Resp.—Epistola 146. ad Evangelum, ut jam adnotavimus et patet ex ipsis verbis citatis, scripta fuit ad reprimendam audaciam quorumdam diaconorum, qui se extollebant supra presbyteros:—ad hunc scopum S. Hieronymus opponit ministerium quod *occasionem* dedit primis diaconis instituendis, ministerio augustissimo ac tremendo conficiendæ Eucharistiæ quod solis sacerdotibus commissum est.—Ceterum in eadem epistola dicit—et verba S. Doctoris citavimus pag. 35.—hoc esse diaconos in Ecclesia Dei quod in Veteri Testamento Levitæ fuerunt, quos electos et consecratos fuisse ad obeundum sacrum ministerium compertum est.

5.—Quando ex multis ad effectum aliquem sacramentalem directis, unum solum eumdem præstat, reliqua non censentur nisi quædam *sacramentalia,* et præparationes ad illum, ut manifestum est in baptismo, in quo exorcismi et insufflationes præcedunt, ceu præparationes, ablutionem aquæ, quæ sola sacramentum constituit:—atqui ita se habent inferiores ordines ac diaconatus ad presbyteratum, qui solum attingit

effectum sacramentalis ordinationis, id est, consecrationem corporis et sanguinis Domini;—solus igitur presbyteratus est sacramentum.

Resp. *Trans. Maj. N. Min.*—Neque enim consecratio corporis et sanguinis Christi sacræ ordinationis effectus est, sed finis. Nam effectus ordinationis est gratia sanctificans et character: atqui tam illa, quam iste non in sacerdotio solum, verum etiam in diaconatu producitur; ergo non solum sacerdotium, sed et diaconatus verum propriique nominis sacramentum est.—Atque hinc dispar ratio constat, cur in baptismo ablutio aquæ cum sua forma sacramenti rationem solum habeat, non item insufflationes, exorcismi, etc.: horum ope nulla, saltem ex opere operato, gratia, nullus character confertur; ideoque nudæ sunt ceremoniæ sacramenti præviæ.

6.—Potestas collata per sacramentalem ordinationem respicit sacramenti confectionem, quemadmodum potestas, quæ per sacramentum baptismi confertur, sacramentorum susceptionem spectat.—Atqui diacono hujusmodi potestas per ordinationem non confertur, cum aliud sacramentum diaconus conficere nequeat præter baptismum, qui administrari valide potest etiam a laicis.—Ergo.

Resp. *N. Maj.* — Quamvis verum sit in ordinatione sacerdotali potestatem conferri, sine qua Eucharistia confici nequit; non ideo sequitur nullam aliam ordinationem esse sacramentum, si per eam potestas non conferatur ad efficiendum quod sine ipsa *nullo modo* possit fieri: satis enim est si detur ad bene aut melius illud operandum, ut in sacramento confirmationis patet, quod ad fidem fortiter profitendam tribuit gratiam, licet non confirmatus eamdem fidem constanter profiteri et intrepide propugnare possit.

7.—Diaconatus ad tempus concedi potest; Vigilius enim Papa, in Epist. quæ extat Collatione 7. Concilii Œcumenici V. (Labbe tom. 5. p. 552.) omni honore diaconatus exuit Sebastianum, quem diaconum in aliorum absentiam diaconorum ad tempus creaverat.—Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Diaconatus concedi potest et concessus fuit a Vigilio ad tempus prout ordinationem, qua *Ordo diaconatus* confertur, significat *N.* prout dicit *dignitatem Cardinalis diaconi C.*—Vigilius enim in Epist. citata hoc ait, scilicet Sebastianum, *cum antea esset diaconus*, in locum Anatolii et Stephani *diaconorum Cardinalium* assumptum fuisse, ut

eorum loco ad tempus tamquam *Cardinalis diaconus* ministraret; ac proinde non ad tempus *diaconum* fuisse creatum, sed *Cardinalem diaconum* ad tempus renuntiatum. Concessionem hujus dignitatis Vigilius ordinationem, latiori hujus vocis significatione, nuncupavit.—Sebastianus autem, ob crimina quæ commiserat, privatus quidem fuit a Vigilio *ministerio* et *honore* diaconatus, at non *ordine;* quem, prout dicit potestatem in ordinatione diaconi acceptam, et in anima charactere indelebili signatam, amittere omnino non poterat.

Scholion.—*De diaconissis.* Nomine diaconissarum non solum *generatim* uxores eorum qui ad diaconatus ordinem promovebantur—hoc enim sensu appellabantur etiam a viris suis presbyteræ et episcopæ;—sed *speciatim* mulieres, certis in Ecclesia ministeriis proprio officio addictæ, nuncupatæ fuerunt. De his breviter quædam sunt hic attingenda.

Ad earum originem quod attinet, antiquissima diaconissarum est institutio, et ad apostolica tempora referenda; Apostolus enim in Epistola ad Romanos XVI. 1. inquit: "Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ [*διάκονον τῆς ἐκκλεσίας*], quæ est in Cenchris."—Et ineunte sæculo II. Plinius Junior in Epist. 97. ad Trajanum Imperatorem, de ritibus et conventibus christianorum agens, diaconissas in Ecclesia ministrantes commemorat, his verbis: "Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ *ministræ* dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere."

Hæc autem ex veterum documentis ministeria diaconissarum in Ecclesia fuisse docemur:

1. Rudibus et imperitis mulieribus exponebant tum fidei catholicæ doctrinam, tum ritus ad baptismum accomodatos. Concilium enim Carthaginense IV. cap. 12. præscribit diaconissas probe instructas esse debere "ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, et qualiter accepto baptismate vivant."

2. In communem quodammodo veniebant, una cum diacono, partem curarum circa viduas. Id clare deducitur ex l. 3. Constitutionum, ut vocantur, Apostolicarum. Ibi enim, cap. 7. legitur: "Viduas oportet esse honestas, graves, obedientes episcopis, presbyteris, diaconis; adhuc et diaconissis;"—et c. 15. episcopo dicitur: "Eliges diaconissam fidelem et sanctam ad ministrandum mulieribus."

3. Mulieres, sive pauperes, sive divites, Ecclesiam ingressas, et ubi sedere deberent nescias, suo statuebant loco;—quod et a diacono fiebat relate ad viros. Eædem enim Constitutiones Apostolicæ, l. 2. c. 58. id statuunt.—"Si autem pauper, vel ignobilis vel peregrinus, quispiam senex vel juvenis, intervenerit, sedibus occupatis, iis quoque diaconus ex toto corde locum faciet; ut non gratificatio ejus homines spectet, sed Deo acceptum fiat ministerium ejus. Idem et servet diaconissa in advenientibus mulieribus sive pauperibus, sive divitibus."

4. Mulieres quæ episcopum, vel diaconum, alloqui volebant, comitabantur. "Ad diaconum, aut episcopum nulla mulier"—in Cons. Apost. lib. 2. c. 26. legitur—"sine diaconissa accedat."

5. Eorum examini et sententiæ relinquebant Ecclesiæ Præsules virginem Deo sacratam, cum in suspicionem amissæ integritatis veniebat. Hujus rei testimonium exhibet S. Epiphanius mox citandus.

6. Demum cum mulieres baptizabantur, in eis nudandis et inungendis ministerium exhibebant.—S. Epiphanius (Hæres. 79. n. 3.) dicit: "Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur: sive ut Baptismi tempore adsit; sive ut inspiciat si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit; sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. Qua in re cum ordinis illius modestiæ, tum ecclesiasticæ disciplinæ prudenter admodum ex canonis præscripto, ac regula consultum est."

Diaconissarum ætas, primis Ecclesiæ temporibus, debebat esse ex præscripto Pauli "non minus sexaginta annorum" (I. ad Tim. v. 9.);—sed postea Concilium Chalcedonense, anno 451. celebratum, decrevit (can. 15.) diaconissarum munus assumi posse post ætatis annum quadragesimum. Diaconissæ vero tum ex viduis, et hoc frequentius, tum ex virginibus eligebantur.

Diaconissæ solemni ritu,—imo per manus etiam impositionem consecrabantur.—In l. 8. Constitut. Apostolicarum, cap. 19. et 20. legitur: "De diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei episcope imponas, præsentibus presbyteris et diaconis ac diaconissis: et dices: Deus æterne, Pater Domini nostri Jesu Christi qui viri et mulieris

auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, et Oldam Spiritu Sancto implevisti . . . ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium, et da ei Spiritum Sanctum et mundam effice ab omni inquinatione carnis et spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat" etc.—Concilium Chalcedonense, cap. 15. superius citato, dicit: "Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, et hanc cum summo libramine. Si vero suscipiens manus impositionem, et aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo qui eidem copulatur."—Et in antiquo *Ordine Romano*, quem Joannes Pinius S. J. in Tractatu præliminari de Ecclesiæ Diaconissis commemorat (Act. Sanct. mens. Sept. vol. 1. § 5. pag. 10.), ubi ritus apud Occidentales servatus in diaconissæ initiatione describitur, refertur episcopum super collum ejus ponere Orarium dicens: "Stola jucunditatis induat te Dominus;" et inter pias preces tradere ei annulum et torquem, dum ipsa diaconissa imponit super caput suum velamen ex altari acceptum.

Ex his tamen omnibus et ex aliis veteribus monumentis ne inferas, mulieribus olim stricte dictam ac sacramentalem diaconatus ordinationem, qualis diaconorum ordinatio est, concessam fuisse:—ceremonialis enim tantum erat manus impositio quæ in diaconissarum nuncupatione adhibebatur; earumque ordinatio nonnisi sensu latiori accepta, a Patribus, a Conciliis et a scriptoribus ecclesiasticis commemoratur.—Et revera in Const. Apost. l. 8. c. 28. legitur: "Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ presbyteri aut diaconi faciunt, nisi quod januas custodit, et presbyteris ministrat, cum mulieres baptizantur; idque propter decorem et honestatem;"—et a S. Epiphanio, loco superius citato, audivimus: "Quamquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur."

Paulatim diaconissarum initiationes in desuetudinem abierunt cum in Græca tum in Latina Ecclesia et "sæculo XII. nullas amplius in Occidente comparuisse diaconissas, probabilius etiam mihi est" ait P. Pinius (op. sup. cit. p. 26.).

ARTICULUS SEXTUS

De subdiaconatu et quatuor Ordinibus minoribus.

Ordinationes quibus subdiaconatus et minores ordines, nempe ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, et acolythatus, conferuntur, veram rationem sacramenti participare docuerunt cum S. Thoma et S. Bonaventura Scholastici antiquiores communiter, excepto Durando ; et inter recentiores doctores Canus, Sylvius, Bellarminus, Estius, Valentia, Billuart, Gotti, Wirceburgenses aliique non pauci.—Ex alia parte illis Ordinationibus dignitatem et efficacitatem sacramentorum denegant Morinus, Drouin, Tournely, Witasse, cum multis aliis ex theologis recentioribus.

Hac de re quid sentiamus ostendet

THESIS VI.

Probabilior videtur sententia affirmans, subdiaconatum et minores Ordines esse vere et proprie sacramenta.

Prob. 1. *Ex Concilio Florentino.* Nam—*a*) Sub appellatione *sacramenti ordinis* Concilium Florentinum, in Decretó pro Armenis, non solum presbyteratum et diaconatum, sed etiam subdiaconatum et minores ordines complectitur.—Ergo, juxta Concilii Florentini Decretum, non minus quam presbyteratus et diaconatus, vere ac proprie subdiaconatus et minores Ordines rationem sacramenti ordinis participant, et sunt sacramenta.

Antecedens constat ex ipsis verbis Decreti pro Armenis, quæ sic se habent: "Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem ; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est . . . et sic de aliorum ordinum formis."

b) In verbis mox citatis Concilium indicat *materiam* et *formam* sacramenti Ordinis:—"Sextum sacramentum est ordinis, *cujus materia* est, etc."—Indicat autem *materiam et formam*, non solum pro presbyteratu et diaconatu, sed etiam eodem modo pro subdiaconatu et pro aliis ordinibus.—Ergo in his ordinibus sicut in illis veram et propriam rationem sacramenti Concilium agnoscit.

c) Idem Concilium ait: "Effectus [hujus sacramenti] augmentum gratiæ, ut *quis sit idoneus minister*."—Ergo cum non distinguat inter varios ministerii gradus, nec dicat augmentum gratiæ conferri ut idoneus minister fiat ille *qui ordinatur presbyter, aut diaconus;* videtur Concilium intellexisse augmentum gratiæ per sacramentum ordinis conferri ut *quis sit minister idoneus in quocumque ministerii ordine*, per ordinationem accepto; ac proinde dixisse quamlibet ordinationem—quæ conferendo ordinem ministrum Ecclesiæ in aliquo gradu ministerii initiat—conferre augmentum gratiæ, et idcirco esse sacramentum.

d) Decretum Concilii Florentini pro Armenis, magna ex parte, respondere *ad verbum* his quæ Sanctus Thomas tradidit in Opusculo 4. "*de Articulis fidei et septem sacramentis Ecclesiæ*," non semel animadvertimus:—mentem igitur Concilii circa rem nostram optime intelligimus attendendo, quoad eamdem rem, doctrinam Angelici.—Jam vero, Doctorem Angelicum doctrinam, quam nos defendimus, tradidisse ita certum est, ut et ipsi adversarii nostri id ultro concedant.

Et sane S. Thomas in 4. d. 24. q. 2. a. 1. (Suppl. q. 37. a. 2.) quærens "utrum debeant plures ordines distingui," sine ulla ambiguitate dicit: "in *quolibet Ordinum* septiformis gratia datur." Et in eodem articulo addit: "*Ordinis sacramentum* ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum. . . . . . . Sicut enim templum et altare et vasa et vestes, ita et *ministeria quæ ad Eucharistiam ordinantur*, consecratione indigent; et *hæc consecratio est ordinis sacramentum;* et ideo distinctio ordinum est accipienda *secundum relationem ad Eucharistiam;* quia potestas ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiæ ipsius, aut *ad aliquod ministerium* ordinandum ad hoc sacramentum Eucharistiæ." Et prosequitur ostendendo quomodo omnes ordines ad Eucharistiam ordinentur, prout ex ipso S. Doctore diximus p. 20.

Proponit autem sibi hanc primam difficultatem: "Videtur quod non sint septem Ordines. Ordines enim Ecclesiæ ordinantur ad actus hierarchicos. Sed tres tantum sunt actus hierarchici, scilicet *purgare*,

illuminare et perficere, secundum quod Dionysius distinguit tres ordines in 5. cap. Eccles. Hierar., inter princ. et med. Ergo non sunt septem."

Et respondet: "Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius loquitur de ordinibus, non secundum *quod sunt sacramenta,* sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur. Et ideo secundum actiones illas tres ordines distinguit: quorum primus habet omnes tres, scilicet episcopus; secundus habet duas, scilicet sacerdos; sed tertius habet unam, scilicet purgare, scilicet ipse diaconus, qui minister dicitur; et sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. Sed ordines habent *quod sint sacramenta* ex relatione ad maximum sacramentorum, et ideo secundum hoc numerus ordinum accipi debet."

e) Demum quis negabit sensum Decreti Concilii Florentini, seu Eugenii IV. pro Armenis, probe S. Antoninum intellexisse, qui tempore Concilii Florentini inter primarios doctrina et sanctitate fulgebat, quique post septem annos a promulgatione illius Decreti Archiepiscopus Florentinus renuntiatus fuit, et Eugenio IV. carissimus ac familiaris exstitit? Quis ea quæ Sanctus Antoninus docuit, quamdam lucem effundere—si lux requiritur,—ad genuinam verborum Decreti superius citati intelligentiam assequendam, posse negabit? — Porro in tertia parte Summæ Majoris, titulo 14. capite 16. de Ordinibus, Sanctus Antoninus hæc, pro doctrina quam tuemur, clarissima tradidit.—Docuit (§ 1.) "ordinem sacrum distinctum esse in septem partes, scilicet ostiariatum, exorcistatum, lectoratum, acolythatum, subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum, et esse tamen unum sacramentum;" et subjunxit: "*Quilibet ordo est sacramentum essentialiter.*" Deinde (§ 3.) addidit: "*In omni ordine confertur gratia.* . . . Confert etiam majorem gratiam ordo in disposito quam alia sacramenta. Et major ordo majorem gratiam; quia major gratia requiritur ad actus ordinum digne exercendos, quam ad actus communes; et ad majoris ordinis actus, major gratia: unde nihil sensibile tam valet ad magnitudinem gratiæ impetrandam *ex opere operato,* sicut sacerdotii ordo: nisi forte quis dicat de consecratione episcopi, et susceptione Eucharistiæ."

2. Probatur thesis ex *Concilio Tridentino.* Etenim postquam Concilium, sess. 23. can. 2., definiverat: "Præter sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores et minores;" sequenti canone citra ullam restrictionem statuit: "sacram ordinationem esse vere et proprie

sacramentum a Christo Domino institutum;" et can. 6. definivit in Ecclesia esse Hierarchiam "divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris:" ministrorum nomine intelligendo omnes reliquos ordines, quos cap. 2. distincte jam nominaverat.—Ergo juxta Concilium, præter sacerdotium et diaconatum, ceteri quoque ordines *divina ordinatione sunt instituti* et *veri et proprii nominis sacramenti* rationem habent.

Quare licet concedamus, Concilium Tridentinum nullam voluisse hac de re *definitionem* edere, utpote coactum ad extirpandos Novatorum errores; manifestum tamen est in eam sententiam propendisse quæ omnibus, sine exceptione, ordinibus sacramenti proprie dicti naturam tribuit.

Quod etiam ex actibus ejusdem Concilii confirmari potest. Etenim ex illis sequentia facta, memoratu digna, accipimus.—In Congregatione theologorum minorum, habita die 23. Septembris anni 1562., ad examinandos septem articulos complectentes erroneas Novatorum de sacramento Ordinis doctrinas, postquam primus Salmeronius S. J. locutus fuerit, et *Ordinem* demonstraverit esse sacramentum; uno excepto Didaco de Paiva,—qui asseruit subdiaconatum, aliosque ordines inferiores sacramenta non esse,—ceteri omnes nullum inter ordines discrimen fecerunt *quoad rationem sacramenti;* et Theodorus Masius Ord. Carm., Joannes Bapt. Valentinus Ord. S. August., Benedictus de Mantua Ord. Præd., et Franciscus Sancius cler. sæcul., *expresse* dixerunt *omnes omnino ordines esse sacramenta.*—V. Acta Conc. ab Angelo Massarello ejusdem Conc. secretario conscripta, et edita ab Aug. Theiner t. 2. pp. 135–140.

Deinde, die 25. Septembris iterum Congregatio habita fuit ad articulos de sacramento ordinis perpendendos. In ea Petrus Soto Ord. Præd., primus theologorum secundæ classis, defendit—ut ex actibus Concilii refert Raynaldus, ann. Eccl. ad an. 1562. n. 91.—doctrinam sequenti propositione expressam: "Omnes, etiam inferiores [gradus ministrorum] ad sacramentum hoc pertinent."—Et inter theologos hujus secundæ classis, qui concionem habuerunt diebus 25. 26. et 28. Septembris, nemo, prout constat ex Actibus a Massarello conscriptis, pp. 140–145., minores Ordines rationem veri sacramenti participare negavit.

Demum in Congregatione habita 29. Septembris, "tertiæ theologorum classis princeps," ait Raynaldus, loco cit. n. 92., "de sacramento ordinis peroravit, ut referunt acta. Melchior Cornelius (inquiunt) sæcularis

clericus missus a Rege Sebastiano Portugalliæ accepit examinandum, an per ordinationem conferatur gratia."—Et concionem Cornelii ex iisdem Actibus Concilii Raynaldus referens, ait, celebrem illum theologum, quoad rem nostram, docuisse ac propugnasse propositionem sequentem: "Omnes ordines, *etiam minores* sunt sacramentum, quia *in eis gratia confertur;* qui ordines constituti sunt ab Apostolis ex institutione Christi, nam Christus constituit ut in Ecclesia isti Ordines essent."

De eadem re, in eadem Congregatione egisse Joannem Gaglio hispanum, Ord. Præd., ipsumque non minori perspicuitate doctrinam quam defendimus proposuisse constat. Has conclusiones ejus, circa rem nostram, fuisse scribit Massarellus, p. 145.:—"Presbyteratum verum sacramentum denegare hæreticum est. Idem de diaconis, quos Apostoli ad Eucharistiam ministrandam instituerunt, et Paulus ait, habentes ministerium fidei, et probentur prius etc. De subdiaconatu autem non ita dicendum, sed *temerarium esset sacramentum illud negare.* De minoribus etiam Ordinibus *etiam sacramentum esse* affirmavit, a Christo institutum et conferre gratiam, licet minorem."

Neminem vero inter theologos primæ classis hac in re Cornelio contradixisse et Gaglio, ex Actibus sæpe commemoratis, compertum habemus.—Vide p. 140–150.

Licet igitur ex his factis concludere theologos Concilii Tridentini communiter subdiaconatui et minoribus ordinibus veri et proprie dicti sacramenti rationem tribuisse:—et Tridentinos Patres, approbando doctrinæ et canonum de sacramento ordinis schema quod a communi theologorum sententia non recedebat, in hanc eamdem sententiam concessisse.

3. Ex *ratione theologica* qua ostenditur in aliis ordinationibus conferri gratiam, deduci etiam quadantenus potest eamdem gratiam dari in subdiaconatus ac minorum ordinum collatione. Et revera si gratia per ordinationem a Deo confertur quia in necessariis ipse non deest, ac proinde iis quibus tribuit spirituale in Ecclesia ministerium, quosque supra ceteros fideles per ecclesiasticum ordinem constituit, dat gratiam necessariam ut idonei sint ministri, et sanctitate præstent ceteris prout gradu iisdem antecellunt;—profecto fatendum est gratiam dari a Deo pariter per ordinationem subdiacono, et eis qui minores suscipiunt ordines; nam et hi ordine super ceteros fideles laicos, licet inferiori

gradu, constituuntur, et ad spirituale ministerium initiantur, et ad illud exercendum potestatem accipiunt, quod etiam absque divinæ gratiæ auxilio idonee exercere nequeunt.

Quæ modo diximus ipsa ordinum collatione exprimuntur, ut patebit ex sequentibus monitionibus ex Pontificali Romano excerptis.

Itaque Pontifex eos qui ordinandi sunt *Ostiarii* his verbis alloquitur: —"Suscepturi, filii carissimi, officium ostiariorum, videte, quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum, et campanam; aperire Ecclesiam, et sacrarium; et librum aperire ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram, illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus; et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis, et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis, et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo; ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, et opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam."

Pro *Lectorum* Ordine, Pontifex ait: "Electi, filii carissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea quæ [*vel* ei qui] prædicat; et lectiones cantare; et benedicere panem, et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras, distincte et aperte, ad intelligentiam, et ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros, verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini, et videamini figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini, et videmini, cœlestis vitæ formam præbeatis; quod in vobis Deus impleat per gratiam suam."

Pro ordinatione *Exorcistarum*, Pontifex dicit: "Ordinandi, filii carissimi, in officium exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones; et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impo-

sitionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut, sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus, et corporibus vestris omnem immunditiam, et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis, vestro ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum."

Pro *Acolythatu*, Pontifex inquit: "Suscepturi, filii carissimi, officium acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiæ accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut Veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravæ et perversæ, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sint ergo lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quæ sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus ipse demonstrat subdens, fructus enim lucis est, in omni bonitate, et justitia, et veritate. Estote igitur solliciti, in omni justitia, bonitate et veritate, ut vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis, et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam, et bona opera, oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam."

Demum pro *Subdiaconatu*, Pontifex ordinandos ita præmonet: "Adepturi, filii dilectissimi, officium subdiaconatus, sedulo attendite quale ministerium vobis traditur: subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare; diacono ministrare; pallas altaris, et corporalia abluere; calicem, et patenam in usum sacrificii eidem offerre. . . . . Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quæ diximus, nitide et

diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo, et per quem, oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallæ et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista, Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, id est, sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda est a vobis aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum altaris, et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, et Ecclesiæ Dei, hoc est corpori Christi, digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati. . . . Quod ipse vobis præstare dignetur qui vivet et regnat Deus in sæcula sæculorum."

4. Argumenta hucusque proposita, ex *Decretis contra simoniacos latis* et ex *doctrina Patrum* occasione horum Decretorum propugnata, illustrantur et confirmantur.

Et primo attendatur Decretum, sæculo V., latum a Concilio Chalcedonensi, superius citato, p. 60.—Etenim in canone 2. sancta Œcumenica Synodus IV. declarat "*gratiam in venditionem deduci*" si *propter pecunias* ordinatio fiat non modo superiorum, sed etiam *inferiorum* Ordinum ; ideoque agnoscit gratiam conferri etiam in inferiorum ordinum collatione.—"Si quis episcoporum," inquit, "accepta pecunia *Ordinationem* fecerit, et sub pretio deduxerit *impretiabilem gratiam*, atque *ordinaverit* per pecunias episcopum. . . . sive diaconum, *aut quemcumque aliorum qui connumerantur inter clericos.*"—Superius autem, art. 2., probavimus quatuor minores ordines et subdiaconatum *inter clericos* connumerari, cum a Latinis, tum a Græcis, et attulimus can. 24. Concilii Laodiceni, sæculo IV. celebrati, ubi legimus :—"Quod non oportet sacro ministerio deditos, a presbyteris usque ad diaconos, et *reliquum ecclesiasticum ordinem*, idest usque ad *subdiaconos*, *lectores*, *cantores*, *exorcistas* et *ostiarios* . . . ingredi tabernas."

Sub finem ejusdem sæculi V., S. Gelasius Papa in Epistola 9. ad episcopos Lucaniæ, postquam ob urgentem necessitatem pro quibusdam Ecclesiis statuerit intervalla temporis breviora ad ordines ecclesiasticos suscipiendos, incipiendo ab *Ostiariatu ;* juxta Concilii Chalcedonensis

Decretum declaravit (c. 24.): "Quos vero constiterit indignos meritis, *sacram mercatos esse pretio dignitatem*, convictos oportet arceri non sine periculo, *facinus tale perpetrantes*: quia dantem pariter et accipientem *damnatio Simonis*, quam sacra lectio (Act. VIII.) testatur, involvit."

Sæculo XI. S. Gregorius VII., in Decretali Epistola ad Ottonem episcopum Constantiensem (Labbe, t. 10. p. 316.) an. 1081. communicat quod in Synodo Romana statuerat, et ait: "Nos juxta auctoritatem Sanctorum Patrum in eadem Synodo [Romana] sententiam dedisse, ut hi qui per simoniacam hæresim, hoc est, interventu pretii, *ad aliquem sacrorum Ordinum* gradum et officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant."

Ne quis autem putet hoc Decretum spectare majores tantum Ordines, et pro iis tantum dici gratiam Sancti Spiritus, simoniaca labe, ad pretium deduci; audiatur Bernaldus scriptor coevus in *Apologetico* suo pro Decretis Gregorii VII. editis in Synodo Romana, sensum Decretalis mox citatæ aperte declarans:—"Ex qua re colligitur," inquit Bernaldus (Labbe, t. 10. p. 323.), "non solum illos reputari inter simoniacos, qui per pretium ad manus impositionem perveniunt [qua fiunt episcopi, presbyteri, aut diaconi], sed et illos qui et *alia clericorum officia* per pecuniam acquirunt. *Omnia autem in ejusmodi officiis operatur unus atque idem Spiritus, cujus donum non gratis, sed per pretium dare et accipere, non catholicum, sed indubitanter est simoniacum.*"

Demum, ne in longum rem protraham, afferam ultimum testimonium ex S. Petro Damiano desumptum. In opusculo 6., seu libro cui titulus est "Gratissimus," prolixe ostendit eos qui a simoniacis episcopis ordinati sunt, iterum non esse ordinandos; et inter cetera, hæc pro doctrina quam defendimus, nobis exhibet: "Quapropter plena fide," inquit (cap. 2.), "credendum est, quod sic ministris suis Christus ecclesiasticæ consecrationis delegat officium, ut tamen apud se *omnium Ordinum* contineat principaliter *sacramentum:* sicque servis promovendi conservos ministerium prærogat, ut in neminem ipsum consecrandi jus virtutemque transfundat. Licet enim Pontifices per injunctæ administrationis officium consecrare videantur; sed *ille veraciter consecrat, qui Spiritum Sanctum invisibiliter dat.*"

Et (cap. 3.) addit: "Sicut baptismus Dei est et non hominis, ita nimirum *omnis ecclesiastica consecratio* illi specialiter competit, a quo

omnium benedictionum plenitudo profluxit . . . . . neque enim vel ipse baptismus, vel prorsus *aliqua consecratio* magnum aliquid diceretur, nisi intuitu Spiritus Sancti, qui *per exercitia illa* tribuitur."—Quare inferius (cap. 6.) concludit: "Indubitanter igitur credendum est, quod si consecratio *cujuslibet ecclesiastici Ordinis* intra catholicam fiat Ecclesiam . . . quidquid bono per bonum traditur, hoc etiam malo per malum efficaciter exhibetur: quia *sacramentum* hoc non ministrantis vel ministraturi pendet ex merito."

Objiciunt adversarii

1.—Urbanus II. anno 1091. in Concilio Beneventano, can. 1. statuit: "Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus" etc. Ergo Subdiaconatus, et cum eo, a fortiori, quatuor minores ordines non sunt sacramenta.

Resp.—Subdiaconatum et minores ordines semper *sacros* fuisse appellatos, *ratione ordinationis* et *ministerii sacri*, vel ex ipso titulo qui in Libro Sacramentorum Gregoriano legitur, patet: "Incipit Ordo ad *sacros ordines benedicendos.* Majores gradus ante Evangelium, *minores* vero post communionem dantur" etc.—Cum ergo Urbanus II. subdiaconatum dicit non fuisse ordinem *sacrum*, rationem *sacri* ordinis considerat 1.—prout adnexam habuit solemnem cœlibatus professionem, quæ non semper subdiaconis imposita fuit:—2. prout ex illo jam suscepto ordine eligi quis potuit in episcopum.—Hunc sensum a Pontifice intentum declarat Decretalis Innocentii III. (Decret. libro 1. titulo 14. capite 9.) qua statuit Subdiaconum in episcopum eligi posse.—"A multis multoties," inquit, "an subdiaconus in episcopum eligi valeat hæsitatur. Si quidem Urbanus Papa I. [II.—quod dicat I. amanuensium perspicuus error est, ut recte adnotat Thomassinus, Vetus et Nova Disciplina Ecclesiæ tom. 1. libro 2. capite 33.] decrevit, ut nullus in episcopum etc. . . . In quibus verbis innuitur quod Urbanus ad statum primitivæ Ecclesiæ se referens . . . . . instituit, ut de subdiacono . . . . . non posset electio celebrari. Verum cum hodie subdiaconus inter *sacros* ordines

computetur. . . . Et ad similitudinem diaconi et presbyteri debet continentiam servare. . . . . . Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus ut subdiaconus in episcopum valeat elegi, sicut diaconus vel sacerdos."

Verba Urbani II. in objectione citata, nempe: "Hos [diaconatum et presbyteratum] primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum præceptum habemus Apostoli;" referuntur ad legem continentiæ constanter pro illis Ordinibus apud Latinos præscriptam, ut suo loco inferius demonstrabimus.

2.—Ordinatio, in qua non adhibetur manuum impositio, non est sacramentum: atqui in conferendo subdiaconatu manuum impositio non adhibetur; ergo. *Prob. Maj.*—Conc. Trident. statuens sess. 23. cap. 3. Ordinem esse proprie dictum sacramentum, id demonstrat ex verbis Apostoli, II. ad Tim. I.: "Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;" ergo.

Resp. *N. Maj.*; et ad Prob. *Dist. Ant.*—Concilium id demonstrat ex illis Apostoli verbis, quatenus exprimunt rem sensibilem gratiæ effectricem *C.* Quatenus præcise manuum impositionem exprimunt, *Subdist.* loquendo de ordine hierarchico *C.* de alio quocumque *N.*—Tridentina enim Synodus ait: "Cum Scripturæ testimonio, apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis: inquit enim Apostolus: 'Admoneo te, ut resuscites,' etc." Quare Concilium primo generatim pronuntiat, per sacram ordinationem, quæ *verbis et signis exterioribus* perficitur, conferri gratiam: subinde hoc demonstrat exemplo ordinationis episcopalis, in qua impositione manuum tamquam *signo exteriori* gratiam impertiri probat ex Apostolo. At quis exinde concludat, *nulli* ordinationi, in qua manus impositio non usurpetur, veri et proprie dicti sacramenti rationem competere?

3.—Amalarius (l. 2. de Officiis ecclesiasticis, c. 6.) postquam asseruit duos esse in Ecclesia ordines necessarios, sacerdotium nempe et diaconatum, dixit: "Ceteri ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset,

adjiciuntur inferiores in adjutorio præpositorum. Unde Ambrosius [seu Ambrosiaster, auctor nempe Comm. in Ep. Pauli, vulgati sub Ambrosii nomine] in tractatu Epistolæ ad Timotheum: illud vero dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque subdiaconorum, neque lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur: illis etenim gradibus functionum qui in Ecclesia necessario habentur isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit."—Ergo subdiaconatum et alios minores non instituit Christus; ac proinde non sunt sacramenta.

Resp. *Neg. Conseq.*—Sensus enim testimonii citati prorsus diversus est ab eo quem eidem tribuunt adversarii.—Et sane Amalarius non dixit duos ordines; scilicet sacerdotium et diaconatum, in Ecclesia esse *unice necessarios*, et *illos tantum divinam habere institutionem;* sed affirmavit, quod libenter et nos concedimus, *ad sacrificium altaris rite celebrandum illos duos ordines sufficere.*—Alios ordines, præter sacerdotium et diaconatum, Amalarius appellat etiam *sacros;* sed ait illos distinctis personis initio Ecclesiæ ob paucitatem fidelium non fuisse collatos. Quod confirmat ex Ambrosiastro.

Integer Amalarii textus veritatem solutionis nostræ ostendit. Hæc sunt Amalarii verba:—"Cap. 6. *De ordinibus sacris, quos nostri episcopi consueto more frequentant.*—Primo notandum est, eos ordines qui *potissimum* necessarii sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, et eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine sacerdote et diacono. Ut sine retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus, ad ministrandum ea, quæ necessaria sunt sacerdoti: ceteri ordines his adjecti sunt." etc. Et postquam citaverit Ambrosiastri testimonium, ait: "Sic sunt inferiores ordines in adjutorium superiorum, ut tamen non excludant superiores ab officiis sibi commissis. . . . De istis sat est ad demonstrandum unumquemque sacerdotem habere in se subjecta ministeria: sed propter multitudinem hominum non posse illum omnia adimplere, ac ideo adjectos esse sibi socios qui minora adimpleant. Nunc ordo deposcit, quantum Dominus dederit, ut de singulis ordinibus dicamus specialiter."

4.—Petrus Lombardus (l. 4. dist. 24. n. 9.) ait: "Subdiaconos vero et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit."—Ergo isti

gradus sunt ecclesiasticæ tantum institutionis, ideoque tamquam veri nominis sacramenta accipi nequeunt.

Resp. *Dist. Ant.*—Ecclesia, procedente tempore, hos ordines sibi constituit, idest, eosdem propria auctoritate *instituit N.* Idest, eos a Domino *institutos,* Ecclesia, crescente fidelium numero, *separatim* pluribus *contulit C.*—Initio namque Ecclesiæ, ut mox adnotavimus, propter fidelium et ministrorum exiguum numerum, ministeria ordinum inferiorum a superioribus exercebantur; quæ tamen non longe post primordia Ecclesiæ, diversis deinde personis distributa fuerunt.

Hunc esse sensum verborum Petri Lombardi evidens est, et miror auctoritatem ejus contra nos afferri.

Etenim in eodem contextu de septem ordinibus ait: "Cumque *omnes spirituales sint et sacri, excellenter* tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatum scilicet et presbyteratum."—Utrum vero, præter hos ordines ceteri sacramenta etiam sint an non, ab ipso Magistro Sententiarum audiamus.—Distinctio 24. libro 4. "*de ordinibus ecclesiasticis,*" ita incipit (numero 1.):—"Nunc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus sive ordines, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur, et capitis nostri, scilicet, Jesu Christi exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, et corpori suo quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit. Septem autem sunt, propter septiformem gratiam Sancti Spiritus, cujus qui non sunt participes ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus Sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, *in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.*"—Deinde in eadem distinctione 24. (num. 10.), statim post verba in objectione a nobis citata, ait: "Si autem quæritur quid sit quod hic vocatur ordo, sane dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, et officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur *hi ordines sacramenta,* quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur."

Responsum quod dedimus objectioni desumptæ ex statu Ecclesiæ in suis primordiis, accepimus a S. Thoma, qui declarat etiam, ut nos

fecimus, verba Magistri. Et notetur, solutionem hanc Angelicum Doctorem proponere in *eodem articulo* in quo ait: "*in quolibet ordine septiformis gratia datur;*" et "ordines [omnes] habent *quod sint sacramenta* ex relatione ad maximum sacramentorum."

Hæc sunt verba S. Doctoris (Suppl. q. 37. a. 2. ad 2.): "Dicendum quod in primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium, 3. cap. Eccles. Hierarch., aliquant. a princ., ubi dicit: 'Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem et benedictionis calicem.' Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite, in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera, loc. sup. cit., quod Ecclesia alios ordines sibi instituit."

5.—Ordines inferiores nec semper iidem, nec semper eodem numero habiti sunt in Ecclesia.—Ergo non sunt ex Christi Domini institutione.

Resp. *N. Ant.*—contrarium enim superius demonstravimus, articulo 2. p. 19. et seq.

6.—Minorum ordinum officia etiam a laicis licite impleri possunt. Non igitur eisdem sacramenti ratio videtur inesse.

Resp. *N. Cons.*—Quamvis enim laici minorum ordinum ministeria licite quandoque exerceant; hoc tamen non faciunt ex officio. Hanc responsionem adhibet S. Thomas (Suppl. q. 37. a. 4. ad 9.) et illustrat exemplo. Etenim difficultati, "in aperitione et clausione ostiorum non habent aliam potestatem ostiarii quam alii homines," respondet:—"Dicendum quod [ostiarius] suscipit potestatem ut ex officio hoc agere possit; quamvis etiam ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possint per alios licite fieri, quamvis illi ad hoc non habeant aliquod officium: sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur ut in ea Missa dicatur."

ARTICULUS SEPTIMUS

De sacrarum ordinationum materia et forma.

Circa materiam ac formam subdiaconatus et quatuor minorum ordinum fere nulla controversia est inter Doctores ; at magna quoad episcopatum, presbyteratum et diaconatum :—de his ergo præcipue agemus. Et in primis, ad rectam diversarum opinionum in re præsenti intelligentiam, brevem rituum, quibus ordinationes episcoporum, presbyterorum et diaconorum peraguntur, descriptionem dabimus.

I.—*Ordinatio episcopalis in Ecclesia Latina*, juxta ordinem Pontificalis Romani, his ritibus absolvitur :

1. Episcopus consecrans, adjuvantibus duobus episcopis assistentibus, librum Evangeliorum apertum, nihil pronuncians, imponit super consecrandi cervicem et scapulas.

2. Tangunt ejusdem caput, imponendo ambas manus, Consecrator et assistentes episcopi cum verbis : "Accipe Spiritum Sanctum."

3. Orationem pro eo fundit Consecrator, dicens : "Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus," etc.

4. Consecrator caput ejus qui ordinatur chrismate inungit, dicens : "Ungatur et consecretur caput tuum, cœlesti benedictione in ordine Pontificali ;" deinde ambas manus pariter inungit, et ait : "Ungantur manus istæ de oleo sanctificato et chrismate sanctificationis ; sicut unxit Samuel David regem, et prophetam, ita ungantur et consecrentur."

5. Tradit consecrato baculum pastoralem ; deinde annulum, et librum Evangeliorum clausum, correspondentibus ubique verbis : "Accipe baculum pastoralis officii," etc. "Accipe annulum," etc. "Accipe Evangelium, et vade ; prædica," etc.

6. Finita missa, consecrati capiti mitram imponit, et chirothecas manibus, dicendo : "Imponimus, Domine, capiti," etc." Circumda, Domine, manus," etc.

Ordinatio episcopalis in Ecclesia Græca ita peragitur, prout in Euchologio habetur:

1. Completo hymno, "ter sancto," conscendit Pontifex crepidinem, quæ est ante sanctam mensam, et ab adstantibus tribus Pontificibus a dextero latere ordinandus illi offertur. Chartophylax vero a sinistris eidem chartam tradit, in qua hæc verba scripta sunt: "Suffragio et consensu sacratissimorum metropolitanorum etc.," vel "suffragio et consensu Deo amabilissimorum episcoporum et sanctorum presbyterorum: divina gratia quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.* Deo amabilem presbyterum, episcopum a Deo servatæ civitatis *N.* Oremus pro eo, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus."

2. Pontifex Evangeliorum librum, adjuvantibus etiam episcopis, capiti ac cervici ejus qui ordinatur imponit; et mox tres cruces super caput ejusdem signat, et manum ei impositam tenens ita precatur: "Dominator Domine Deus noster, qui per celeberrimum Apostolum Paulum, graduum et ordinum seriem ad subserviendum et ministrandum venerandis et illibatis mysteriis tuis, in sancto altari tuo constitutis primo Apostolis, secundo Prophetis, tertio Doctoribus, sanxisti: ipse omnium Domine, hunc etiam suffragiis electum, et Evangelicum jugum dignitatemque Pontificalem subire dignum habitum, per meam peccatoris manum, et stantium ministrorum et coepiscoporum; adventu, virtute et gratia Sancti tui Spiritus corrobora, sicut sanctos Apostolos et Prophetas corroborasti, sicut reges unxisti, sicut Pontifices sanctificasti: et irreprehensum ejus Pontificatum ostende, et omni honestate illum exornans, sanctum illum renuncia: ut quæ populi saluti expediunt postulet, et a te exaudiri dignus fiat. Quia sanctificatum est nomen tuum" etc.

3. Dicto "*Amen,*" Pontifex elevat librum Evangeliorum capiti et cervici ordinandi antea impositum, super sacram mensam collocat, et pallium ordinato imponit, quem deosculatur.

II.—*Ordinatio presbyteri in Ecclesia Latina* his ritibus celebratur:

1. Ante Evangelium Missæ episcopus et sacerdotes adstantes, nihil dicendo, ordinandi capiti (si plures sint, singulorum capitibus) imponunt manus.

2. Deinde, tam Pontifex quam sacerdotes tenent dexteras manus extensas super illum, dum solus Pontifex stans cum mitra, dicit:

"Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet: et quod ejus dignatione suscipit, ipsius consequatur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen." Et mox Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare precem fundit: "Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster: et super hunc famulum tuum benedictionem Sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem; ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus" etc.

3. Imponit ei qui ordinatur stolam atque casulam, et postea manus ejus inungit oleo catechumenorum.

4. Tradit eidem calicem cum vino et aqua, et patenam cum hostia superpositam dicens: "Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini."

5. Peragitur sacrificium missæ, in quo ordinatus cum episcopo verba consecrationis pronunciat.

6. Post communionem, Pontifex cum mitra sedens imponit ambas manus super caput ordinati coram se genuflexi, dicens illi: "Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt; et explicans casulam, quam ordinatus habet complicatam super humeros, dicit: "Stola innocentiæ induat te Dominus."

Ordinatio presbyteri in Ecclesia Græca sequentes complectitur ritus:

1. Ordinandus, frontem sacra mensa suffulciens, utrumque genu incurvat, et a Pontifice ter in capite cruce signatur.

2. Confestim Pontifex dexteram manum ordinandi capiti impositam tenens, exclamat: "Divina gratia quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.* devotissimum diaconum in presbyterum: oremus pro eo, ut veniat super eum Sanctissimi Spiritus gratia."

3. Pontifex, manum super ordinandi caput impositam adhuc tenens, precatur hoc pacto: "Deus principio et fine carens, omni creatura antiquior, qui presbyteri appellatione dignos in gradu isto veritatis tuæ verbum sanctificare habitos, decorasti: ipse omnium Domine, istum quem tibi a me promoveri complacuit, in conversatione inculpata, et

fide indeficiente, ingentem etiam hanc gratiam Sancti tui Spiritus recipere complaceat, et perfectum servum tuum in omnibus tibi placentem, concesso tibi, a præsciente tua virtute, magno hoc sacerdotali honore digne conversaturum renuncia. Quia tua est potentia" etc.

4. Pontifex eum qui ordinatur erigit, et posteriorem stolæ partem ad anterius dexterum latus reducit, casula eum induit, et postea eidem porrigit "*panem sanctum.*" Hunc *panem* ordinatus restituit cum dicitur "Sancta Sanctis," et prior ceteris manu Pontificis communicat.

III.—*Ordinatio diaconi in Ecclesia Latina* ita perficitur:

1. Solus episcopus, postquam dixerit: "Oremus, fratres carissimi" etc., extensam manum dexteram ponit super caput ordinandi dicens: "Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini." Deinde prosequitur, extensam tenens manum dexteram versus ordinandum: "Emitte in eum, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiæ testimonium præferens, in Christo firmus et stabilis perseveret; dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur. Per eumdem Dominum nostrum etc."

2. Pontifex ei qui ordinatur, ante se genuflexo, imponit stolam super humerum sinistrum, dicens: "Accipe stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam: qui vivit et regnat in sæcula sæculorum."

3. Deinde dalmatica totaliter ordinandum induit, dicens: "Induat te Dominus indumento salutis et vestimento lætitiæ et dalmatica justitiæ circumdet te semper. In nomine Domini."

4. Postremo Pontifex ordinando librum Evangeliorum, manu dextera tangendum, tradit, aitque: "Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini."

Ordinatio diaconi in Ecclesia Græca sic absolvitur.

1. Frontem ad sanctam mensam ordinandus applicat, dextrumque

genu inflectit, et illico Pontifex super caput ejus habens impositam manum dexteram exclamat: "Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet *N.* piissimum subdiaconum in diaconum: oremus pro eo ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus."

2. Pontifex impositam ordinando tenens dexteram, orat: "Domine Deus, qui in præscientia tua etc."—Hanc orationem invenies superius ad verbum citatam, p. 61.

3. Demum Pontifex stolam diaconicam humero sinistro ordinato circumponit, et flabellum tradit.

Age jam, ex ritibus modo commemoratis, præter impositiones manuum et traditionem sive instrumentorum ordinis, sive libri Evangeliorum, communiter theologi tenent, cetera materiam essentialem ordinationum hierarchicarum non constituere, ideoque verba quæ illis correspondent non exhibere formam essentialem.

At cum de ritibus quos excepimus sermo est, iidem theologi magnopere inter se dissident; et in quatuor veluti partes adversas divisi acriter decertant.

Prima sententia, quam olim defendit S. Bonaventura, et hodie communior est docet, solam materiam essentialem pro ordinibus hierarchicis, seu pro episcopatu, presbyteratu et diaconatu, esse manus impositionem, quæ super caput ordinandi fit a Pontifice, omnesque alios ritus esse integrales ad clariorem signi sacramentalis declarationem.—Cum autem in ordinatione presbyteri juxta Pontificale Romanum ter in decursu ordinationis manus imponatur a Pontifice, materia pro hac ordinatione essentialis dicitur non *tertia* impositio manus quæ fit post communionem, quamque indicavimus inter ritus *ordinationis pro presbyteris in Ecclesia Latina* sub numero 6.; sed *secunda*, quæ fit a Pontifice ante consecrationem, et cum Oratione ejusdem Pontificis conjungitur, nimirum ea quæ describitur sub numero 2. Hæc vero secunda manus impositio haberi potest tamquam præcedentis continuatio, ita ut cum illa unum faciat: unde doctores non pauci nonnisi duas distinguunt in ordinatione presbyteri impositiones manuum, unam nempe ante SS. Eucharistiæ consecrationem, alteram post communionem.—Forma sacramenti ordinis pro episcopatu, presbyteratu et diaconatu habetur, juxta primam hanc sententiam, in verbis quæ materiæ, seu impositioni manus mox indicatæ, correspondent.

Secunda sententia pro materia essentiali assignat solam porrectionem instrumentorum, et formam dicit esse verba quæ in hac porrectione a Pontifice proferuntur:—manuum vero impositionem inter accidentales ritus adnumerat. Hanc sententiam propugnaverunt Valentia et Estius.

Tertia sententia, quæ a Wirceburgensibus et ab aliis propugnatur, duplicem materiam essentialem assignat in ordinatione *episcopali;* nimirum impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi, et manuum impositionem ab episcopo consecratore: formam vero utrique respondentem et adæquatam dicit esse: "Accipe Spiritum Sanctum."—Quoad ordinationem *presbyteri* materiam duplicem necessariam necessitate sacramenti et duplicem similiter formam esse contendit 1.—Instrumentorum, scilicet calicis cum vino, et patenæ cum hostia, seu pane, porrectio cum forma: "Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini." 2.—Impositio manus ultima, id est, post communionem, cum forma: "Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt."—Demum duas essentiales materias partiales et formas illis respondentes dari in ordinatione diaconorum asserit, primam nempe quæ consistit in impositione manus episcopi cum forma: "Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini:" secundam vero, quæ invenitur in traditione libri Evangeliorum, cum forma: "Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini."

Quarta demum sententia, quam sequitur Sardagna, in omnibus tertiæ sententiæ adhæret, si hoc solum excipiatur nempe quod pro presbyterali ordinatione primam materiam essentialem censeat esse non solam instrumentorum porrectionem, ut tertia sententia tenet; sed etiam impositionem manus episcopi ante consecrationem, et illam cum traditione instrumentorum moraliter conjunctam esse contendat.

Nos in hac opinionum diversitate, primam sententiam amplectimur, eamque defendit

THESIS VII.

Sola manuum impositio videtur esse materia essentialis in ordinatione episcopi, presbyteri et diaconi; quæ impositio manus in ordinatione presbyteri ab episcopo fit ante Eucharistiæ consecrationem. Forma vero essentialis harum ordinationum videtur esse oratio, quam minister ordinationis fundit dum manum super ordinandi caput imponit.—Pro ceteris ordinibus, traditio instrumentorum videtur esse materia ordinationis essentialis; forma autem videntur esse ea verba quæ eidem traditioni correspondent.

Thesis, quoad episcopatum, presbyteratum et diaconatum, probatur

1. *Ex Sacris Litteris.*—Nam Scripturæ Novi Testamenti, cum de his ordinibus loquuntur, nonnisi impositionem manus commemorant cui, tamquam causæ instrumentali, gratiam in collatione horum ordinum infusam, adscribunt.—Ergo impositio manus dici debet materia essentialis ordinationis episcopi, presbyteri atque diaconi; — immo, quoniam neque ex Traditione, ut mox demonstrabimus, ostendi potest alium ritum impositioni manus fuisse additum, tamquam materiam partialem necessariam ad signum sacramentale essentialiter constituendum, impositio illa manus dici debet sola materia essentialis pro episcopatu, presbyteratu atque diaconatu:—et exin etiam precatio, illi impositioni manus conjuncta, earumdem ordinationum dici debet sola forma essentialis, seu sola necessaria et adæquata.

Illatio videtur aperta. Illud vero quod in antecedenti asseritur patet ex demonstratis in thesibus I., III. et V.—Vide p. 8., 49., 56. et seqq.

2.—*Ex Conciliis antiquioribus*, quæ impositionem manus indicant tamquam solam materiam ad conferendos ordines hierarchicos necessariam. —Ex Conciliis enim recentioribus, quæ paulo infra citabimus, novum pro re nostra argumentum postea deducemus.

Conc. Antiochenum, an. 341., can. 10., statuit: "Ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi *episcopi ordinationem, manuumve impositionem* acceperint, visum est ut modum suum sciant" etc.—Et can. 17.: "Si quis episcopus *per manus impositionem episcopatum acceperit*, et præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari."

Carthaginense IV., anno 398., disertissime declaravit quo ritu inaugurandi forent omnes Ecclesiæ ministri, et ad ordinandos episcopos, presbyteros et diaconos, nonnisi *impositionem manus*, tamquam materiam, et *benedictionem* seu *orationem*, tamquam formam, præscripsit, ut patet ex canonibus 2. 3. et 4., quos citavimus p. 25.—Quin immo c. 5. sequenti, ubi tradidit modum ordinandi subdiaconum, expresse distinxit manus impositionem ab instrumentorum porrectione, statuitque subdiaconum per hanc porrectionem esse promovendum, quoniam impositionem manuum non habet: ac proinde evidenter declaravit ordines hierarchicos per solam manuum impositionem conferri absque porrectione instrumentorum. In mentem revocentur verba Concilii: "Subdiaconus cum ordinatur," inquit c. 5., "quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum; de manu vero archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium."

Hispalense II. anno 619. c. 5.: "Quinto judicio," inquit, "ad cognitionem nostram, Aniani Egabrensis diaconi relatu, deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis; quorum, dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis, contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione præventus; sed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accusari non potest, hi qui supersunt, et ab eo *non consecrationis titulum*, sed ignominiæ potius eulogium perceperunt; ne sibi licentiam *talis ultra usurpatio* faciat, decrevimus ut a gradu sacerdotalis, vel Levitici ordinis, quem perverse adepti sunt depositi, æquo judicio, abjiciantur. Tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti."

Toletanum IV., an. 624., can. 28., quo præscribitur forma restituendi in pristinum gradum eos qui injuste dejecti sunt, sic loquitur: "Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, annulum, et baculum: si presbyter, orarium, et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem: sic et reliqui gradus ea in reparatione sui recipiant, quæ, cum

ordinarentur, perceperunt." Ex quo canone recte infertur, ait Hallerius (De sacris elect. et ord. sect. 2. cap. 2. art. 1. num. 6., pag. 431.), nondum septimi sæculi initio Hispaniacarum Ecclesiarum morem fuisse tradendi in ordinatione presbyteri et diaconi instrumenta. "Si enim," prosequitur, "aliqua tradita fuissent, sicut in eorum degradatione fuissent ablata, ita in ipsorum restitutione fuissent palam ab episcopis reddita; nec Concilium quod in episcoporum restitutione, baculi pastoralis et annuli meminit (in quibus nemo unquam episcopalem ordinationem sitam esse vel leviter suspicatus est); quod in subdiaconorum restitutione, calicem et patenam, (quæ instrumenta subdiaconi, dum ordinantur, de episcoporum manu accipiunt), et in reliquorum ordinum reparatione cetera instrumenta, quæ juxta Carthaginense Concilium IV., cum ordinarentur, perceperunt, memoravit; silentio prætermisisset instrumenta diaconis ac presbyteris porrigi solita; defectu quorum ad vestes, quibus in sua ordinatione presbyteri diaconique induuntur, referendas confugit, non habens instrumenta in istorum ordinatione, sicut in inferiorum ordinum collatione, quorum redditione restitutam dignitatem significandam præciperet."

Concilium Meldense, anno 845., can. 44., majores ordines usque ad subdiaconatum, *per manus impositionem* conferri significat. "Chorepiscopi," inquit, "ecclesiasticos ordines qui per impositionem manus tribuuntur, id est, nonnisi usque ad subdiaconatum, agere non præsumant."

3.—*Ex doctrina Patrum;* hi enim pro ordinibus hierarchicis numquam dixerunt materiam essentialem esse traditionem sive instrumentorum, sive libri Evangeliorum; aut asseruerunt his ritibus ordinationis gratiam conferri:—sed e contra, vel absolute statuerunt ordines hierarchicos *dari per impositionem manus et orationem*, vel etiam expresse docuerunt *per hoc unum signum* ordinationes, ad illos ordines conferendos, essentialiter perfici.

Primum enunciatum constat ex ipsa adversariorum confessione, qui neque unum testimonium ex Patribus desumptum afferre possunt quod indicet gratiam ordinationis dari sive per traditionem instrumentorum ordinis, sive per impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi, cum agitur de ordinatione episcopali; et per porrectionem ejusdem libri, cum sermo est de diaconi ordinatione.

Alterum vero enunciatum demonstratur ex frequentissimis testimoniis Patrum. Ex his quædam vel jam superius citata, vel nova, hic afferimus ad exemplum.

Sæc. III. S. Corn. Papa, in Ep. ad Fabium Antiochenum, ab Eusebio Hist. Eccl. libro 6. cap. 43. transcripta, refert modum quo Novatianus episcopatum sibi arrogavit, et dicit: "Ille, cum episcopatum, sibi a Deo minime concessum, præter fas arrogare atque surripere conaretur, duos sibi socios deploratæ salutis delegit, quos in exiguam atque vilissimam Italiæ partem destinaret, ut inde accitos episcopos tres, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet. . . . Qui cum advenissent homines, ut jam diximus simplicioris ingenii . . . eos ille [Novatianus] a quibusdam sui similibus, quos ad id comparaverat inclusos, hora decima temulentos et crapula oppressos, imaginaria quadam et vana *manuum impositione episcopatum sibi tradere* per vim cogit."

S. Cyprianus cum aliis episcopis qui Carthaginensi Concilio habito anno 254. adfuerant, ut de depositione Basilidis et Martialis cognoscerent, scribit (Epistola 68.—Migne P. L. tom. 3. pag. 1064.): "Quod . . . factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio et de episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant judicio, *episcopatus ei deferretur et manus ei* in locum Basilidis *imponeretur*."

Sæculo IV., S. Basilius, epistola canonica prima ad Amphilochium, canone 1., loquens de iis qui ab Ecclesia separati erant, ait: "Qui primi recesserant, ordinationem a patribus habebant, et *per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale;* qui autem resecti sunt, laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habebant potestatem, ut qui non possent amplius Spiritus Sancti gratiam aliis præbere, a qua ipsi exciderant."—Et in Ep. 250. ad presbyteros Nicopolitanos ait: "Non agnosco episcopum, nec numerarim inter Christi sacerdotes eum qui *a profanis manibus* ad eversionem fidei principatum accepit."

S. Epiphanus (hæres. 75. n. 4.) adversus Aërium demonstrans presbyterum nullatenus posse per ordinationem creare presbyterum, ait: "Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, *ad quem* creandum, *manuum imponendarum* jus nullum habeat."

Ex Apologia S. Athanasii, superius citata p. 35. habemus Ischyram,

qui presbyterum esse jactitabat, mendacii hac ratione fuisse convictum: "Unde igitur presbyter Ischyras? quo ordinante? num Collutho?—Atqui Colluthum, presbyterum obiisse, ambasque *ejus manus* sine *auctoritate fuisse* . . . omnibus notum ac nulli dubium est."

S. Joannes Chrysostomus, loquens de ordinatione septem diaconorum, quæ narratur in Actibus Apostolorum, VI., ait (Hom. 14. in Act. Ap. n. 3.): "Vide, quam *non superflue* scriptor loquatur: non enim dicit quomodo, sed simpliciter quod *ordinati sint impositione manuum et prece*: *hoc enim est ordinatio. Manus viri superponitur, totum vero Deus operatur, ejusque manus est quæ tangit caput ordinati.*"

Initio V. sæculi S. Innocentius Papa I., Epistola 17. ad episcopos Macedoniæ, c. 3. scribit: "Ab hæreticis ordinatos, vulneratum *per illam manus impositionem* habere caput;"—et addit: "Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, *per pravam manus impositionem* dedit: et qui comparticeps factus est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum."

Eodem sæculo, S. Cœlestinus Papa I., Epistola 22. ad Sanctam Œcumenicam Synodum Ephesinam scripta, (num. 2.), Maximiani in locum Nestorii ordinationem laudat, quam his verbis commemorat: "Interfuimus, nec nos dixerimus absentes, *cum ejus capiti verba mystica dicerentur.*"

Et S. Leo Magnus, Ep. 12. (al. 1.) ad episcopos Africanos, explicans illud Pauli: "Manus cito nemini imposueris," ait: "Quid est *manus cito nemini imponere*, nisi . . . . . *sacerdotalem honorem* tribuere non probatis?"

Similiter S. Hieronymus (Comm. in Isaiam, lib. 16. cap. 58.—Migne P. L. t. 24. pag. 591.), dicit: "Plerique nostrorum χειροτονίαν, id est, *ordinationem clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus* . . . . sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum: 'Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis' (I. Tim. v. 22.). Non est enim peccatum leve, mittere margaritas ante porcos et dare sanctum canibus, et ordinationem clericatus, nequaquam sanctis et in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere, et vilium officiorum ministris: quodque his dedecorosius est, mulierculárum precibus."

Eadem ætate S. Augustinus ordinationem superiorum Ordinum

impositione manus et deprecatione quoad essentialia sacramenti perfici docuit, tum in opere de Baptismo, tum in concionibus habitis super gestis cum Emerito episcopo Donatista.—Et sane in libro 5. de Baptismo, c. 20.: "Si ergo," inquit, "ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, 'Deus peccatorem non audit,' ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel *super capita eorum quibus manus imponitur?* quæ tamen omnia fiunt et valent etiam per homicidas."—Et in sermone ad plebem Cæsareensem, coram Emerito Donatista (n. 2.) ait: "Invocatio nominis Dei *super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi,* invocatio illa Dei est, non Donati. Non eum suscipio episcopum si, quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus."

Theodoretus autem de ordinationibus superiorum ordinum per manus impositionem perfectis frequenter agit. Inter plurima hujus auctoris testimonia quæ citari possent, sufficiat nobis recolere unum, illud nempe quod de ordinatione Acepsimatis (Relig. Hist. 15.) dixit: "Hic genibus flexis gratiam expectabat, ille [Pontifex] *manum imponens Spiritui famulabatur.*"

Et Synesius ab Olbiatis in episcopum electus ad Theophilum Alex. Epist. 76. scribens ait: "Uno adhuc opus est, quod tamen præcipuum est, scilicet *sacra tua manu; ea quidem Olbiatæ opus habent,* ego autem precibus."

Sæculo VI., S. Gregorius Magnus hæc, quin omnia loca commemorem, clarissima pro re nostra docet. In libro 5. epistolarum, Epist. 57. ad Joannem episcopum Corinthiorum (Migne P. L. t. 77. p. 791., ait: "Præterea pervenit ad nos quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit (Matth. XXI. 12.). Columbas enim vendere est de Sancto Spiritu, *quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit,* commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice

cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad sacrum honorem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit."—Quod et ipsissimis verbis repetit atque inculcat in Epist. 58. ejusdem libri "ad Universos episcopos per Helladiam ;" et in Epist. 8. libri 6. "ad episcopos Epiri."

Sæculo VII., S. Isidorus Hispalensis (de Eccl. Officiis, lib. 2. c. 10.) de ordinatione subdiaconi loquens ait: "Hi igitur, cum ordinantur, *sicut sacerdotes et Levitæ, manus impositionem non suscipiunt,* sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, et ab archidiacono scyphum aquæ cum aquæmanili et manutergium accipiunt."

Sæculo VIII., Ven. Beda (lib. 3. in c. 11. Marci) contra simoniacos repetens quod a S. Gregorio Magno acceperat, inquit: "Qui sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? per quam videlicet impositionem Spiritus Sanctus cœlitus datur."

Sæc. IX., Amalarius in opere "de ecclesiasticis officiis" optimum ad rem nostram testimonium exhibet. Loquens enim, c. 12., de diaconis, postquam retulerit verba Actuum Apostolor. VI., quæ indicant septem diaconorum ordinationem factam ab Apostolis, addit: "Et libellus quidam apud nos [Amalarius erat presbyter Metensis] de sacris ordinibus, nescio cujus auctoris, qui dicit solum episcopum debere manus imponere super diaconum, quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Numquid scriptor libelli doctior atque sanctior Apostolis?" Et prosequitur ostendens convenientiam impositionis manuum quæ fiat a sacerdotibus assistentibus in ordinatione diaconi, sicut in ordinatione presbyteri. Deinde ait: "Si quis voluerit dicere quid necesse est toties imponere manus super capita eorum qui consecrantur? Imponuntur enim super diaconum, imponuntur postea super presbyterum. Quare hoc? nisi quia per consecrationem de opere ad opus transit, sicut de ministerio diaconi transit ad immolationem sacerdotalem. Quoniam nec illud opus, nec illud possumus agere, nisi dono gratiæ Dei adjuti. . . . . Repetitur manus impositio, ac deprecatio primi operis transit ad deprecationem secundi."—Et postea (c. 13.) repetit: "Ipsi [presbyteri] *quando consecrantur, manus impositionem accipiunt.*"

Præterea, capite 14., loquitur Amalarius de consecratione episcopi, et ait: "Dicit libellus, secundum cujus ordinem celebratur ordinatio *apud quosdam*, ut duo episcopi *teneant Evangelium super caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimat, neque apostolica traditio, neque canonica auctoritas.* Potest tamen Evangelii positio super caput monere tenentes ut, quo Dominus idem Evangelium firmet in corde ejus, deprecentur, aut ut moneat eum qui consecratur, recordari se amplius esse sub jugo Evangelii, quam foret."—Sane verba hæc, citra controversiam ostendunt non fuisse, saltem tunc temporis, in consecratione episcopali communiter adhibitam impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi; ac proinde, eam nullatenus fuisse materiam in ordinatione episcopi essentialem.

Sæculo X., Gerbertus, postmodum Silvester Papa II., apertissime pro nobis loquitur in opusculo "de dignitate sacerdotali," a nonnullis sæpe citato sub Ambrosii nomine. Adversus simoniacos invehens (Migne P. L. t. 139. p. 175.), episcopum interrogat: "Quis dat, frater episcope, gratiam episcopalem, Deus an homo?—Sine dubio Deus, sed tamen per hominem. *Homo imponit manum et Deus largitur gratiam; sacerdos Deo servit supplici dextera, Deus benedicit potenti dextera;* episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem."

Sæculo XI., S. Petrus Damianus (in opusc. 6. "Gratissimus" cap. 6.) inquit: "Simoniaci . . . . . obtinendi principatus ambitione succensi, ad culmen tantummodo dignitatis anhelant. . . Horum [Giezi et Simonis] sectatores sicut non sunt in errore diversi, ita nec in damnatione discreti: quibus tamen si catholica fiat ordinatio, sacræ dignitatis officium, ad quod non merentes accedunt, perfecte suscipiunt. Ejusdem namque virtutis est Spiritus Sanctus, cum ejus gratia venditur, cujus est et cum gratis datur . . . . . unius virtutis est, et cum venalitati quodammodo subjacere cernitur, et cum gratuita *manus impositione* præbetur."

Sed jam perpetuam traditionis doctrinam attendentes circa ritum ad conferendos ordines hierarchicos essentialem, ad sæculum XII., seu ad illam ætatem pervenimus, in qua porrectio instrumentorum in ordinatione presbyteri adhiberi apud Latinos communiter cœperat, et commemorari a scriptoribus ecclesiasticis. Videamus, utrum *illam dicant esse ad ordinandos presbyteros essentialem* an non, utrum *per illam tradi*

potestatem sacerdotalem affirment necne?—Audiamus Hugonem a S. Victore, qui de ritibus sacrarum ordinationum ex professo tractavit:—ex verbis ejus intelligemus, ritum illum fuisse introductum *non ad tradendam potestatem sacerdotalem,* seu *ad ordinationem sacerdotis essentialiter perficiendam;* sed *ad clarius significandam potestatem ordinis,* jam *per impositionem manuum* traditam.

In opere itaque "de Sacramentis," lib. 2. p. 3. c. 12. "*de presbyteris,*" Hugo a S. Victore, ita loquitur: "*Presbyteri* cum ordinantur, episcopo eos benedicente, et manus super capita eorum tenente, omnes presbyteri qui præsentes sunt manus juxta manum episcopi super capita eorum levant, et Spiritum Sanctum super eos qui ordinantur invocant. Unguntur presbyteris manus sicut episcopis, ut cognoscant se hoc sacramento gratiam consecrandi accipere, et opera misericordiæ erga omnes pro viribus exercere debere. Unctio capitis specialiter ad episcopum pertinet, ut intelligat se vicarium illius esse de quo scriptum est: 'Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ' (Psalm. XLIV.). Hi post invocationem Sancti Spiritus, stolam super utrumque humerum accipiunt, quæ in modum sustentaculorum dextrum latus munit et sinistrum, ut ex hoc intelligant se per arma justitiæ a dextris et a sinistris *esse munitos,* ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu episcopi, *quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.*"

Quoad ordinationem diaconorum, eodem pacto Hugo declarat eos ordinem recipere *per impositionem manus* episcopi, et traditionem libri Evangeliorum non esse nisi ritum accidentalem: dicit enim diaconum jam *esse ordinatum* antequam accipiat de manu episcopi orarium seu stolam, quam tamen ab episcopo accipit, antequam ab eodem accipiat librum Evangeliorum.—Hæc sunt verba Hugonis (op. cit. cap. 11. *de diaconis*): "Hi [diaconi] cum ordinantur, solus episcopus manus eis imponit, quia ad ministerium, non ad sacerdotium, applicantur; ponitur eis orarium, id est, stola super sinistrum humerum ab episcopo, *ut hoc agnoscant se accepisse jugum Domini;* quo omnia ad sinistram, id est, præsentem vitam pertinentia adversa fortiter tolerent, et divino timori subjiciant. Accipiunt et textum Evangeliorum de manu episcopi, per quem intelligant se esse præcones Evangelii Christi. Nam sicut lecto-

ribus Vetus Testamentum, ita diaconis Novum prædicare præceptum est; præcipue Evangelium quod solis ipsis in Ecclesia pronuntiare licet."

Præterea, in capite 10. *de diaconis*, ait: "Hi cum ordinantur, *sicut sacerdotes et levitæ, manus impositionem non accipiunt*, sed tantum calicem vacuum et patenam vacuam de manu episcopi."

Demum in eodem opere "*de Sacramentis*," parte decima "*de Simonia*" inquit: "Qui ordines sacros emunt vel vendunt convicti sine misericordia deponuntur, quia profecto sacris ordinibus indigni sunt, qui in ipsis sacris ordinibus peccasse comprobantur. . . . . Sciendum vero est quod qui a simoniacis nescientes ordinantur, quia eos catholicos, non simoniacos, putant, spiritualem gratiam per ministerium illorum accipiunt, si erroris illorum (cujus conscii non fuerant) participes non fiunt. . . Sed dicis mihi: Quomodo a simoniaco, *ordinatus per impositionem manus illius*, donum Sancti Spiritus accipere potest? Quomodo simoniacus potest dare quod non habet, etiam si catholicus putetur? Audi quomodo, etc."

Eamdem omnino doctrinam confirmatam habemus verbis Innocentii Papæ III.—Etenim scribens, anno 1198., pontificatus sui primo, ad archiepiscopum Mediolanensem, hæc habet: "Inde est quod, sicut ex tenore tuarum litterarum accepimus, Mediolanensis Ecclesia tam in capite, quam in membris . . . adeo est ministrorum solatio destituta, ut paucos clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad *diaconatus* et *presbyteratus* possis officium promovere. Verum quia fraternitas tua suppliciter a nobis expetiit ut ipsius Ecclesiæ necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere *manus posse illis ordinationis imponere;* super hoc tuæ fraternitati taliter duximus respondendum quod, ipsius Ecclesiæ necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis clericis, qui ad hoc videantur idonei et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad sacros ordines promoveri, eos auctoritate nostra tibi liceat ordinare."

Et in opere "de sacro mysterio altaris" l. 1. c. 9. explicat—ut fecit Hugo a S. Victore, immo fere iisdem verbis—significationem aliorum rituum, qui præter impositionem manus essentialem, in ordinatione presbyteri adhiberi solebant. "Hi [presbyteri] post invocationem Sancti Spiritus," inquit, "super utrumque humerum stolam accipiunt,

ut ex hoc intelligant, se per arma justitiæ a dextris et a sinistris esse munitos (II. Cor. VI.); quatenus nec adversis frangantur, nec prosperis eleventur. Unde cum stolam accipiunt, dicit illis episcopus: 'Accipite jugum Domini, jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve' (Matth. XII.). Suave est in prosperis, leve est in adversis. Accipiunt quoque calicem et patenam de manu pontificis, *quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles hostias offerendi.* Unde cum hæc episcopus tribuit: 'Accipite,' inquit, 'potestatem offerendi sacrificium Deo, missamque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.' "

Documenta traditionis hucusque a nobis allata abundanter ostendunt ordinationes ad conferendos ordines hierarchicos essentialiter perfici per solam impositionem manus cum forma huic materiæ correspondente; ita ut traditio instrumentorum, impositio libri Evangeliorum in ordinatione episcopi, et traditio ejusdem libri in ordinatione diaconi, sint materia accidentalis addita ad melius exprimendam exterius potestatem in ordinatione collatam.

Sed insuper, eadem documenta et præsertim ea quæ citavimus ex Hugone a S. Victore et ex Innocentio III. manifeste docent, *impositionem manus episcopi, per quam presbyter ordinatur, illam esse, quæ præcedit SS. Eucharistiæ consecrationem, non autem eam quæ hanc consecrationem subsequitur*, et fit post communionem, quando episcopus ponendo ambas manus super ordinatum, dicit: "Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt."—Et reapse ex testimoniis nuper citatis intelleximus, traditionem instrumentorum fieri postquam ordinatio quoad essentiam perfecta fuerit per manus impositionem; ideoque impositionem manus, quæ sola essentialiter necessaria sit, debere traditionem instrumentorum præcedere, ac proinde illam esse quæ præcedit consecrationem.

Hoc etiam constat ex aliis testimoniis Patrum superius citatis, in quibus statuitur impositionem manus, ad ordinationem presbyteri essentialem, illam esse cui *precatio* Antistitis, ut forma, conjungitur: unde certe deducitur non esse illam quæ fit sub finem Missæ, dum hæc verba indicativa proferuntur, "accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata remittuntur eis etc.;" sed illam esse cui hæc verba conjunguntur: "Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hunc famulum

tuum benedictionem Sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem etc."

Idipsum evidenter confirmatur ex "*Pervetusto Rituali Pontificali Romano membranaceo,*" apud Equitem Maffeium asservato, et a Ludovico Antonio Muratori edito in sua "Liturgia Romana," tom. 2. pag. 415.—Ibi "pro *ordinatione presbyteri,*" legimus, pag. 426., episcopum manum imponere super ordinandum, et eamdem prorsus Orationem fundere quæ hac nostra ætate juxta Pontificale Romanum dicitur, incipiendo a verbis: "Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hunc famulum tuum benedictionem Sancti Spiritus et gratiæ spiritualis [sacerdotalis] infunde virtutem," etc., usque ad ultima illa: "Da quæsumus, omnipotens Deus, in hunc famulum tuum presbyterii dignitatem: innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuet. Sit providus cooperator ordinis nostri; eluceat in eo forma totius justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia consequatur. Per eumdem etc."

Deinde "Pontificale" quod citamus prosequitur: "*Heic flectat* [episcopus] *orarium super humerum dextrum, dicens ad eum:* 'Accipe jugum Domini, etc.:' "—continuo addit: "*Heic vestit eum casula,* dicens: 'Stola innocentiæ induat te Dominus. Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur. Potens enim Deus augere tibi caritatem, et opus perfectum.' *Heic debet dici hymnus:* 'Veni Creator Spiritus.' *Deinde:* 'Kyrie eleison,' etc. *Sequitur benedictio. Quidam legunt, quidam dicunt in modum Præfationis:* 'Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, plenaque benedictio est, tu, Domine, super hunc famulum tuum, quem presbyterii honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, etc.' "

Expleta autem hac oratione, et peracta ceremonia unctionis manuum prout in moderno Pontificali præscribitur, Pontificale vetus quod citamus addit:—"*Hoc facto accipiat patenam cum oblatis et calicem cum vino, et ponat in manibus ordinati, et dicat:* 'Accipite potestatem offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.' "—Sequitur "benedictio" quæ sic se habet: "Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et offeratis placabiles hostias pro

peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen."—Atque ita absolvitur ordinatio presbyteri, in qua, ut patet, nulla alia impositio manus indicatur, præter illam quæ fit ante consecrationem Eucharistiæ; qua impositione manus peracta, instrumenta, seu calix cum vino et patena cum hostia, porrigi dicuntur *ordinato.*

Præterea Muratorius in nota animadvertit, codicem quem citavimus marginalem quamdam adnotationem exhibere, quæ novum argumentum suppeditat ad ostendendum ultimam manuum impositionem, seu illam quæ fit post communionem, esse ceremoniam mere accidentalem.—Etenim, ad finem verborum quæ profert episcopus dum calicem et patenam tradit, Muratorius hanc notam appendit: "Adduntur hæc in margine, *scripta recentiori manu :—'Heic ponat episcopus manus super caput cujuslibet eorum, dicens:* Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiseris peccata remissa erunt, et quorum retinueris, retenta erunt. *Quo singulis facto, ad ultimum dicat in generali:* Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, et quorum retinueritis retenta erunt. *Deinde dicat:* Benedictio Dei Patris etc., *ut supra.*'"

Ex quibus manifeste apparet, impositionem manuum, quæ nunc fit in ordinatione presbyteri post communionem, *recentem habere originem; nullo pacto esse confundendam cum ea quam Scripturæ ac Patres commemorant; fuisse paulatim introductam; et esse mere ceremonialem.*

Quodque iterum atque iterum confirmat hæc alia eruditissimi H. Menardi animadversio: "In eodem," inquit (in S. Greg. M. lib. sacram. nota 757.), "Pontificali Romano [hodierno] expleta communione, etc., denuo Pontifex imponit manus super capita singulorum dicens: '*Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata,*' etc. Qui ritus cum sua forma *non extat* . . . . . in nostris sacramentariis tam editis quam mss., neque in codice Tilliano, neque in Pontificali ms. quod Anglicanum esse putatur, neque in ordine ms. Sancti Germani a Pratis; *quæ postea tamen addita sunt in hujus codicis margine, sed alia manu.*"

Demum ad ordinationem diaconi quod attinet, in eodem vetusto codice membranaceo a Muratorio edito, legimus (Murat. op. cit. t. 2. p. 423.): "Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit manus super caput ejus imponat. *Sed hæc impositio fit, quando dicitur oratio* '*Emitte,*' quæ est infra, quia non ad sacerdotium, sed ad ministe-

rium consecratur."—Deinde post orationem "Emitte," legimus: "*Ad consummandum diaconi Officium*, cum stola super quemlibet singillatim dicat: 'Accipe stolam candidatam,' etc. Tunc stola læva eorum circumdata, det eis episcopus Evangelium dicens: 'Accipe potestatem legendi evangelium,' etc."—Hæc igitur traditio, sicut illa stolæ quæ præcesserat, non fit ad *ordinandum diaconum*, sed *ad consummandum diaconi Officium*, seu ad *integrale* complementum ordinationis, quod magis diserte explicat potestatem jam collatam per impositionem manus ab episcopo.

Et hic in ejusdem rei confirmationem afferendum est egregium testimonium a Magistro Durando de Sancto Portiano nobis relictum. In Commentariis "super Sententias theologicas Petri Lombardi," lib. 4. dist. 24. q. 3., scribit: "Traditio libri *non observatur in omni Ecclesia*, nec antiquitus forsitan observabatur in aliqua Ecclesia: unde secundum Ordinarium antiquissimum Ecclesiæ Anicensis, cui præfuimus, liber Evangeliorum non tradebatur diacono in ordinatione sua: *sed nos, volentes nos conformare ceteris Ecclesiis, posuimus de manu nostra in margine dicti Ordinarii, quod liber Evangeliorum tradatur diacono cum consueta forma verborum.*"

4.—*Ex ordinationibus Græcorum et ex praxi Romanæ Ecclesiæ* aliud argumentum ad thesim, quam defendimus, demonstrandam exurgit. Etenim Ecclesia Græca in ordinationibus ad hierarchicos Ordines conferendos, aliam neque adhibuit, neque adhibet materiam præter manuum impositionem, cui conjungitur Oratio tamquam forma, uti legere est in Græcorum Euchologio, et ut scriptores qui de Græcorum ordinationibus scripserunt aperte testantur:—Romana tamen Ecclesia ejusmodi Ordinationes numquam irritas habuit, aut aliquatenus improbavit; immo de earum validitate non solum nihil dubitatum fuit in Conciliis Lugdunensi et Florentino, sed nihil præterea dubitaverunt Romani Pontifices illis Conciliis posteriores, qui schismaticorum Græcorum Episcopos, presbyteros ac diaconos ad catholicam unitatem admiserunt cum ordinibus, quibus in suo schismate secundum Græcum ritum insigniti fuerant.

Ut hoc præsertim argumentum, quo se premi sentiunt, declinent, doctores in præsenti controversia nobis adversi confugiunt ad determinationem factam ab Ecclesia materiæ et formæ in ultima specie pro

sacramento Ordinis, et aiunt:—revera Græcos conferre valide ordines hierarchicos per solam manuum impositionem; immo etiam Latinos olim per hanc unicam materiam cum oratione ei correspondente ut forma, eosdem ordines contulisse; sed nunc Ecclesiam, confirmando pro Græcis antiquam formam et materiam, pro Latinis novam fecisse determinationem materiæ ac formæ essentialis, ita ut ad essentiam ordinationis hierarchicæ apud eos jam amplius non sufficiat signum antiquitus adhibitum et validum apud Græcos, sed præterea cum impositione manus requiratur traditio instrumentorum pro presbyteratu, et traditio libri Evangeliorum pro diaconatu. Assertum confirmant auctoritate Concilii Florentini, nam in Decreto ejusdem Concilii pro Armenis legitur:—"Sextum sacramentum est ordinis, cujus *materia* est illud, *per cujus traditionem confertur ordo;* sicut presbyteratus traditur *per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem.* Diaconatus vero *per libri Evangeliorum dationem. . . . . Forma* sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*"

Sed effugium quod adversarii nostri invenisse putant in *potestate a Christo relicta Ecclesiæ pro determinatione materiæ et formæ sacramentorum in ultima specie;* et argumentum eorumdem adversariorum nostrorum præcipuum, ne dicam unicum, *ex verbis Concilii Florentini* mox citatis desumptum, prodesse sententiæ nobis adversæ nullatenus possunt.

a) Primo quippe non probatur Christum hanc potestatem Ecclesiæ suæ fecisse, determinandi nempe in ultima specie materiam et formam sacramentorum, et signum sacramentale ab Apostolis adhibitum et traditum immutandi.—Quin potius contrarium esse tenendum ostendimus in Tractatu *de Sacramentis in Genere,* parte 2. art. 4.; ubi inter cetera argumenta illud primo loco adduximus, quod videtur omnino ineluctabile, nimirum, relictam solum fuisse a Christo Ecclesiæ, ut expresse docet Concilium Tridentinum, sess. 21. cap. 2., potestatem statuendi atque mutandi *quæ sacramentorum dispensationem, salva illorum substantia, respiciunt;* determinationem vero in specie, aut mutationem materiæ et formæ cujusdam sacramenti, non ad ritum et ad administrationem ejus, sed ad substantiam pertinere.—"Tota Ecclesia," aiebat Cardinalis Toleto (in 3. part. quæstione 64. articulo 2.), "quæ non

minorem auctoritatem habet, quam Apostoli, *non potest mutare formam vel materiam alicujus sacramenti, ut indubitata res est.*" Et ante ipsum, Angelicus Doctor (3. part. quæstione 60. articulo 5. ad 1.): "Deus est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam *debet esse divina institutione determinatum quæ res ad significandum assumantur in hoc vel illo sacramento.*" Quare idem S. Doctor in eadem responsione dixerat: "Etsi idem potest per diversa signa significari [en qualis esset determinatio *in genere*] determinare tamen *quo signo sit utendum* [en determinatio *in specie*] pertinet ad significantem."

b) Præterea, data Ecclesiæ facultate de qua est sermo, gratis omnino asseritur ab adversariis nostris, Ecclesiam ea usam fuisse, et statuisse, tamquam materiam necessariam pro validitate ordinationis episcopalis, impositionem libri Evangeliorum super ordinandi cervicem et scapulas; pro validitate ordinationis presbyteri, traditionem instrumentorum; et pro valida ordinatione diaconi, traditionem libri Evangeliorum:—nequeunt enim adversarii dicere ubi et quando, in quo Concilio vel a quo Pontifice, et multo minus qua de causa, vel qua saltem occasione, ejusmodi mutatio facta fuerit.

c) Nec reponant, Decretum Concilii Florentini aperte ostendere mutationem saltem tunc fuisse factam quoad materiam necessariam sacramenti Ordinis pro Latinis, cum nonnisi *traditio instrumentorum* dicatur in illo Decreto *materia presbyteratus*, et *traditio libri Evangeliorum materia diaconatus.*

Respondemus—1. Decretum Concilii Florentini, editum *pro Armenis*, profecto noluit mutare *pro Latinis* materiam et formam ordinationum ad conferendos ordines hierarchicos.—2. Noluit novam legem condere, et mutare materiam et formam ordinum *pro Latinis*, quando nonnisi *instructionem practicam* tradebat Armenis, ut *in omnibus* se conformarent *ritibus servatis apud Latinos.*—3. Noluit sane rem tanti momenti præscribere, quanti est materia essentialis in collatione ordinum hierarchicorum, et legem statuere *pro Latinis* qua non amplius valerent ordinationes juxta antiquum ritum essentialem per quindecim sæcula in Ecclesia peractæ, quin *apertissimis verbis* immutationem factam indica-

ret, et novam legem impositam promulgaret.—4. Noluit demum mutationem illam facere, quam in Concilii Decreto adversarii nostri legere putant, quia secus, contra id quod iidem adversarii tenent, affirmari deberet *solam materiam essentialem* pro presbyteratu esse *traditionem instrumentorum*, et pro diaconatu *solam traditionem libri Evangeliorum; hos enim tantum ritus, tamquam materiam*, Concilium Florentinum in Decreto suo pro Armenis commemoravit.

Itaque dicendum est Florentinam Synodum, in hoc Decreto, *non de essentiali* sed *de integrali materia* ordinationis fuisse locutam, quia *hanc materiam præscribere* voluit Armenis, ut Latinæ Ecclesiæ ritibus omnibus se conformarent.—Huc faciunt verba, quibus Decretum pro Armenis clauditur (Labbe, t. 13. p. 539.): "His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores, nomine suo et sui Patriarchæ et omnium Armenorum, hoc saluberrimum Synodale Decretum *cum omnibus* suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, *præceptis* et *statutis* . . . cum omni devotione et obedientia acceptant, suscipiunt et amplectuntur."

5.—*Ex Conciliis Coloniensi I. et Moguntino*, interpretatio mox data verbis Concilii Florentini, et ipsa thesis quam defendimus, confirmantur. —Etenim Concilium Coloniense I. anno 1536. celebratum, dicit (p. 1. c. 1. collect. Conc. Harduini, t. 10. p. 1973.):—"*Impositio manuum est ostium, per quod intrant qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur.* Proinde quia ejuscemodi ostium diligenter custoditum non est, factum est, ut tanta mala quæ sentimus, agminatim in Ecclesiam Dei irruperint. Hujus januæ vigilantissimi custodes fuerunt Apostoli Christi, et quotquot ipsis successerunt apostolici episcopi. In primis vero divinissimus Paulus, qui dilectissimis discipulis Timotheo ac Tito ejusmodi custodiæ formulam ex professo præscribit. . . Quibus exemplis edocemur, quanta cura ac delectu *manus impositionem fieri oporteat*."—Et in cap. 3. idem Concilium prosequitur: "Quamobrem omnibus, qui præficiendi ecclesiasticis muniis ministros potestatem habent, illa (quam paulo ante retulimus) Paulina admonitio semper ob oculos versabitur: 'Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis!' Si enim ad honores mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire . . . quam diligens, et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, et cœlestium dignitatum."—Et in cap. 10.:

"Electione facta, nos . . . . . . officio nostro, Deo volente, non deerimus, discussuri scilicet diligenter et formam electionis, et electi merita, priusquam *nostras imponamus manus.*"

Concilium vero Moguntinum, an. 1549. celebratum, hæc de ordinationibus habet (cap. 35.—Collect. Hard. t. 10. p. 2120.) : "In collatione ordinum, *quæ cum impositione manuum velut visibili signo traditur,* doceant rite ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad ecclesiastica munera rite et utiliter exercenda apti et idonei efficiantur."

6.—Demum *ex Concilio Tridentino* duplex pro nobis argumentum efficacissimum desumitur. Nam in sessione 14. capite 3., de Extrema Unctione, Concilium agens de ministro hujus sacramenti, et docens illum esse vel episcopum, vel presbyterum, declarat presbyterum, seu sacerdotem, qui possit sacramentum Extremæ Unctionis ministrare eum esse qui *rite* in Ecclesia *ordinatus fuerit;*—ut autem indicet qua ratione *rite presbyter ordinetur* et potestatem ordinis acquirat, addit eum *rite* ordinari *per impositionem manus presbyterii,* seu per illam impositionem manus quæ fit ab episcopo cum presbyteris assistentibus.—Ergo Concilium Tridentinum docet hanc *manus impositionem,* tamquam *solam materiam ordinationis essentialem,* sufficere ad ordinandos, in Ecclesia etiam Latina, presbyteros, seu ad conferendum ordinem presbyteratus.—Hæc sunt verba Concilii Tridentini (sess. 14. c. 3. de Extr. Unct.) : "Quod attinet ad præscriptionem eorum qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis [Jacob. v.] traditum; nam et ostenditur illic proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut *sacerdotes ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum presbyterii.*"

Præterea idem Concilium Tridentinum, sessionis 23. de sacramento ordinis, capite 2., statuit: "Non solum *de sacerdotibus, sed et de diaconis* Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; et *quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent.*"—Sed Sacræ Litteræ, ut fatentur omnes, *in sacerdotum et diaconorum ordinatione impositionis manuum et orationis mentionem solummodo faciunt.*—Ergo in sacerdotum et diaconorum ordinationibus, hæc tantum, juxta Conc. Trid. declarationem, *maxime* attendenda sunt; seu, quod idem est, impositio

manus et oratio huic impositioni manus conjuncta, tamquam *essentialia* attendenda sunt—id enim denotat verbum "*maxime*" adhibitum a Concilio;—cetera vero tamquam ad accidentalem integritatem, et ad clariorem acceptæ per ordinationem potestatis significationem, præscripta esse et requisita.—Et inde est quod Tridentini Patres in capite 3. ejusdem sessionis, ad probandum ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis, et in ejus collatione gratiam per sensibile signum cum verbis correspondentibus conferri, afferunt testimonium Pauli: "Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis."

Paucis verbis expediam ea quæ spectant materiam et formam subdiaconatus et quatuor minorum ordinum.—Traditionem enim instrumentorum cum correspondentibus verbis constituere materiam et formam horum Ordinum deducitur

1. Ex Concilio Carthaginensi IV. an. 398., quod citavimus, p. 26. Nam ibi pro ordinatione subdiaconi legitur, can. 5. "Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile et manutergium."—Et pro ordinibus minoribus singillatim traditio sola eorum quæ, ad executionem ordinis pertinent, indicatur cum verbis correspondentibus.

2. Ex eo quod eadem legantur in libro Sacramentorum S. Gregorii Magni, et in codicibus antiquissimis Remensi, Rodradi, Ratoldi, etc.

3. Et hæc etiam, a latinis scriptoribus rerum ecclesiasticarum, S. Isidoro Hispalensi, Amalario, Rabano Mauro, Hugone a S. Victore, aliisque, commemorata, in moderno Pontificali Romano eodem modo præscribuntur.

4. Ex ipso Græcorum Euchologio, nam in eo pro subdiaconi ordinatione legitur, statim post orationem, "mantile acceptum, sinistro ordinati humero imponit Pontifex; unaque pollubrum cum vase illi tradit." — Et pro ordinatione lectoris, legitur post Orationem, "Codex apostolicus lectori traditur, qui modicum quid perlegens pacem a Pontifice accipit."

Difficultates contra eam partem thesis quæ spectat ordines hierar-

chicos, seu episcopatum, presbyteratum et diaconatum jam ex parte solvimus.—Eas quæ supersunt, et explanatione indigent, hic subjungimus cum appositis responsionibus.

1. Concilium Tridentinum, sess. 23. can. 4., ait, episcopos non frustra in ordinatione dicere: "Accipe Spiritum Sanctum."—Ergo supponit per hæc ipsa verba conferri Spiritum Sanctum, seu gratiam sanctificantem, ideoque ea verba formam esse in ordinatione presbyteri saltem partialem, cui, tamquam materia partialis, respondeat *impositio manuum tertia,* quæ ab episcopo fit post communionem.

Resp. *N. Conseq.*—Etenim Concilium definire tantum voluit, contra Novatores, *per sacram ordinationem,* in qua illa verba sunt prolata, *dari Spiritum Sanctum;* sed noluit dicere *per illa verba,* quæ ab episcopo pronuntiantur: *"Accipe Spiritum Sanctum," conferri gratiam Spiritus Sancti.*—Duo hæc maxime distincta sunt, nempe non frustra ab episcopo dici: *"Accipe Spiritum Sanctum;"* et per hæc ipsa verba dari Spiritum Sanctum:—prius verum est, et definitum a Concilio, quia revera in ordinatione sacra datur Spiritus Sanctus; at non ideo datur præcise *vi illorum verborum.*

2.—Gregorius IX. (lib. 1. Decret. t. 16. de sacr. non iter. c. 3.) ait: "Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt: quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum."—Et Innocentius III. (eod. tit. capit. 1.) inquit: "Nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem diaconatus assumptus. . . . . . Ad quod breviter duximus respondendum quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum."—Ergo impositio manus est ceremonia accidentalis.

Resp. *N. Conseq.*—Etenim cum Gregorius IX. dicit impositionem manus esse ritum ab Apostolis introductum, non significat eos auctoritate propria, et ut meram ceremoniam accidentalem, illum ritum instituisse; sed affirmat eum ritum a Christo Domino institutum, Apostolos primum usurpasse ad ordines hierarchicos conferendos.

Quod autem uterque Pontifex dicat *impositionem manus non esse iterandam,* id non indicat eam esse ritum ordinationis accidentalem; sed

potius ostendit eam esse omnino necessariam, immo unice necessariam cum forma correspondenti, ad validam ordinationem sacerdotis aut diaconi. Et sane uterque Pontifex ideo statuit *illum ritum esse caute supplendum,* qui prius omissus fuerat, quia sacerdotis aut diaconi ordinatio sine illo valere non poterat: cetera vero, quæ prius adhibita fuerant, ideo dixit *non esse iteranda* quia, accidentalia cum essent, omitti poterant. Sicut in celebratione matrimonii, si consensus defecit, qui prorsus necessarius est ad matrimonii validitatem, suppleri utique debet, sed accidentales ritus non sunt iterandi, immo nec necessario requiritur parochi ac testium præsentia cum consensus contrahentium exprimitur;—ita Gregorius IX. et Innocentius III. statuerunt impositionem manus esse faciendam, aliaque præter eam, utpote accidentalia, non esse iteranda.

Nec difficultatem facessere potest illud quod in Decretis horum Pontificum *impositio manus* non dicatur *iteranda,* sed *supplenda*:—nam non iteratur sed efficitur id quod prius nullum fuit; ac proinde impositio manus, quæ prius in aliis ceremoniis ordinationis prætermissa fuerat, *iterari* non debebat, immo non poterat; et ipsa ordinatio, quia nulla fuerat, ob defectum illius ritus essentialis, non *iteranda* erat, sed de novo *conferenda.* Innocentius III. hanc animadversionem in aliis Decretalibus suis inculcavit, etiam cum dubium esset tantum circa validitatem actus præcedentis; Olomucensi enim episcopo scribit, Epistola data 12. Kal. Feb. an. 1204., "non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur," et id repetit, iisdem verbis, in Epist. Tranensi archiepiscopo, apostolicæ Sedis Legato, missa nonis Julii 1205.; necnon in aliis epistolis.

Intelligentiam vero Decreti Innocentii III., juxta sensum a nobis declaratum, confirmat

a)—Ipse Innocentius, qui, ut in demonstratione thesis ostendimus, apertissime docuit sacerdotium et diaconatum conferri *per manus impositionem,* et traditionem instrumentorum adhibitam fuisse ad clarius significandam potestatem, quæ *per impositionem manus data fuerat.*

b)—Confirmant et verba ejusdem Decreti, in quo legitur quæsitum etiam fuisse: "Si confirmationis sacramentum in eo *debeat iterari* qui per errorem fuit non chrismate sed oleo delinitus:"—et conjunctim huic quæstioni ac præcedenti, de eo qui ad ordinem diaconatus sine impositione manus assumptus fuerat, Pontifex respondisse: "*in talibus*

non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat prætermissum."—Porro unctio cum *chrismate* in sacramento confirmationis non est ritus accidentalis; nam *chrisma* et non simplex oleum esse materiam remotam confirmationis communior et probabilior sententia tenet, et ipse Innocentius III. distinguendo ab oleo chrisma, dixit (de sacra Unct. lib. 1. Decret. tit. 15. cap. 1.), hoc esse ex *oleo et balsamo mystica ratione* confectum. Quamobrem ideo statuit *chrismate* esse inungendum qui ad sacramentum confirmationis suscipiendum fuerat *oleo* delinitum, nec aliquid esse *iterandum;* quia, cum fuerit adhibita prius materia *saltem dubia* Confirmationis, hæc dici non poterat *iterata*, quando *adhibito* postea *chrismate*, seu *certa materia*, conferebatur.—Eadem ergo, immo potiori, ratione dicit nihil esse iterandum, si impositio manus in ordinatione diaconi omissa fuerit, quia ordinatio fuit *nulla;* et statuit hanc impositionem *supplendam* esse ad diaconatus ordinem conferendum.

3.—Pontificale Romanum hodiernum eos qui impositionem manuum suscepere, tam diaconos quam presbyteros, *ordinandos* vocat; eosque *ordinatos* appellat cum librum Evangeliorum, si agatur de ordinatione diaconi, aut calicem cum vino et patenam cum hostia, si de ordinatione presbyteri sermo sit, acceperint.—Ergo in manus impositione constitui non debet sola materia necessaria ordinationis.

Resp. *N. Conseq.*—Etenim etiamsi facta fuerit impositio manuum, quæ sola essentialiter requiritur ad conferendos ordines hierarchicos, ante traditionem libri Evangeliorum pro diacono, et instrumentorum porrectionem pro presbytero, non immerito diaconi et presbyteri *ordinandi* vocari adhuc possunt; cum porrectio tum libri Evangeliorum, tum instrumentorum, necessaria sit ex præscripto Ecclesiæ ad integralem perfectionem ordinationis, nec simpliciter et absolute possit quis ordinatus dici, nisi postquam ritus ab Ecclesia in ordinatione præscripti perfecti fuerint.—Præterea *ex definitione* Ecclesiæ non adhuc constat sola manuum impositione ordinationem essentialiter esse perfectam.

4.—Impositio manus non est ordinationi propria, cum adhibeatur etiam in sacramento confirmationis; videtur ergo non esse materia necessaria ordinationis.

Resp. In sacramento confirmationis impositio manus, ut materia sacramenti, non adhibetur sola, sed ad ungendum cum chrismate; ac

proinde manus impositio, absque alio signo materiali, propria et peculiaris est hierarchicis ordinationibus.—Ceterum, in sacramento Extremæ Unctionis materia est oleum, quod est, saltem cum balsamo mixtum, materia necessaria pro confirmatione.

SCHOLION 1.—S. Thomas in 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 3. (Suppl. q. 37. a. 5.) docuit *per impositionem manuum* dari *gratiam* in ordinatione sacerdotum et diaconorum ; ac proinde in collatione horum ordinum, signum sacramentale essentialiter constitui impositione manuum, ut materia, et verbis ei respondentibus, ut forma ;—signum enim sacramentale est illud *per quod* gratia sanctificans confertur.—Sed præterea, Angelicus Doctor tenuit, *characterem* sacerdotis imprimi in traditione instrumentorum, et *characterem* diaconi in traditione libri Evangeliorum.

Hæc sunt ejus verba : "Episcopus in collatione ordinum duo facit : præparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem, et ordinis potestatem tradit. Præparat quidem . . . . . . aliquid circa eos operando, ut *idonei* sint ad potestatem accipiendam. . . . Sed *per manus impositionem datur plenitudo gratiæ*, per quam ad magna officia sint *idonei*. Et ideo *solis diaconis et sacerdotibus* fit manus impositio, quia eis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni sicut principali, et alteri sicut ministro . . . . Sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata, *character sacerdotalis* imprimitur."—Et ibid. ad 5. : "Ejus [diaconi] potestas ad actum principalem non potuit exprimi nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiæ ; sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium tantum, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum, et in hac potestate intelligitur alia ; et ideo in ipsa libri datione imprimitur *character*."

Hic autem abs re non erit adnotasse verba Sancti Thomæ legi in Commentariis ab eo conscriptis super dist. 24. libri 4. Magistri Sententiarum, qui *de presbyteris* ibidem tradit : "Qui cum ordinantur, inunguntur eis manus [post impositionem manus a Pontifice], ut intelligant *se accepisse* gratiam consecrandi, et caritatis opera debere extendere ad omnes : accipiunt et stolam, quæ utrumque tenet latus, quia debent esse muniti armis justitiæ contra adversa et prospera. Accipiunt etiam

calicem cum vino et patenam cum hostiis, ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi." Et de diaconis ait: "Hi cum ordinantur, solus episcopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, idest stolam, super lævum humerum [postquam super eos manum imposuerit], ut per hoc intelligant *se accepisse* jugum Domini suave, quo ad sinistra pertinentia divino timori subjiciant. Accipiunt et *textum Evangelii* [post acceptam stolam] ut intelligant *se esse* præcones Evangelii Christi."

Scholion 2.—*Ad praxim quod attinet,* S. Alphonsus de Liguori (Theol. Mor. lib. 6. tract. 5. nn. 748. et 749.) hæc habet, diligenter attendenda: "Quær. 2. Quænam sit materia et forma *diaconatus?—Prima* sententia dicit esse solam *traditionem libri Evangeliorum. . . . . Secunda* vero sententia dicit, esse solam *impositionem manuum. . . . . Tertia* vero sententia dicit *utramque* (nempe *traditionem libri et impositionem manuum*) esse materiam essentialem. . . . His positis, dico, primam sententiam esse probabilem, *secundam probabiliorem, tertiam* adhuc *probabilem, et ideo omnino in praxi sequendam, utpote spectantem ad valorem sacramenti.*—Quær. 3. Quænam sit materia et forma presbyteratus? Adsunt pariter tres sententiæ. . . . . *Tertia* vero *probabilior* sententia . . . . dicit, tradi utramque potestatem sacerdoti sacrificandi et absolvendi *per solam secundam manuum impositionem.* Dicitur *secundam,* nam in ordinatione presbyteratus episcopus ter manus imponit. . . . Dicunt igitur, utramque potestatem tradi, non in *prima* (ut certum est apud omnes), neque in *tertia* [quando, post communionem, episcopus imponendo manus dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*], nam tertia jam supponit consecratos sacerdotes, dum ipsi cum episcopo jam consecrant Eucharistiam; sed in *secunda, quando episcopus extendit manus cum presbyteris. . .* Dixi autem *speculative loquendo,* hanc sententiam esse probabiliorem; nam cum *secunda* sententia [quæ tenet duplicem materiam essentialem esse, nempe traditionem instrumentorum, et *tertiam* impositionem manuum] sit etiam *probabilis, hæc in praxi* omnino sequenda est. Quapropter bene advertit Croix, num. 1245. quod ordinatio facta sine *secunda manuum impositione,* tota repetenda sit, ut etiam declaravit S. C. apud Bened. XIV. l. c. n. 13. Ratio, quia qui non accepit potestatem supra corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem super corpus Christi

mysticum. Si vero ordinatio facta fuerit sine *tertia manuum impositione*, hæc tantum supplenda est."

Deinde S. Doctor "posita sententia *in praxi* tenenda, quod traditio instrumentorum sit etiam materia essentialis hujus sacramenti," nempe presbyteratus, quærit,

1.—An de necessitate sacramenti sit ut una cum calice et patena tradatur utraque species, panis scilicet et vini? *Probabilius*, ait, doctores affirmant, et hæc sententia in *praxi* sequenda est.

2.—An valide ordinaretur qui tangeret hostiam, sed non patenam? *Affirmant* doctores *communiter*, et hanc sententiam, S. Alphonsus dicit videri *probabilissimam* et *fere certam;* attamen addit consultum esse, et merito, juxta Croix, "ut talis ordinatio repetatur sub conditione."

3.—An valide ordinetur sacerdos qui tantum calicem et patenam tangit, non autem hostiam? S. Alphonsus inquit "sententiam *communiorem* et *veriorem* id affirmare;" immo docet hanc sententiam, tum ob rationes quibus fulcitur, tum ob communem doctorum consensum, bene dici posse *moraliter certam.* "Ceterum," prosequitur, "recte animadvertunt Salmant. curandum esse ordinando, tam calicem quam patenam et hostiam (quo melius) contingere, ut ab omni scrupulo se eximat."

4.—Demum, S. Alphonsus quærit, an valide ordinetur qui solum calicem immediate tangat, sed non patenam? Et respondet, *probabiliorem* esse sententiam, quæ dicit eum esse valide ordinatum; aliam vero sententiam, quæ hoc negat, *non esse improbabilem;* quapropter in praxi hanc esse tenendam;—et ideo "sub conditione talem clericum esse reordinandum."

ARTICULUS OCTAVUS

De ministro sacramenti ordinis.

Totius sacræ ordinationis, quæ nempe ordines complectatur sive majores sive minores, ministrum *ordinarium* esse episcopum, catholici *fide* tenent:—utrum vero consecratio episcopi peracta ab uno tantum episcopo, non modo ex præcepto ecclesiastico illicita sit, quod concedunt omnes, sed prorsus irrita, disputatur.

Quod ad ministrum ordinationis *extraordinarium* spectat, inter theo-

logos modernos convenit posse Romanum Pontificem delegare presbyterum ad conferendos minores ordines et subdiaconatum; nullatenus vero ad ordinationem presbyteri perficiendam. Demum, ad diaconatum quod attinet, hunc, ex Summi Pontificis delegatione, a presbytero conferri posse, nonnulli cum Vasquesio et Berti affirmant adversus multos qui contrariam et inter theologos communiorem sententiam tenent.

Itaque sit

THESIS VIII.

Sacramenti ordinis minister ordinarius est solus episcopus; ad consecrandum vero episcopum tres episcopi, ex præcepto saltem ecclesiastico, requiruntur; licet solus unus, accedente Pontificia dispensatione, immo et absque illa, ad validitatem ordinationis episcopalis, sufficere videatur.—Presbyter autem, quamvis a Summo Pontifice delegari non possit ad presbyteratum conferendum, certo tamen potest ad dandos minores ordines et subdiaconatum; nec absolute negandum esse videtur eum delegari etiam posse ad conferendum ordinem diaconatus.

Prima pars thesis statuit episcopum esse solum ministrum ordinarium sacramenti ordinis, seu habere solum vi ordinationis suæ, divino jure, completam potestatem ad *valide* ordines ecclesiasticos conferendos.

Prob. 1.—*Ex Scripturis*, quæ non aliis quam Apostolis, eorumque successoribus episcopis, jus et auctoritatem conferunt ministros Ecclesiæ ordinandi. Etenim, Act. VI. 6., Apostoli septem primos diaconos, a multitudine fidelium electos, per manuum impositionem et orationem ordinant. Et XIV. 22., Paulus et Barnabas per singulas Ecclesias presbyteros constituunt. Apost., II. ad Tim. I. 6., testatur Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum. Et idem Apostolus I. ad Tim. 3. et 5. et ad Titum I., declarat Timotheo atque Tito, tamquam episcopis, quosnam episcopos vel presbyteros ordinare debeant.

2.—*Ex doctrina Patrum*, quorum apertissima testimonia, in thesi 2., cum ageretur de excellentia episcoporum super presbyteros, commemoravimus.

3.—*Ex Conciliis* generalibus Florentino et Tridentino, quorum primum de ordine ait, in Decreto Unionis: "Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus." Alterum, sess. 23. can. 7., definit: "Si quis

dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit."

4.—*Ex ratione convenientiæ* :—episcopi namque sunt a Christo instituti principes Ecclesiæ ;—ergo conveniens fuit munus ordinandi ministros Ecclesiæ pertinere, saltem de jure ordinario, ad solos episcopos; sicut solus princeps secularis ordinarie ad ministeria publica exercenda, selectos cives ordinat, seu constituit.

Secunda pars thesis spectat consecrationem episcopi, et declarat eam, juxta legem ecclesiasticam, a tribus episcopis esse perficiendam.—Hoc in Pontificali Romano præscribitur, et semper a primis Ecclesiæ sæculis decretum fuit. Citemus Conciliorum antiquiorum Decreta quædam ad exemplum.—Concilium Arelatense I. anno 314. can. 20.: "De his," inquit, "qui usurpant sibi quod soli debeant episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem episcopis: si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare."—Concilium Nicænum generale I. anno 325. can. 4.: "Episcopum," ait, "convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in Provincia episcopis ordinari. Si autem difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem ; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et absentibus quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur episcopo."—Concilium Antiochenum anno 341. can. 19., et Sardicense anno 347. can. 5., optant cum Nicænis Patribus, ut omnes Provinciæ Antistites intersint ordinationi comprovincialis sui.—Concilium Carthaginense II. an. 397. can. 12., tres episcopos exigit "qui cum primatis præcepto episcopum ordinent."

Tertia pars thesis dicit validam esse consecrationem episcopi ab uno tantum episcopo factam cum dispensatione Summi Pontificis.

Prob. 1. *Ex celebri responsione S. Gregorii Magni.*—Etenim a S. Augustino Anglorum episcopo interrogatus fuerat his verbis: "Peto si longinquitas itineris magna interjacet, ut episcopi facile non possint convenire, an debet, sine aliorum episcoporum præsentia, episcopus ordinari." Et respondet (l. 11. Ep. 64. ad Augustinum Angl. episc.):

"Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum *non aliter nisi sine episcopis potes.*"

Nec audiendi sunt qui cum Tournelio contendunt textum citatum ita esse legendum ut contrarium prorsus reddat sensum, nimirum: "Et quidem in Anglorum Ecclesia . . . . ordinare episcopum *non aliter nisi cum episcopis potes.*"—Lectionem textus, quam dedimus, exhibent antiquæ editiones, Veneta 1504., Paris. 1508. et 1518., et recentiores; confirmant melioris notæ manuscripti codices, et Ven. Beda, a quo primum hanc Epistolam accepimus.—Vide in hunc textum adnotat. in edit. Migne, P. L. tom. 77. p. 1191.

Præterea contextus epistolæ exigit lectionem quam defendimus. Nam si Pontifex significare Augustino voluisset eum non posse nisi *cum episcopis* alios episcopos ordinare, hæc profecto verba non præmisisset: "Et quidem in Anglorum Ecclesia . . . *adhuc solus tu episcopus* inveniris."—Et verba quæ subsequuntur sine dubio ostendunt concursum trium saltem episcoporum in ordinatione episcopi esse præceptum, sed non absolute necessarium ad ordinationis validitatem.—"Sed fraternitatem tuam," inquit, "ita volumus in Anglia episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi longo intervallo minime disjungantur, quatenus nulla sit necessitas ut in ordinatione alicujus episcopi convenire non possint. Pastorum quoque aliquorum præsentia valde est *utilis,* ut facillime debeant convenire. Cum igitur, Deo auctore, ita fuerint episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus, *ut sapienter et mature disponantur,* exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præcesserunt in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur non ergo et in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum mysterium homo Deo conjungitur, tales conveniant qui vel in profectu ordinati episcopi gaudeant, vel pro ejus custodia omnipotenti Domino preces pariter fundant?"

2. *Ex aliis concessionibus Pontificiis.*—Ait enim Billuart (de sacram. Ord. dissert. 4. a. 3.): "Henriques t. 4. c. 20. refert Gregorium XIII. concessisse Patriarchæ Æthiopiæ, Jesuitæ, ut solus consecraret episcopos. Herinx, referente Henno, testatur se vidisse duo indulta Innocentii X., quorum uno concedebat ut Jacobus de la Torre consecraretur

Archiepiscopus Ephesinus a solo Episcopo Neritensi, qui fuit postea Alexander VII., modo assisterent duo in ecclesiastica dignitate constituti; et altero, permittebat Suffraganeo Leodiensi consecrari in episcopum Dionyensem a quolibet Antistite catholico, modo concurrerent duo Abbates mitrati. Alexander VII., anno 1663., teste Andræa a Matre Dei, concessit Josepho a S. Maria Carmelitæ Discalceato episcopo Hierapolitano, ut solus cum duobus presbyteris consecraret episcopum, in regno Malabar, Alexandrum de Compo. Innocentius X., teste Gavardi, t. 6. p. 626., concessit Godefrido duci Franciæ Orientalis, ut ab uno episcopo, cum assistentia duorum Abbatum, ordinaretur episcopus." —Quæ facta cum retulerit, Billuart merito addit: "Hæc autem omnia negare morosi foret ac pervicacis animi."—Sed et insuper Sardagna apertissime testatur (de Sacr. Ordin. art. 6. num. 428.): "Certum est, Romanos Pontifices sæpius dispensasse atque etiamnum dispensare, non modo in remotis Indiarum regnis, sed etiam in nostris regionibus, præcipue in Germania, quæ ob diœcesium amplitudinem paucos respective numerat episcopos, ut electus consecrari queat ab uno tantum episcopo, assistentibus illi duobus aliis in dignitate ecclesiastica constitutis, e. g., duobus Abbatibus."

Quarta pars thesis declarat ordinationem episcopi validam esse, ut videtur, etiamsi facta fuerit ab uno episcopo absque prævia Romani Pontificis dispensatione.

Et quidem hanc conclusionem nonnulli ex hoc ipso inferunt quod Pontifex concedat unum episcopum sufficere posse ad ordinationem episcopi perficiendam; nam, aiunt, Pontifex id concedere non posset, si ex jure divino ad validitatem ordinationis episcopalis plures episcopi requirerentur.—Verum hæc illatio, ut Billuart, loco mox citato, animadvertit, non est legitima. Potuit enim Christus instituere ut tres episcopi essent ministri ordinarii consecrationis episcopalis, et quod unus ex commissione Pontificis esset minister extraordinarius, sicut dicitur de ministro confirmationis et ordinis; in quo casu Pontifex non dispensaret in jure divino, sed secundum jus divinum ageret.

Alia ratione igitur ostendimus, ut probabilius, plures episcopos, etiam seclusa dispensatione Pontificia, jure divino non requiri ad validam unius episcopi consecrationem.—Quodque demonstramus:

1. *Ex nuper citata responsione S. Gregorii Magni*, in qua concursus plurium episcoporum dicitur *utilis* et *ex præcepto*, non *necessarius*.

2. *Ex canone 2. Concilii Carthaginensis IV.*, in quo statuitur episcopos adstantes manibus tangere ordinandum, sed unum solum super eum fundere *benedictionem*, seu *ordinationis formam*, ac proinde unum perficere essentialem ordinationis ritum.—"Episcopus cum ordinatur," ait Concilium, "duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput et cervicem ejus, et *uno super eum fundente benedictionem*, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant."

3. *Ex Pontificali Romano.* In eo enim unus tantum episcopus dicitur *consecrator*, alii assistentes.—"Nemo consecrari debet," præcipit, "nisi prius constet *consecratori* de commissione consecrandi, sive per litteras apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivæ vocis oraculo, a Summo Pontifice *consecratori* factam, si *consecrator* ipse sit cardinalis. . . . . . Adsint duo ad minus episcopi *assistentes*."—Præterea, in eodem Pontificali legimus unum ex duobus episcopis *assistentibus* postulare *a consecratore* ordinationem electi in episcopum.—"Senior *assistentium* versus ad *consecratorem* dicit: 'Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica ut hunc præsentem presbyterum ad onus episcopatus *sublevetis*.' "—Demum, licet consecrator et assistentes episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangant dicentes: "Accipe Spiritum Sanctum," *solus* tamen *consecrator* precem fundit: "Propitiare Domine" etc.

4. *Ex ratione theologica.*—Etenim unus episcopus habet plenam potestatem ordinis, quæ ex aliorum præsentia non augetur. Ergo episcopus, qui consecrationem episcopi ex potestate ordinis perficit, eam solus *valide* perficere potest, sicut posset duobus episcopis ordinationi simul assistentibus.

5. *Ex paritate.*— In aliis sacramentis unus minister sufficit; cur igitur plures ministri sacramenti ordinis ordinare necessario deberent episcopum, ita ut sine concursu eorum nulla esset consecratio? Nec recurras ad voluntatem Christi ita instituentis: de hac enim voluntate disputatio est, quæ non demonstratur a defensoribus sententiæ adversæ.

6. *Ex factis.*—Inter plurima, sufficiat nobis citasse duo exempla ordinationis peractæ ab uno tantum episcopo, sine prævia dispensatione, et ab Ecclesia non rejectæ tamquam invalidæ.

Primum exemplum sit illud a Synesio Ptolemaidis episcopo relatum in Epistola sua 67., missa Theophilo Alexandrino.

Agitur de ordinatione Syderii episcopi Palæbiscæ, ab uno facta contra omnia jura ecclesiastica. Audiatur ipse Synesius: "Per id tempus hæresis dominabatur. Nam multitudine superabat; et opportuna admodum erat agendarum rerum calliditas, quæ est administra prudentiæ. Quamobrem unum illum ac solum esse Palæbiscæ creatum episcopum. Sed nec ipsum legitime, imo contra jura omnia, quantum de senioribus accepi: cum neque Alexandriæ sit, nec a tribus hic constitutus, quamvis illinc ordinandi esset facta potestas. Etenim solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse collegam suum episcopum renuntiare. Cyrenensis hic fuit, antiquior, junioris patruus, et ejusdem cum eo nominis: ceteris quidem in rebus ex præscripto christianæ disciplinæ vivens; quod autem ad regendum et parendum attinet, audacior quam legum observantior. Verum enimvero sermonis istius veniam a sacra senis anima postulo. Hunc solum venientem ferunt beatum Syderium creasse, et in throno collocasse. Sed formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est. Ideo magnum illum Athanasium id tempori dedisse; ac non multo post, cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, et magis magisque oporteret accendere, hominem illum majoribus rebus gerendis idoneum eo commigrare jussisse, ut metropolitanam Ecclesiam gubernaret."

Secundum exemplum refertur a Theodoreto.—Nam in lib. 5. Hist. Eccles. cap. 23. dicit Evagrium, IV. sæculo ær. ch., consecratum fuisse a solo Paulino episcopum, eumque, licet contra canones ordinatum, in communione sua retinuisse Occidentales contra Flavianum episcopum Antiochiæ.—Nec præteriri debet, ordinationem ejusdem Evagrii in Synodis Romana, Capuana et Alexandrina semper ut validam fuisse admissam; et S. Innocentium I. Epistola 23. ad Bonifacium, jussisse ordinatos ab Evagrio recipi.

Scio adversæ sententiæ patronos, ut vim adimant argumento ex hac ordinatione desumpto, asserere Theodoretum, Flaviani partibus addictum, falsa narrasse; et contendere Evagrium nonnisi post mortem Paulini ordinatum fuisse; et in hujus rei fidem testimonium afferre Socratis libr. 5. Historiæ Ecclesiæ cap. 15., et Sozomeni Hist. libr. 7. c. 15.—Verum Sozomeni et Socratis verba solum significant Evagrium post Paulini mortem *electum et agnitum* ut episcopum fuisse ab eis qui

Paulino adhæserant et Floriano obedire recusabant, quod et Theodoretus narrat; sed nullo pacto contradicunt eidem Theodoreto asserenti Evagrium *ordinatum* fuisse a solo Paulino. Hæc sunt verba Theodoreti: "Ea res Romanis et Ægyptiis diuturnum adversus Orientales odium peperit: nam nec Paulini morte simultas sublata est. Sed post illum quoque, cum Evagrius illius sedem occupasset, non desierunt cum magno Flaviano inimicitias exercere, quamvis Evagrius contra legem ecclesiasticam provectus fuisset. Solus enim Paulinus illum creaverat, multis simul canonibus violatis. Neque enim morienti permittunt ut suo loco quemquam deligat, et omnes episcopos provinciæ convocari jubent, et absque tribus rursum episcopis episcopum ordinari vetant. Attamen horum illi nihil scire cupientes, et Evagrii communionem amplexi sunt, et imperatoris aures adversus Flavianum concitarunt."

Ceterum, ex eo quod Theodoretus referat ordinationem episcopi ab uno solo episcopo sine prævia Summi Pontificis dispensatione contra canones factam, et eam agnoscat tamquam *validam* et eam ut talem habitam fuisse dicat ab Occidentalibus; deduci optime potest, etiam præscindendo a veritate facti quod narratur, non fuisse tunc temporis in Ecclesia requisitum concursum plurium episcoporum in ordinatione episcopi, tamquam ad valorem actus *omnino* necessarium.

Sequentes partes thesis respiciunt presbyterum, quatenus esse potest minister extraordinarius ordinationis, seu quatenus delegari a Summo Pontifice potest ad quosdam ordines conferendos. In primis ergo *quinta pars thesis*, statuit non posse presbyterum presbyteratus ordinem conferre, ut ministrum extraordinarium, etiam ex delegatione Summi Pontificis:—et hæc communissima theologorum sententia adversus paucos antiquiores probatur,

1. Quia ex una parte Scriptura, et Traditio nullum alium hujus ordinis ministrum indicant præter episcopum; et ex altera parte nec unicum exemplum extat, quo ostendi possit facultatem conferendi hunc ordinem fuisse delegatam presbytero; quod est maximum argumentum, Ecclesiæ non esse concessam a Christo potestatem delegandi presbyteros ad conferendum ordinem presbyteratus. Etenim si Christus hanc potestatem dedisset Ecclesiæ, hæc certe illa potestate aliquando usa fuisset, cum plures se offerrent occasiones, idque poscere videretur necessitas, et animarum salus, maxime persecutionum temporibus, quibus episcopi

latebant in cryptis, aut rapiebantur ad necem. Item Ecclesia usa fuisset presbyterorum manu ad alios presbyteros ordinandos in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant episcopi, et in quas mitti non poterant sine magno discrimine et labore. Atqui tamen nunquam id factum legimus.

2. Aliud argumentum ad ostendendum non posse presbyterum, etiam delegatione accepta a suprema Ecclesiæ auctoritate, ordinem presbyteratus conferre, ex illis locutionibus Patrum desumitur, quas articulo 2. hujus Tractatus attulimus ad demonstrandam episcoporum, quoad potestatem ordinis, ex jure divino excellentiam supra presbyteros.—Ut enim vere et in rigore dicatur presbyterum ad ordinandum presbyterum *jus nullum* habere, necesse est ut presbyter neque inchoatam quamdam potestatem, quæ compleri possit per acceptam a Summo Pontifice delegationem, habeat, ideoque requiritur quod non possit, in quocumque casu, ordinare presbyterum.

Dices 1.—Juxta Cassianum, Collat. 4. cap. 1., Paphnutius presbyter Danielem discipulum suum ordinavit primo in diaconum, deinde etiam in sacerdotem.

Resp. *Dist.*—Ordinavit, hoc est, eum obtulit præsulibus, ut ei manus imponerent, sicque ordinari curavit *C.* ordinavit vere *N.*

Dices 2.—Sub Valeriano et Gallieno cum Scythæ plures clericos captivos adducerent, inter hos Ulphilas, qui morum sanctitate et prædicatione multos barbaros converterat, ab Eusebio nondum episcopo fuit consecratus, ut refert Philostorgius in Eclogis l. 2. c. 5.

Resp.—Philostorgio nulla fides habenda est; Arianus erat, et ut ostenderet Gothorum Ecclesiam fuisse ab Arianis institutam, refert Ulphilam, qui muneribus illectus ad Arianam hæresin Gothos perduxit, fuisse primum episcopum. Id tamen falsum esse constat ex Socrate, qui, l. 2. Hist. c. 4., narrat Theophilum Gothorum episcopum Nicæno adfuisse Concilio, illique subscripsisse. Deinde Philostorgius ait legationem Ulphilæ, cujus occasione factus est episcopus, evenisse Constantini temporibus; sed Sozomenus l. 6. c. 37., Theodoretus l. 4. cap. 37., Socrates l. 4. c. 33., ad Valentis imperium referunt.

Dices 3.—S. Leo Magnus Rustico Narbonensi interroganti, quid agendum esset de presbytero, vel diacono, qui se episcopos mentiti sunt, et de his, quos ipsi clericos ordinarunt, respondet, Epist. 92. (al. 167.)

quod, si ordinatio peracta fuerit cum judicio et consensu præsidentium, haberi possit ut rata; ergo juxta S. Leonem subsistit ordinatio presbyteri facta ab eo qui non est episcopus.

Resp. *Dist. conseq.*—Ab eo qui non est *verus* episcopus *N.* qui non est *legitimus C.* Etenim illi, de quibus interrogat Rusticus, consecrationem episcopalem acceperant, ac proinde erant veri episcopi; sed quia contra canones absque Metropolitani consensu aliisque comprovincialibus episcopis fuerant ordinati, ideo mendaces vocat eos Rusticus, sive non legitimos, qui juxta Ecclesiæ regulas non numerabantur inter episcopos. Colligitur hoc ex ipsis verbis S. Leonis; ait enim in Ep. cit.: "Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus episcopis cum Metropolitani judicio consecrati."

Dices 4.—Chorepiscopi leguntur quandoque presbyteros ordinasse.

Resp. *Dist.*—Chorepiscopi qui consecrati erant episcopi *C.* qui non erant *N.*—Chorepiscopi communius presbyteri erant, nomine illo cohonestati, eo quod in pagis et oppidulis [id valet vox Græca χῶρος] episcopum repræsentabant; sed inter eos fuisse etiam quosdam episcopali consecratione auctos, constat ex can. 10. Concilii Antiocheni, qui his verbis incipit (Labbe, t. 2. p. 577.): "Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint" etc.

Sexta pars thesis statuit posse presbyterum ex concessione supremæ auctoritatis in Ecclesia conferre subdiaconatum et minores ordines.—Probatur

1. Auctoritate Gelasii Papæ qui de presbyteris loquens, ait (Ep. 9. tom. 4. Concil. p. 1190.): "Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine Summo Pontifice subdiaconum, aut acolythum jus habere faciendi." —Ergo vult eos hoc posse cum consensu et concessione Pontificis.

2. *De subdiaconatu* etiam constat, quia tale privilegium concessum fuit Abbati Cisterciensi, cujus meminit Pius V. in ea Bulla, qua hoc ipsum jus denegat Abbati Præmonstratensi. Item Abbatibus Benedictinis, ut testatur Victoria. Hoc etiam privilegium fuisse alterius Abbatis Cisterciensis in Germania, et ante Concilium Tridentinum confirmatum, asserit Navarrus, Consil. lib. 5. de Privil. cons. 14.—Nec alia exempla similis concessionis, a Summis Pontificibus factæ, desunt.

3. *Quoad minores Ordines.* Synodus VII. generalis anno 787. can. 14. (Labb. tom. 7. pag. 607. E.) facultatem lectorum creandorum fecit Abbatibus: "Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi . . . . . . dum constet illum esse presbyterum." De acolythatu constat ex Gelasio Papa ante cit.; et de singulis ex Tridentino sess. 23. c. 10. ubi: "Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre." Ergo Concilium relinquit Abbatibus facultatem, tonsuram et minores ordines omnes conferendi Regularibus sibi subditis.

Septima et ultima pars thesis spectat ordinem diaconatus, ad quem conferendum delegari posse presbyterum ex concessione Summi Pontificis, theologi, præsertim antiquiores, communius negant.—Patres enim, aiunt, non indicant presbyterum ut ministrum, saltem extraordinarium, ad diaconatum conferendum, nec aliunde constat Summos Pontifices unquam potestatem hanc presbyteris concessisse.

Attamen, tantæ auctoritatis sunt testimonia quæ contrarium referunt, ut reapse negari non posse videatur privilegium aliquando datum fuisse presbyteris ut diaconatus ordinem conferre valeant. Hoc autem privilegium, si vere concessum fuit, ostendit presbyterum posse, delegatione accepta a Pontifice Summo, ministrum esse extraordinarium diaconatus.

Porro de existentia privilegii concessi, hæc sunt documenta quæ proferuntur.

"De Abbatibus Cisterciensibus," ait Vasquez (in 3. S. Th. disp. 243. c. 4. n. 39.), "Major in 4. dist. 7. quæst. unica § 2. *arguitur*, non multum ante finem, affirmat, per Bullas Pontificis aliquando illis concessum fuisse, ut omnes ordines, excepto sacerdotio, conferrent: concessum autem fuit hoc privilegium pro ipsis monachis dumtaxat ordinandis, ut habetur in lib. privilegiorum dicti Ordinis, privil. 118. Alii recentiores Auctores testantur, se vidisse similem Bullam concessam Abbatibus Benedictinis: nec desunt theologi, qui dicant se accepisse a viris fide dignis, hoc idem privilegium Prælatis Franciscanis in India concessum fuisse. Nos vero vidimus Bullam, in qua Innocentius VIII.

prædictum privilegium Abbatibus Cisterciensibus concedit, et habetur in nova compillatione privilegiorum, privil. 118. et in quodam vetusto codice, qui inscribitur collecta Bullarum ordinis Cisterciensis, atque in bibliotheca hujus nostri Collegii Complutensis servatur, cujus verba subjicere placuit: 'Ne monachi dicti ordinis, pro suscipiendis subdiaconatus, et diaconatus ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis monachis: aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum prædictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus et diaconatus ordines hujusmodi alias rite conferre, et libere, ac licite possitis, et possint auctoritate Apostolica, et ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus.' Quæ Bulla data est Romæ ab Innocentio VIII. anno Domini 1489. et 4. Pontificatus. Ejus meminit Navarrus in Conciliis libr. 5. agens de Privilegiis, consilio 13. et dicit Abbates Cisterciensis ordinis ante Concilium Tridentinum semper fuisse usos eo privilegio et facultate."

Testimonio Vasquesii et aliorum additur testimonium Berti, qui in opere "de Theologicis disciplinis," l. 36. c. 13. § 4., dicit: "Nos Innocentii Bullam [Innocentii VIII. superius citatam] legimus non tantum apud Chrysostomum Henriquez Cisterciensem in Bullario ejusdem ordinis, tom. 1. pag. 190. editionis Antuerpiensis; verum etiam in collectione Emanuelis Roderici Ordinis Minorum, pag. 254. edit. Tournoni." Et addit, Abbates Cistercienses privilegio commemerato usos fuisse, immo generalem Cisterciensium anno 1662. ordinasse monachos suos diaconos Romæ, sciente et consentiente Alexandro VII. Pontifice maximo, et anno 1663. ordinationes similes fecisse Gandavi.

Scholion 1.—Cum ordinatio sit sacramentum, sacramentorum autem valor non pendeat a sanctitate et fide ministrorum, ut probatum fuit in Tractatu *de Sacramentis in Genere*, parte 2. art. 7.; ordinationes factæ ab improbis, schismaticis, excommunicatis, hæreticis *validæ* sunt, dummodo essentialem materiam et formam servaverint, et debitam habuerint intentionem.

Ad solvendas vero difficultates, quæ fieri possent ex pluribus veterum sive dictis, sive factis, hæc, a P. Hurter egregie tradita (Theol. Dogm. t. 3. p. 444.), advertantur:

1. Duplici modo posse dici ordinationem *irritam*, vel quia est *invalida*, vel quia *illegitima;* quo casu ordinatus accipit quidem characterem et potestatem, sed privatur ejus usu, honore, et si *malæ* est fidei, gratia sanctificante, imo gravissimum committit *sacrilegium.*

2. Hinc Patres ejusmodi ordinationes ab hæreticis etc. factas vere dicere poterant *vanas, inanes, irritas, falsas* etc., non quia non imprimerent characterem et conferrent potestatem sacerdotalem, sed quod gratiam non conferrent, ordinatique privarentur usu potestatis acceptæ.

3. Distingui quoque debet manuum impositio *ordinatoria* a reconciliatoria et *ceremoniali,* qua quandoque illegitime ordinatis solemniter restituebatur usus et excercitium ordinum.

4. Mirum esse non debet, si nonnunquam aliqui dubitaverint de valore ordinationum hæreticorum, cum nonnulli vel de valore baptismi ab hæreticis collati dubii hæserint.

5. Nec diffitemur quædam forte contigisse decursu temporis, ex quibus, cum sint facta *particularia* ex ignorantia vel malitia patrata, Ecclesiæ sensus colligi nequit.

Scholion 2.—Juxta ecclesiasticas præscriptiones—et semper in Ecclesia Christi disciplina hæc viguit ac praxis,—uniusquique a *proprio* episcopo ordinari debet. Proprius autem episcopus vocatur ille cui quis subditur ratione *originis* aut *domicilii;* vel ille in cujus diœcesi *actu* quis possidet *beneficium,* ad congruam sui sustentationem, *per se,* sine supplemento patrimonii, sufficiens; vel demum ille qui proprius appellatur ratione *familiaritatis,* seu, ut alii Canonistæ dicunt, *commensalitatis,* et est ille apud quem quis per triennium integrum et continuum commoratus et nutritus fuerit, et a quo, quacumque fraude sublata, beneficium statim accipiet.

Episcopus *originis,* non est episcopus loci in quo quis per accidens natus est, ex. gr., occasione itineris; sed est episcopus loci ubi pater tunc domicilium habuit.—Pro neobaptizatis, ex hæresi aut infidelitate ad fidem conversis, locus *originis* censetur ille, in quo baptismum accipiunt. Si illegitimus est ordinandus, aut si pater ejus nullum habeat domicilium, juxta plures Canonistas, episcopus domicilii matris habendus est ut episcopus *originis.*

Episcopus *originis* est pro exposito, ille qui episcopalem jurisdictionem

habet in loco ubi expositio facta fuit, vel in quo expositus natus est, si locus iste cognoscatur.

Ut episcopus ordinare legitime aliquem valeat ratione *domicilii*, requiritur ut ordinandus alibi natus, domicilium in sua diœcesi habuerit, ita "ut vel per decennium saltem in ea habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit" immo "nihilominus ulterius utroque casu, se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmaverit."—Const. Innocentii XII. "*Speculatores*" § 5.—Et in eadem Constitutione additur: "Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras . . . . afferre debebit, ac de illis expressa . . . . mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit."

Quæ hucusque adnotavimus, pro re nostra sufficiunt. De litteris dimissorialibus, de titulo ordinationis, de religiosorum privilegiis, et de aliis ad praxim ordinationum pertinentibus tractationes apud expositores juris canonici abunde invenies.

ARTICULUS NONUS

De subjecto ordinationis.

In præsenti articulo exponimus quinam, generatim, validæ ordinationis sint capaces;—de subjecto namque episcopatus dicemus in scholio.

Quæstio fit de muliebri sexu, de infantibus et de invitis: nam hæretici Montanistæ feminas in diaconissas, presbyteras et episcopas ordinare se posse arbitrabantur;—infantes autem ordinis esse incapaces censuit contra communem doctorum sententiam primo Durandus, postea Tournelius;—et invitum valide ordinari dixerunt Morinus, Vauroy et alii pauci.

Adversus hos omnes ponitur

THESIS IX.

Subjectum ordinationis capax est solus et omnis masculini sexus homo baptizatus :—ordinatio tamen inviti est prorsus invalida.

Prima pars thesis dicit mulieres esse ordinationis incapaces. Et probatur

1. *Ex Scripturis.*—Apostolus enim, I. Corinth. XIV. 34. 35., docet: "Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia."—Et in I. ad Tim. II. 11. 12. : "Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio."—Sed ii qui in aliquo ecclesiastico gradu per ordinationem constituuntur, loqui in Ecclesia debent, docere, præeminentiam habere atque in alios auctoritatem.—Ergo mulieres in nullo ecclesiastico gradu per ordinationem constitui possunt.

2. *Ex Traditione.*—Etenim Ecclesia tamquam hæreticos habuit eos qui sacros ordines mulieribus conferre volebant. Et sane, jam a primis Ecclesiæ temporibus, in Gnosticorum feminis hanc sacræ potestatis usurpationem detestabatur ipse Tertullianus in opere *de Præscript.* cap. 41., dicens: "Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere [id est solemniter baptizare]."—Et S. Epiphanius, adversus hæreticos Collyridianos, ut ostenderet incapaces prorsus ecclesiastici ordinis esse mulieres illud urgebat quod a mundo condito apud religionis cultores numquam aliqua mulier sacerdotali officio functa sit, aut ministerio sacro sacerdotibus servierit, et quod in Novo Testamento neque Beatissima Christi Mater sacerdotii honorem consecuta fuerit. "Numquam," ait (Hæres. 79. num. 2.), "ex quo mundus conditus est, sacerdotio est functa mulier, ac ne Eva quidem ipsa: quæ, tametsi gravissimum delictum admiserit, tam impium facinus perpetrare nunquam ausa est, sed nec ulla filiarum illius: quanquam et Abel Deo subinde sacra fecerit, et Cainus coram Domino sacrificia minime tamen illi grata celebrarit; ut et Enoch, qui Deo placuit, et translatus est.

Noe vero ex iis, quorum in arca copia redundabat, ad agendas gratias obtulit Deo.".

Et postquam patriarchas commemoraverit, et de Mosaica dispensatione locutus fuerit, S. Epiphanius (num. 3.) subjungit: "Atque ut ad Novum Testamentum accedamus, si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ illud in Novo Testamento committi sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet: cujus uterus, velut templum, ac domicilium ad divini Verbi incarnationem singulari est, benignitate Dei, magno ac stupendo mysterio præparatus. Verum longe Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta, cum alioqui tingi ab illa Christus potius quam ab Joanne potuisset. . . . Post hæc Petrus et Andreas . . . illi, inquam, omnes et Apostoli delecti sunt . . . . . episcoporum ac presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutæ. Nec inter illos tamen mulier ulla cooptata legitur. . . . . Quamquam vero diaconissarum in Ecclesia ordo [lato sensu] sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur. . . . . Propterea ne loqui quidem in Ecclesia mulieri, aut in viros auctoritatem habere sacræ litteræ permittunt."

Nec dubium hac in re oriri potest ex benedictione Abbatissarum, et ex auctoritate quæ eis tribuitur in suas moniales. Benedictio enim illa est mera ceremonia, qua episcopus orat cum Ecclesia, ut Abbatissæ curæ monialium, quibus præficiuntur, pie sancteque invigilent:—auctoritas vero quæ Abbatissis attribuitur est œconomica, non jurisdictionis ecclesiasticæ, ad externum nempe regimen communitatis.

Secunda pars thesis spectat pueros. Eos capaces esse ordinationis, juxta communem sententiam, propugnamus:

1. Ex Decretali Innoc. III. (Decret. l. 5. t. 29. cap. unic. de clerico per saltum promoto). Etenim Summus ille Pontifex consultus quid agendum esset de clerico, qui, minoribus ordinibus infra annos discretionis receptis, postea, prætermisso diaconatu, ordinatus fuerat in sacerdotem; jussit eum ordinari diaconum, nulla mentione facta aliorum ordinum; ergo censuit hos valide collatos fuisse, ac proinde infantes esse capaces ordinationis.

2. Ex testimonio Patrum constat quosdam saltem ordines ecclesiasticos pueris collatos fuisse.—En verba Victoris Vitensis, qui sæculo V., de persecutione Vandalica scribens (libr. 5. capit. 9.), ait: "Tunc etiam Eugenio pastore jam in exilio constituto, universus clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi erant *lectores infantuli*, qui gaudentes in Domino, procul exilio crudeli truduntur."—Similiter Concilium Toletanum II., relatum in cap. 5. Decret. 1. p. dist. 28., loquitur "de iis quos voluntas parentum a *primis* infantiæ *annis* clericatus officio mancipavit;"—et de iis qui ab infantia ecclesiasticos ordines inferiores suscipiebant, sermo est in epistolis Summorum Pontificum Siriaci et Zosimi, quas citavimus pp. 27. et 29.

3. Ex instructione Benedicti XIV. "super dubiis ad Ritus Ecclesiæ et nationis Cophtorum pertinentibus" data Præfecto missionis apostolicæ in Ægypto, ceterisque missionis Cophtæ missionariis, die 4. Maii anno 1745., doctrina quam defendimus confirmatur: in illa enim Instructione Summus Pontifex ordines, presbyteratu excepto, pueris apud Cophtos *valide* conferri affirmat.—Quod ut demonstret ad collationem horum ordinum in Ecclesia Occidentali appellat; in qua si fortasse contingeret, inquit (§ 20.), "ab episcopo legitima auctoritate suffulto non solum *minorum*, sed etiam *sacros* ordines *infanti* conferri; concordi theologorum et Canonistarum suffragio definitum est, *validam*, sed *illicitam* censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiæ, formæ et intentionis in episcopo ordinante; *non attenta contraria sententia*, quæ raros habet asseclas, et quæ Supremis Tribunalibus et Congregationibus Urbis numquam arrisit."

Verum Summus Pontifex animadvertit: "Æque tamen certum et exploratum est, per hanc Ordinum collationem *non subjici promotos obligationi servandæ castitatis*, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur. . . Non desunt tamen graves theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur: aiunt siquidem, infantes promotos ad sacros ordines, *ubi sui compotes jam fuerint*, diserte esse interrogandos [postquam pervenerint ad 16 ætatis suæ annum, Benedictus XIV. dicit inferius § 28.] super intentione

permanendi, necne, in ordine sibi collato. *Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent eos obstringi voto castitatis; sin minus licitum sit eisdem ad sæcularia vota transire, suspensa exercendi Ordinis potestate.*"

4. Ex ratione theologica, quam S. Thomas (4. dist. 25. q. 2. a. 1.) indicat, validitas collationis ordinum facta pueris ostendi etiam potest.—Et sane, sacramenta, ait Angelicus, quæ non in actu, sed potestate consistunt, absque suscipientis actu et consensu conferri possunt; et valide suscipiuntur ex parte infantium: atqui Ordo non consistit in actu, sed potestate, ut patet ex Ordinis definitione; ergo. *Prob. Maj.*—Potestas præcedit actum, atque ab hoc est independens, sicut causa præcedit effectum, et ab eo non dependet; unde baptismus et confirmatio sine aliquo actu parvuli baptizandi, aut confirmandi dari possunt;—ergo.

Excipere S. Thomas videtur episcopatum, quia "ad episcopatum," inquit (loco mox citato), "ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem. Et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis, quod usum rationis habeat."— Verum verba S. Thomæ referenda esse ad episcopatum non prout dicit *collationem potestatis episcopalis,* sed prout indicat *actualem susceptionom curæ pastoralis Ecclesiæ sibi commissæ,* censent Thomistæ celebriores; et reapse ad hoc secundum consensus suscipientis requiritur, non ad primum.

Quod dictum est de pueris, valet etiam pro *perpetuo amentibus,* qui pueris assimilantur, ac proinde similiter ordinari *valide* possunt. In eis nonnisi *per accidens, actus,* cujus *potestas* per ordinationem confertur, est impossibilis.

Si de adultis amentibus ad tempus, aut de dormientibus quæratur, respondemus, eos *valide* ordinari posse, si ante amentiam vel somnum voluntatem habuerint suscipiendi Ordines, secus non; requiritur enim in eis, cum sint adulti, intentio aliqua seu consensus.

Tertia pars thesis, in qua dicimus solum *baptizatum* esse capacem ordinationis, evidens est ex illis quæ in Tractatu *de Sacramentis in Genere* demonstravimus. Sufficiat ergo hic ex S. Thoma, quasi in compendio, proponere doctrinam alibi evolutam et propugnatam. In q. 35. Suppl. a. 3.. quærit "utrum character ordinis præsupponat characterem baptismalem," et respondet: "Baptismus est janua sacramento-

rum. Ergo cum ordo sit quoddam sacramentum, præsupponit baptismum." Præterea, "nihil potest aliquis recipere cujus receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest. Et sic character ordinis baptismalem characterem præsupponit."

Et ad difficultatem: "Potest contingere quod aliquis non sit baptizatus, qui se baptizatum existimat probabiliter. Si ergo talis ad ordines accedat, non consequetur characterem ordinis, si character ordinis præsupponit characterem baptismalem: et sic ea quæ faciet vel in consecratione, vel in absolutione, nihil erunt; et in hoc Ecclesia decipietur, quod est inconveniens."

Respondet: "Quod talis, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos; nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali. Unde secundum canones debet baptizari, et iterato ordinari, sicut dicitur Extrav. de presbytero non baptizato, cap. *Si quis*, et cap. *Veniens.* Et si etiam in episcopum promoveatur, illi quos ordinat, non habent ordinem. Sed tamen pie credi potest quod quantum ad ultimos effectus sacramentorum, summus sacerdos suppleret defectum; et quod non permitteret hoc ita latere, quod Ecclesiæ posset periculum imminere." —Quæ ultima S. Doctoris verba optime a Cardinale Gotti (Tract. 12. de sacram. Ord. q. 3. § 1.) sequenti pacto declarantur: "Nimirum, vel quod Christus, ei qui cum devotione accederet ad sacramentum confectum a sacerdote non baptizato, et propterea nullum, conferret gratiam sine sacramento: vel ne hoc malum Ecclesiæ eveniret, modo sibi noto, vel non permitteret non baptizatum ordinari, vel eum non esse baptizatum, manifestaret."

Ultima pars thesis constat ex iis quæ probavimus in Tractatu *de Sacram. in Gen.*, p. 3. a. 3. thesi 20.—Et reapse Christus Dominus qui noluit ut homines per vim Ecclesiæ subjiciantur, et baptismate adulti tingantur inviti, licet extra Ecclesiam non sit salus, et baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem; certe noluit ut fideles compelli possint ad suscipiendos ordines, et ad exercenda munia ecclesiastica, quæ eorum electioni ipse reliquit.—Quare Innocentius III. (l. 3. Decret. tit. 42. c. 3. *Majores*) apertissime rejecit opinionem eorum qui asserebant "quod sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut bapti-

smus et *Ordo*, ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed invitis, et contradicentibus, etsi non quantum ad rem [gratiam nempe percipiendam], quantum tamen ad characterem conferuntur;" —et docuit: "Ille qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec *rem*, nec *characterem* suscipit sacramenti."

SCHOLION.—*De subjecto episcopatus* hiç agentes, quærimus an ille qui presbyter non est, valide consecrari possit episcopus, vel, aliis verbis, an subjectum capax validæ consecrationis episcopalis sit ille solus qui ordinem presbyteratus jam accepit.—Equidem huic quæstioni ex natura ipsa episcopatus superius, p. 48., affirmantem responsionem dedimus; et ostendimus consecrationem episcopalem quæ dat veluti complementum ac ultimam perfectionem sacerdotalis ordinis, necessario supponere in subjecto consecrando potestatem sacerdotalem quæ perficienda sit atque complenda.—Verum adversus hanc conclusionem quædam facta citantur, et præsertim schismaticorum Græcorum tempore Photii adversus Latinos criminationes quod in episcopos consecrarent diaconos quin eis prius conferrent presbyteratum. Præstat igitur facta illa, ex quibus nonnulli etiam catholici scriptores moti fuerunt ad dubitandum de veritate conclusionis nostræ — communiter tamen a theologis admissæ,— necnon assertionem eorum qui Photio patrocinati sunt, perpendere, ut veritas quam defendimus in tuto collocetur ac firmiter stabiliatur.

Et in primis est animadvertendum, Ecclesiæ legibus semper cautum fuisse et gravissime præscriptum, ut ordines clericatus *gradatim* quis ascenderet, nec ad superiores ordines, præsertim ad *episcopatus culmen*, nisi postquam in inferioribus ordinibus ministraverit, perveniret.— Quapropter cum Pontifices de illis loquebantur qui *subito* ad episcopalem dignitatem quibusdam in locis vel promoti fuerant, vel ut promoverentur postulabatur; non significabant eos episcopalem consecrationem valide accipere potuisse, absque presbyteralis ordinis susceptione, sed de illis agebant, qui ad fastigium sacerdotii absque debita in inferioribus gradibus probatione, juxta antiquam Ecclesiæ legem exacta, vel evecti fuerant, vel ut eveherentur quibusdam in locis a fidelibus requirebatur.

Hinc primum fundamentum sententiæ, quam impugnamus, corruit. Dicunt enim adversarii nostri, episcopos *absque presbyterali ordinatione prævia* fuisse in Galliis et in Hispania consecratos, et addunt

testimonium hac de re reddere epistolas Summorum Pontificum Zosimi et Cœlestini.

Sed quid S. Zosimus Papa dicat, audiamus.—In Epistola 7. Patroclo episcopo Arelatensi Summus Pontifex, n. 2. scribit: "Et quia nonnulli ex quacumque militia se ad Ecclesiam conferentes (V. Epist. 9., n. 1.), statim saltu quodam summatem locum religionis affectant, qui gradatim per ecclesiastica stipendia venientibus explorata solet discussione differri: idcirco quoniam in nonnullis factum infirmare non possumus, si qui jam ordinati sunt, in eo gradu, ad quem saltu subito pervenerunt, perdurare debebunt." Zosimus, his verbis, ut patet, non de illis loquitur qui, *omissa ordinatione aliqua, maxime presbyteratus,* ad episcopalem gradum ascenderant; sed de illis qui ad eum gradum *subito* pervenerant, qui *solet discussione differri.* Quod ut clarius appareat continuo prosequitur: "Si enim Apostolus neophytum sacerdotio *non statim* cumulari jubet (I Tim. III. 6.), et hoc idem canonum statuta sanxerunt (Nicæn. can. 2.); hoc addimus nostra sententia, ut quisquis de cætero vel summo sacerdotio, vel presbyterii gradu vel diaconatus crediderit cumulandum, sciat et se gradus sui subire jacturam, nec in illum valitura esse quæ contulit: ut saltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoveat, quos examinata discussio coercere debuisset."

Ex Epistola vero 9. scripta Hesychio episcopo Salonitano sensus quo intelligi debeant ordinationes factæ *per saltum* in Hispania et in Galliis, nempe quatenus prætermissa fuerant interstitia temporum juxta leges ecclesiasticas præscripta ad ordinationes faciendas, apertius adhuc apparet. "Exigit dilectio tua," inquit Pontifex, "præceptum Apostolicæ Sedis, in quo Patrum decreta consentiunt, et significas nonnullos ex monachorum populari cœtu . . . . sed et laicos *ad sacerdotium festinare. Hoc autem* specialiter et sub prædecessoribus nostris, et nuper a nobis interdictum constat, litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis, *in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio*, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus, et *temporis approbatione divinis stipendiis eruditus,* nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret."

Quapropter addit (n. 2.): "Igitur si quid auctoritati tuæ, quod nos non opinamur, æstimas defuisse, supplemus. Obsiste talibus ordinationibus, obsiste superbiæ et arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta

Patrum, tecum Apostolicæ Sedis auctoritas. Si enim officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinato temporibus, deferunt: quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ pensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit, et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta [*Merl.* rudimentis] servitii: nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen ætas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Jure inde summi pontificis locum sperare debebit."

Demum in cap. 3. temporis spatia ad ordines qui presbyteratum antecedunt suscipiendos statuit, et addit; "Exinde, suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit."

Quid vero de S. Cœlestino Papa dicendum est?—Idem omnino ac de Zosimo diximus:—Cœlestinum nempe referre in Galliis quosdam ordinatos fuisse episcopos *per saltum, non eo sensu quatenus alios ordines non susceperant, sed quia non servaverant præscripta temporum ad ordines suscipiendos interstitia*; et has ordinationes episcopales nimium festinanter peractas damnare.—Hæc sunt verba S. Cœlestini in Epist. 4. "ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis" (c. 3.): "Ordinatos vero quosdam, fratres carissimi, episcopos, qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta, hujus usurpatione qui se hoc recognoscit fecisse dedicimus; cum ad episcopatum his gradibus quibus frequentissime cautum est debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis ad majora firmentur. Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omnis vitæ institutio hac ad id quo tendit se ratione confirmat. Qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non potest litterarum. Qui non per singula stipendia creverit, ad meritum stipendii ordinem non potest pervenire. Solum sacerdotium inter ista, rogo, vilius est? quod facilius tribuitur, cum difficilius impleatur."

Idipsum confirmatur ex Epistola ejusdem Pontificis 5. missa "Uni-

versis episcopis per Apuliam et Calabriam constitutis;" in ea enim abusus quem in Galiis commissum reprehenderat, ne committatur, monet.—"Audivimus," inquit, "quasdam propriis destitutas rectoribus civitates episcopos petere sibi velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc iis qui non Deo, sed sæculo militaverint, æstiment nos posse conferre; non solum male de suis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes; sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere, sentientes. . . . Quid proderit per singula clericos stipendia militasse, et omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requiruntur, qui vacantes sæculo et omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere, et in aliud vitæ genus, calcata reverentia ecclesiasticæ disciplinæ, transire?"

Quod si ob urgentes causas aliquando concedi debebat ut festinato gradu quis ad episcopalem celsitudinem a laicali etiam statu eveheretur, eidem tamen in episcopum electo ordines quibus ad episcopatum ascenditur conferebantur, et sine dubio presbyteratus.

Exemplum hac de re clarissimum habemus in ordinatione S. Ambrosii, qui adhuc catechumenus ad episcopatum Ecclesiæ Mediolanensis electus fuit; in Vita enim illius beati Antistitis, quam notarius ejus Paulinus conscripsit, n. 9., legitur: "Baptizatus itaque [Ambrosius] fertur *omnia ecclesiastica officia implesse,* atque octavo die episcopus ordinatus est cum summa gratia et lætitia cunctorum."

Similiter ex Ordine diaconorum eligi poterat quis in episcopum; sed ut electus fieret episcopus, accipere debebat prius presbyteratus ordinationem.—Audiatur Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, qui sæculo IX., eo ipso tempore quo Græci schismatici Latinos criminabantur quod consecrarent episcopos absque prævia ordinatione presbyterali, scribebat Adventio Metensi episcopo (Epist. 29.—Migne P. L. 126. pag. 186.): "Sicut jussistis, mitto vobis consecrationem episcopi, et exemplar decreti, quod in ampla pergamena debet scribi, ut confirmationes cleri et legatorum singulorum monasteriorum, et primorum presbyterorum parochiæ ac plebis, ibi valeant scribi: et si idem electus in diaconii gradu adhuc est, canonico tempore *debet presbyter ordinari.* Sabbato autem præcedente Dominicam, quando electus est ordinandus, convenire debent episcopi diœceseos ad principalem Ecclesiam metropolis, et publice

coram omnibus debet recitari decretum, et interrogare debent episcopi, si omnium vota, sicut ibi continetur, in eumdem electum concordent etc."

Utique non semper *distincte et expressis verbis* scriptores ecclesiastici, cum properatam ordinationem alicujus electi in episcopum referunt, narrant eum accepisse prius ordinationem presbyteralem, deinde episcopalem ; sed non ideo quia hoc minime dixerunt, quod nec necessario, nec etiam utiliter, juxta scopum narrationis, dicere debebant, argumentum aliquod adversus doctrinam a nobis propugnatam deduci potest. Eo vel magis quod scriptores ecclesiastici aliis in locis referant duos ordines majores, ut diaconatum et presbyteratum, quandoque inter ejusdem Missæ solemnia fuisse collatos ; sicut de Pauliniano S. Hieronymi fratre narrat Epiphanius (Epist. 60. inter Epist. Hieronym.). "Ignorantem enim," inquit, "et nullam penitus habentem suspicionem per multos diaconos apprehendi jussimus . . . . . . et primum diaconum ordinavimus. . . . . Et cum ministraret in sanctis sacrificiis rursus . . . . ordinavimus presbyterum."

Nec obstat exemplum ordinationis Cæciliani, qui, a Felice Autumnitano episcopus Carthaginensis ordinatus, dixisse fertur, se, si ordinatus non esset *episcopus*, iterum tamquam *diaconum* ordinandum esse.—Cæcilianus enim ex mente et in hypothesi suorum accusatorum loquebatur ; et juxta eorum sententiam aiebat, si a traditore (ut ipsi contendebant) Felice in episcopum consecratus nihil accipere poterat, ab eodem Felice nihil accepisse cum ab ipso presbyter ordinatus fuerat ; ac proinde necessarium esse, ut tamquam diaconus haberetur, et rursus ordinaretur et presbyter et episcopus — Hæc sunt verba S. Optati Milevitani (de Schismate Donat. lib. 1. n. 19.), ex quibus objectionem adversarii nostri desumunt : "Iterum a Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se, *sicut illi arbitrabantur*, nihil contulisset, ipsi tamquam adhuc diaconum ordinarent Cæcilianum."—Quibus profecto verbis, non negat Cæcilianus se presbyterum prius a Felice ordinatum fuisse, quam episcopum ; sed infert ex damnata ab æmulis suis ordinatione sua episcopali, condemnari ab iisdem, ac rejici ordinationem suam presbyteralem, seque tamquam merum diaconum, juxta sententiam eorum, ad presbyteratum et episcopatum esse promovendum.

Sed jam accusationem a Græcis motam adversus Latinos, tempore schismatis Photiani, perpendamus. Et primo quo occasione in lucem pro-

dierit, et quibus aliis accusationibus sociata fuerit, inquiramus, ut possimus ex his etiam capitibus de veritate ejus judicium ferre. Pro nobis loquatur ipsa Nicolai I. Summi Pontificis epistola "ad Hincmarum et ceteros episcopos in regno Caroli constitutos" data anno 867., in qua exponit causas odii et invidiæ Græcorum adversus Latinam Ecclesiam, et refert illorum accusationes ut eas refellant.

"Inter alia," Summus Pontifex inquit, "quæ nos immensis laboribus inserunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, imo universæ occiduæ parti, a Græcorum imperatoribus, Michaele scilicet et Basilio, et ab his qui sibi parent nequiter ingeruntur. Hi enim odio et invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quasi crimina hæreseos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri et invasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ atque neophyti, a depositis et anathematizatis factam promotionem non solum non approbavimus, sed et damnavimus. . . . Invidia vero, quia regem Bulgarum Michaelem nomine, cum gente sua, Christi fide suscepta, a sede beati Petri institutores et doctrinam expetivisse audierunt. Volentes quippe, nimiumque anhelantes, eosdem Bulgares a beati Petri subjectione subducere, suoque imperio sub prætextu christianæ religionis callide subjugare, talia de sancta Romana Ecclesia non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, et diversarum hæreseon squaloribus respersos, vitent, declinent, atque penitus deserant."

Deinde narrat Pontifex Imperatores Græcorum litteras misisse ad Bulgarum regem calumniis adversus Latinos refertas, quas ipse rex legatis Pontificiis, ut Romano Antistiti ostenderentur, communicavit; et prosequitur: "Accipientibus itaque nobis, et perscrutantibus eamdem cum aliis scriptis epistolam, non hanc sæpe memorati principes dictantes, nisi in lacu blasphemiæ, tinxisse calamum, et luto erroris usi pro atramento fuisse procul dubio patuere. Conantur enim tam nostram specialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua Latina utitur, Ecclesiam reprehendere, quod jejunamus in sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus. . . . . Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in pascha,

more Judæorum, super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt; et quia *diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur;* cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint."

Et hæc Summus Pontifex Hincmaro scripserat, mandans ei ut omnibus in Gallia episcopis, pro communi fide et ad honorem Romanæ Ecclesiæ vindicandam, committeret falsarum accusationum quæ adversus Latinos Græci movebant refutationem.

Quid autem ab episcopis Galliarum, ut invitationi Summi Pontificis responderent, actum fuit?—Eorum jussu, Ratramnus opus in 4. libros divisum conscripsit "contra Græcorum opposita, Romanam Ecclesiam infamantium." Et in c. 8. l. 4. ejusdem operis, quoad rem nostram, declaravit: "Sed criminantur istud [quod chrisma ex fonte Latini conficiunt] falso, sicut et de agni consecratione; necnon quod arguunt, levitas episcopos fieri, *presbyterii gradu non prius accepto;* non reputantes quod in ceteris sibi demant auctoritatem fidei, quandoquidem in istis *tam evidenter mentiuntur:* non verentes quod Spiritus Sanctus loquitur: 'Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus' (Psalm. v. 7.). Et: 'Perdes omnes qui loquuntur mendacium' (Ibid.). Et in Salomone: 'Falsus testis non erit impunitus' (Prov. XIX. 5.). Quod autem redarguunt levitam episcopum consecrari, cur non contra se dictum advertunt, qui de laicis subito tonsis faciunt episcopos, contra regulas ecclesiasticas, et imperialia decreta? . . . . . Verum Græcorum imperatores, tam divina quam humana jura transgredientes, faciunt sibi de laicis subito tonsis episcopos, et eos qui nondum minimi gradus honorem digni percipere fuerant, summi culminis vertice sustollunt: et talia gerentes non verentur Christi Ecclesiam calumniari, falsa pro veris loquentes, pro nihilo ducentes quod Salvator ait in Evangelio: 'Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria collo ejus, et demergatur in profundum maris' (Matth. XVIII. 6.). Ut pœna mortis in eos vindicet, et fluctibus perditionis absorbeantur, quos charitas timori sancto non fecit esse subjectos."

Præterea episcopi Germaniæ in synodali conventu Wormatiæ, 17. Kal. Jun. an. 868. coadunati ad refutandos errores Græcorum, eorumque adversus Rom. Eccles. calumnias revincendas aliud in re nostra testimonium afferunt.—"Quod vero," inquiunt, "jam dicti Græci *falso fatentur*, apud nos ante de diaconis episcopos quam presbyteros ordinari velut quodam saltu, *firmiter respondemus, pone nos hoc nunquam accidisse*, sed ordinem et modum consecrationis in omni ordine servari canonice, quod illi solent transgredi absque ulla necessitate. Nuper etenim, ut fertur, de quodam laico tonsuratum monachum statuerunt, ac sine dilatione ad archiepiscopalem ordinem contra omnia decreta promoverunt. Unde in Sardicensi Concilio c. 13. Osius episcopus dixit: 'Et hoc necessarium arbitror ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex ministratore episcopus fuerit postulatus . . . perfunctus, et ita per singulos gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen episcopatus,' etc."

At, objicies—Æneas Parisiensis episcopus, qui eadem ætate vixerat, in libro quem scripsit adversus Græcos, fatetur Latinos diaconos, absque presbyterali ordinatione, non raro ascendere ad ordinem episcopalem: quin immo hujus facti rationem reddere conatur. Ita enim apertissime loquitur (lib. adv. Græcos cap. 210.): "De hoc autem quod quæritur quare apud Romam plerumque diaconus quodam saltu, non percepta presbyterali benedictione, in episcopum subito consecretur, dicendum simplicitatis affectu, quia deperit rationalis responsio hujuscemodi astipulationibus subnixa, cum illa quæ ignorat depromere sermo veridicus pudice refugiat, maxime si in propatulo lingua distendatur eloquio, et nequaquam sustentari possit sanctarum Scripturarum auxilio. Vultu tamen suppresso sub arbitrio intellectus verecunde cedendum, quo forte illi qui istiusce ordinationi assentiunt, hoc intelligi velint, quia qui benedictione pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur, sive quia in consecratione corporis Christi et sanguinis officium præsulis ac presbyteri mystice uniatur. Sicut enim in terrarum rege diversæ dignitates ascribuntur: nam imperatores ex consulibus creati, propter regale commercium quondam non omittebant, nec mutabant consulis et patricii nomen: ita credi potest quod in sublimitate majoris pontificis consistat etiam honor minoris sacerdotis. Forsitan autem illi qui de diacono ordinant episcopum, prætermissa benedictione

presbyterali, assertioni B. Hieronymi in epistola loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio episcopali."

Reponam 1.—Hæc verba *non necessario* significant *Parisiensem Præsulem affirmasse veritatem facti,* quod asserebant Græci, de ordinatione diaconorum in episcopos, prætermisso ordine presbyteratus; sed ita intelligi possunt ut Æneas Parisiensis, *assertione Græcorum permissa,* seu *supposita, non autem admissa veritate illius assertionis,* probare voluerit hujusmodi ordinationes diaconorum in episcopos esse validas, ideoque, etiamsi existerent, ut Græci asserebant, nullo modo ab eis reprehendi posse.

2.—Si quis verba citata juxta sensum mox indicatum intelligere nolit, et contendat Æneam Parisiensem *affirmasse, propria sua attestatione, factum illarum ordinationum;* dicam Æneam errasse, et testimonium ejus unicum, repugnans clarissimæ et solemnissimæ testificationi aliorum Galliarum et Germaniæ episcoporum, necnon Summi Romani Pontificis, non esse attendendum.

ARTICULUS DECIMUS

De cœlibatu ecclesiastico.

In Ecclesia Latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, episcopi, nempe, presbyteri, diaconi et subdiaconi, tenentur perpetuam servare continentiam, adeo ut nec matrimonium contrahere, nec matrimonio prius contracto uti valeant. Concilium enim Tridentinum, sess. 24. can. 9. sic definit: "Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto . . . . anathema sit:"—et Alexander III. c. *Conjugatus,* de Convers. Conjug., absolute prohibet quemquam conjugatorum promoveri ad sacros ordines, nisi ab uxore continentiam profitente absolutus fuerit.

In Ecclesia vero Græca sacris ordinibus initiatis, episcopatu excepto, retinere uxores ante susceptionem majorum ordinum ductas, ac matrimonio uti, licet; sed clericis, post susceptionem sacri ordinis, matrimo-

nium contrahere non conceditur.—Benedictus XIV. in Constitutione "Etsi Pastoralis," data die 26. Maii 1742., "de Dogmatibus et Ritibus ab *Italo-Græcis* tenendis atque servandis," hæc (nn. 26. 27.). de cœlibatu ecclesiastico ab illis clericis servando declarat: "Etsi exoptandum quam maxime esset, ut Græci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini servarent: nihilominus, ut eorum clerici, subdiaconi, diaconi et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines, virgines, non viduas neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem qui viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum promoveri omnino prohibemus. Præterea si quis subdiaconus, diaconus, vel presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere præsumpserit, nedum excommunicationis latæ sententiæ pœna, aliisque nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum, nullum, irritumque declaramus."

Et idem Summus Pontifex Benedictus XIV. in "Instructione super dubiis ad Ritus Ecclesiæ et nationis Cophtorum pertinentibus," data die 4. Maii 1745., matrimonium in *Ecclesia Orientali* post collationem sacrorum ordinum initum, non modo illicitum, sed nullum, *juxta saniorem sententiam*, esse ostendit.—"Diu, multumque," ait (§ 38, 39.), "agitata est inter theologos controversia illa, plena jurgii, ac dissidii: an solum illicitum, vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem sacrorum ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia *Occidentali.* Placuit sane pluribus, *validum*, sed *illicitum* censeri debere hujusmodi matrimonium, tum quia canonicæ sanctiones, et Decreta Ecclesiæ Occidentalis illud irritantia, protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; tum quia canones Synodi Trullanæ, quorum semper a Græcis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant, et irritant matrimonium post sacros Ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate: et saniori certe consilio; utpote tuentes sententiam majoribus suffragiis suffultam, et menti Con-

gregationum Urbis consentaneam. Nullitatem matrimonii satis erui posse judicarunt ex ipso can. 3. Concilii Trullani his verbis: 'Eis nefario videlicet dissoluto conjugio.' Favet etiam eidem sententiæ auctoritas Imperatoris Justiniani, qui in Codice a Gothfredo illustrato libr. 1. de Episc. et Cleric., Novell. 45., hujusmodi nuptias nefarias, et incestuosas appellat; et soboli inde procreatæ notam illegitimitatis, et turpem paternæ incontinentiæ maculam inurit. Et licet in juribus ecclesiasticis potestati laicæ sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; in subjecto tamen casu loquitur Imperator relative ad SS. Canones, ibi: 'quæ et sacris visa sunt Canonibus.'"

Hanc porro continentiæ legem, qua clerici majores ut mox declaratum est tenentur, antiquissimum habere traditionis fundamentum et esse convenientissimam, thesi subjecta, adversus cœlibatus ecclesiastici osores, demonstrabimus.

THESIS X.

Continentiæ lex, sacris ministris imposita, in antiquissima traditione fundatur, eisque est convenientissima.

Probatur 1 *pars* thesis testimonio Patrum, Pontificum et Conciliorum a primis Ecclesiæ sæculis.

Etenim Tertullianus, libro "*de exhortatione castitatis*" continentiam, quam servare clerici debebant, commemorat (c. 13.) his verbis: "Quanti igitur . . . in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt . . . . quique se jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis."

Eusebius Cæsariensis, lib. 1. "Demonstrationis Evangelicæ," cap. 9. (Migne P. G. t. 22. p. 82.) de doctoribus ac prædicatoribus verbi Dei in Novo Testamento, seu de episcopis et presbyteris, ita loquitur: "His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur; et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint." Et infra: "Verumtamen eos qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet: qui autem non

ad tantum assumpti sint sacerdotii munus, iis idem sermo divinus indulget, ac palam omnibus prædicat, quod honorabile sit conjugium, et thorus immaculatus, fornicatores et adulteros judicaturus sit Deus."

S. Epiphanius apertissime docet (Exposit. fid. cath. num. 21.): "Ex virginum ordine [sacerdotium] præcipue constat: aut si minus e virginibus, certe ex monachis; si vero ex monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei non fuerint, ex his creari sacerdotes solent qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis vero nuptiis implicitus in Ecclesia ad sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus: ejusmodi, inquam, ab episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi gradu rejicitur. Secundum hos gradus lectorum ordo ex omnibus ordinibus eligi potest, hoc est, e virginibus, monachis, continentibus, viduis et iis, qui honestis matrimoniis illigantur. Imo, si necessitas tulerit, ex illis etiam asciscuntur, qui post prioris uxoris obitum cum altera sese copularint: quippe lector non sacerdos est, sed tanquam divini verbi scriba."

Deinde, alio in loco (Hæresi 48. n. 7.), declarat Christum in se ipso exemplum puritatis fulgidissimum sacerdotibus dedisse, et Apostolos leges de continentia majorum clericorum condidisse.—"Cum sacerdotalia munera et ornamenta [Verbum incarnatum] cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit; id Apostoli deinde, ecclesiastica sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt. Quod si quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minime id quidem veritatis regula prohibet, in eo duntaxat qui sacerdos non fuerit."

Et in eodem opere "adversus hæreses" (Hæresi 59. num. 4.) iterum cœlibatum clericis omnibus majoribus in Ecclesia Dei præscriptum sacris canonibus esse docet; et nonnisi "propter hominum ignaviam" in quibusdam locis particularibus non observari. "Ita enim profecto," inquit, "sese res habet, ut post Christi in orbem terrarum adventum, eos omnes qui secundum priores nuptias mortua uxore alteri sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina rejiciat: propterea quod incredibilis est sacerdotii honor ac dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum omni provisione diligentiaque servat. Quin eum

insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, *ubi ecclesiastici canones accurate servantur.* At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt:—respondeo, *non illud ex canonis auctoritate fieri,* sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent non facile reperiuntur."

S. Hieronymus, qui orientalis et occidentalis Ecclesiæ mores legesque apprime callebat, Vigilantium sacerdotalis continentiæ inimicum sic exagitabat (libr. contra Vigilantium num. 2.): "Quid faciunt Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti et Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt."—Quibus verbis Hieronymus omnem Ecclesiam in tres partitur ditiones, totidem Exarchis obnoxias, Romano nempe, Alexandrino et Antiocheno; eamque totam affirmat, generatim loquendo, ministris sacris cœlibatus legem imponere.

Et in Epist. 48. ad Pammachium (num. 21.): "Apostoli," ait, "vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici."

Ceterum ipse Jovinianus, virginitatis et continentiæ hostis infensissimus, episcopos saltem inviolabili continentiæ lege teneri fatebatur. "Certe confiteris," aiebat S. Hieronymus Jovinianum alloquens (libr. 1. adver. Jovinianum numero 34.), "non posse esse episcopum qui in episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit non tamquam vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur."

Insuper S. Ambrosius majoribus Ecclesiæ ministris obligationem, ab eis contractam, continentiæ ecclesiasticæ fideliter servandæ, revocabat in mentem, his verbis (l. 1. de officiis c. 50.): "Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupti pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis?"

Et S. Augustinus eis qui in cœno carnalis concupiscentiæ volutaban-

tur, continentiam sacrorum ministrorum suscipiendam et imitandam proponebat. "Istos," inquit (l. 2. de conj. adult. cap. 20. n. 22.), "qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus, ne adulterinis conjugiis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt."

Quod Decreta Summorum Pontificum antiquiorum spectat, brevitatis causa, ea tantum commemorabo quæ S. Siricius Papa et S. Leo I. Mag. ediderunt.

De lege continentiæ episcopis, presbyteris ac diaconis impositæ clarissime meminit S. Siricius Papa in Epist. ad Himerium Tarraconensem, c. 7.—"Veniamus nunc," inquit, "ad sacratissimos ordines clericorum, quos in venerandæ religionis injuriam ita per vestras provincias calcatos atque confusos, charitate tua insinuante, reperimus, ut Jeremiæ nobis voce dicendum sit: 'Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum? et flebo populum hunc die ac nocte' (Jer. IX. 1.). Si ergo beatus Propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere; quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare! . . . Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac præscriptione defendere, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. . . . Dominus Jesus cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere. Et ideo Ecclesiæ, cujus sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare . . . omnes sacerdotes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus."

Et continuo Siricius incontinentes clericos puniens, et futura crimina debita monitione quantum in se erat præcavens, addit: "Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent; his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quam diu

vixerint, officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum; noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria; quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, quilibet episcopus, presbyter, atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam."

Et S. Leo Magnus, in Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem, scribit (cap. 3.): "Lex continentiæ eadem est ministris altaris [diaconis] quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere, quo et salva sit charitas conjugiorum, et cessent opera nuptiarum."—Quin immo et subdiaconos lege continentiæ adstringit, Epistola 84. al. 12., ad Anastasium Thessalonicensem, c. 4. "Nec subdiaconis quidem," ait, "connubium carnale conceditur: ut et qui habent uxores, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares."

Ad Concilia quod attinet, ne ultra limites huic demonstrationi præscriptos rem protraham, pauca solum, speciminis gratia referam.

Concilium Eliberitanum, anno 304. cap. 33. hæc habet: "Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris, et diaconis, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios; quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur."

Concilium Toletanum I., anno. 400 can. 1.: "Placuit," inquit, "ut diaconi, si vel integri, vel casti sint, et continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur; ita tamen, ut si qui, etiam ante interdictum quod per episcopos Lusitanos constitutum est, incontinenter cum uxoribus suis vixerint, presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex presbyteris, ante interdictum, filios susceperit, de presbyterio ad episcopatum non permittatur."

Concilium Arausicanum I., anno 441. can. 22.: "Deinceps," inquit, non ordinentur diaconi conjugati; nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem." Idem rursus can. 23. et 24.

Concilium Veneticum anno 465. can. 11.: "Presbyteri," inquit, "diaconi atque subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia."

Concilium Aurelianense III. anno 538. can. 2. statuit: "Nullus clericorum, a subdiacono et supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si forte jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, juxta priorum canonum statuta, ab officio deponatur."

Concilium Wormatiense, an. 868. c. 9.: "Placuit," ait, "ut episcopi, presbyteri, diaconi, et subdiaconi abstineant se ab uxoribus, et non generent filios."

Concilium Augustanum, anno 952. cap. 11.: "Episcopus," inquit, "presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina mysteria contractant, ab uxoribus abstineant."

Demum Concilium Lateranense II. Œcumenicum sub Innocentio II. an. 1139. can. 6.: "Decernimus ut ii qui in Ordine subdiaconatus, et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant." Et can. 7.: "Ad hæc prædecessorum nostrorum Gregorii VII., Urbani, et Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præcipimus, ut nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus, quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi regulares Canonici, et Monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur: hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant."

Constat itaque evidenter, ex testimoniis hucusque citatis, continentiæ legem sacris ministris impositam primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse, et perpetua traditione fuisse servatam.

Duo tamen hic sunt animadvertenda.

Primum est, subdiaconos nec semper, nec universe lege continentiæ

adstrictos fuisse, sed variam circa eos fuisse Ecclesiarum praxim et disciplinam.—Etenim, in Latina etiam Ecclesia, Concilio Eliberitano, can. 33., et Gerundensi, can. 6., adstringuntur utique ad continentiam etiam subdiaconi, nec non in pluribus Toletanis: at non ita in Carthaginensi V. c. 3. ubi indicta episcopis, presbyteris et diaconis vita cælebs, subjungitur: "ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere." Pelagius quoque II. ex more Romanæ Ecclesiæ subdiaconos Siciliæ continentiæ legi subjecerat: at hoc S. Gregorio Magno visum est *durum atque incompetens,* ut ipse scribit l. 1. Ep. 42. (al. 44.) relata can. *Ante triennium,* dist. 31. Quare Pelagii decessoris sui decretum ita temperavit, ut permitteret subdiaconis matrimonio junctis uxores retinere ea lege, ut diaconatu nunquam initiaretur, *nisi qui se victurum caste promiserit.*

Varia similiter hac de re disciplina fuit etiam sæculis insequentibus, adeo ut, sæculo XI., Concilium Romanum, anno 1063. celebratum, subdiaconos cœlibatus lege non ligaverit, sed presbyteros tantum et diaconos: et Concilium Vintonense, sub Lanfranco coactum an. 1076. statuerit: "Deinceps caveant episcopi ut sacerdotes vel diaconos non præsumant ordinare, nisi prius profiteantur ut uxores non habeant."—At sub finem illius sæculi in Concilio Melfensi sub Urbano II. anno 1089., can. 12. statutum fuit: "Eos qui in subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officio atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus." Idem statutum fuit in Concilio Claromontano, anno 1095. can. 9.:—et sæculo sequenti, anno 1148. in Concilio Remense, canone 3. statutum fuit: "Qui in ordine subdiaconatus, aut supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant."

Secundo animadverti debet, non eo semper tempore quo prohibitum fuit sacris ministris convolare ad nuptias, irritum quoque fuisse matrimonium illa non obstante prohibitione contractum. In Ecclesia namque Latina non ante constitutionem Concilii Lateranensis II. an. 1139. superius citatam, quam iterum promulgavit Concilium Remense anno 1148., Præside Papa Eugenio III., ordo sacer, quo nomine etiam subdiaconatus ratione obligationis ad cœlibatum servandum intelligi debebat, impedimentum fuit dirimens matrimonium.—Idem impedimentum deinde Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1179. confirmavit.

Secunda pars thesis, in qua convenientissimam dicimus esse continentiæ legem majoribus clericis ab Ecclesia impositam, sequentibus rationibus demonstratur:

1.—Excellentia sacrificii legis novæ, cum exigat ut a sacerdotibus summa puritate et munditia renitentibus offeratur, omnino convenienter eisdem sacerdotibus, et ministris eorum proximioribus, imponit vitam ab omni concupiscentia carnis continentem.

Sane, "si priscis temporibus," ait S. Innocentius I. Papa (Epist. 2. Victricio episcopo Rotomagensi, c. 9.), "de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant (Lev. XXI. 12.), sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant; quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et præter ex semine Aaron ad sacerdotium nulli fuerat præceptum accedere (Num. XVIII. 7.): quanto magis hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debebunt, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent! Nam si Paulus ad Corinthios scribit (I. Cor. VII. 5.), dicens: 'Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi,' et hoc utique laicis præcipit; multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere."

2.—Statui sublimiori et sanctiori sanctius et sublimius vitæ genus profecto convenit.—Sed ex una parte status sacrorum ministrorum, maxime sacerdotum, si statui ceterorum fidelium comparetur, sublimissimus est; est enim eorum qui super omnes reliquos fideles constituti, Deoque specialiter mancipati, quasi medii inter Deum et homines collocati esse videntur: ex alia parte, cœlibatus, ut suo loco probabitur, et hic ut demonstratum supponitur, status perfectior est statu matrimoniali.—Ergo ministris sacris, præsertim sacerdotibus, cœlibatus est convenientissimus.

3.— Præterea cœlibatus legem plurimum conferre ad officia rite obeunda statui majorum clericorum annexa, non minus evidenter constat. Etenim hujus clericalis militiæ, ut recte adnotat Perrone (de Cœlib. Eccles. prop. 2.), præcipua officia sunt sacrificium offerre, orare, præesse, docere, sacramenta administrare, infirmorum et pauperum curam gerere, atque id genus alia religionis et charitatis officia præstare

quæ virum postulant alienis curis minime distractum, qui possit esse omnium consiliarius, judex, pater, imo et eorum quorum commodis et saluti prospicere veluti suo jure debet, famulus et administer. Jam vero quis neget magis conferre ad ejusmodi munia præstanda cœlibatum quam conjugium? Quapropter si Apostolus declarat quod "qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est," minus profecto confert ad præstanda quæ Domini sunt, status conjugii quam cœlibatus. Quod vel ipse Calvinus fateri debuit in commentariis ad citatum Pauli locum, his verbis: "Ergo sic intelligemus divisum esse hominem conjugatum, quia partim Deo, partim conjugi se addicat: non sit autem Dei in solidum. . . . . . . Summa totius disputationis (Pauli) huc redit, meliorem esse cœlibatum conjugio, quia in illo major sit libertas, ut expeditius serviant homines Deo."

Quare si conjugatus domesticis pene innumeris curis obstrictus est, si conjugis et liberorum sustentationi, si educationi prolis et ejus futuræ sorti prospicere debet, nec non cetera matrimonii onera sustinere; manifestum est sacrorum ministris convenienter legem imponi, qua ab oneribus conjugii liberentur, et sacerdotalibus unice vacent muniis.

4.—Sacerdotes Christum in terris repræsentant, et Apostolorum sunt in ministerio successores.—Ergo conveniens est ut sacerdotes saltem aliquatenus, juxta cœlibatus legem, immaculatissimam Christi puritatem imitentur, et Apostolorum exemplum sectentur quoad continentiam.

Christum vero, divinum omnis perfectionis exemplar, vitam cœlibem semper gessisse, nemo dubitat:—et Apostolos, magistrum secutos, matrimonio abstinuisse constat. "Christus virgo," aiebat S. Hieronymus, Epist. 48. ad Pammachium, superius citata, "virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes."

Apte demonstrationem thesis concludam verbis cl. Thomassini (Vetus et nova Eccl. discipl. p. 1. lib. 2. cap. 60. num. 1.):—"Quanta Ecclesiæ, tanta et continentiæ inter majores clericos legis antiquitas est. Æternus ille Pontifex, qui de Virgine natus est, et ipse virgo ac virginalis hostia, æternum immolari se voluit, ab iis, qui tam castitatis suæ quam sacerdotii participes forent, et ipsi sacerdotes simul et hostiæ, utroque nomine, utroque vinculo continentiæ sempiternæ astringendi. Eo usus

consilio Apostolos elegit, aut virgines, aut castimoniæ deinceps devinctos. Ideo et Apostoli pontificii sui non alios sibi successores ascivere, quam qui virginitatem hactenus coluissent, aut qui posthac inviolabilem continentiam profiterentur. Hinc est denique, quod cœlestis magistri hujus discipuli sacerdotio prorsus summoverunt, vel eos, qui duplicato conjugio aliquam incontinentiæ speciem præ se tulissent. Cum enim esset episcoporum, presbyterorum, diaconorum sacerdotium idcirco institutum, non solum ut immolarent, sed etiam ut producerent eam victimam, quæ cum sanctitas ipsa, tum ipsa etiam castitas esset et puritas: minime mirum est, si tanti ministros sacerdotii ea maxime devincit lex, ut ipsi aut virgines sint, aut continentes; et aliquo saltem ex intervallo sequantur virginitatem incomprehensam, et Patris, qui Verbum æternum gignit, et Matris, quæ idem nostra vestitum natura peperit, nec alium in scopum peperit, quam ut idem et æternus Pontifex et perpetua hostia a se ipso et a sui sacerdotii castissimis ministris immolaretur."

Objicitur

1. Apostolus in Ep. I. ad Tim. III. 2. dicit: "Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum;" et in eodem capite, ver. 12. ait: "Diaconi sint unius uxoris viri."—Præcepit ergo Apostolus, ut si continere se nolit sacrorum minister, una uxore sit contentus.

Resp. *N. Cons.*—Verus illorum verborum sensus est oportere ut episcopus sit qui uxorem habeat vel habuerit, non tamen secundam acceperit, sed unam tantum: quodque pro diacono pariter præceptum est. Syriaca versio id clarius expressit vertens verba Apostoli, ver. 2., "qui *fuerit* unius uxoris vir;" et ver. 12. "diaconi [tales] sint: is qui unicam uxorem *habuerit.*"—Propter hanc apostolicam legem, Ecclesia digamos, seu eos qui priori uxore defuncta duxerunt alteram, a sacris ordinibus semper repulit.

2. Apostoli habuerunt et secum retinuerunt uxores, ut constat ex I. ad Cor. IX. 5.: "Numquid non habemus potestatem mulierem sororem [ἀδελφὴν γυναῖκα] circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas?"

Resp.—*a*) Non de Apostolorum *uxoribus* loco citato agitur, sed, ut verba utar S. Hieronymi (lib. 1. contra Jovinian. n. 26.), "de sanctis

mulieribus, quæ juxta morem judaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum."—Idem namque vocabulum, γῦνη, græce adhiberi potest ad significandam vel *mulierem*, vel *uxorem* :—et contextus ipse, quin ad alias rationes recurramus, ostendit Paulum non de *uxore* loqui sed de *muliere*.

Etenim, ut acute Tertullianus adnotaverat (l. de Monogamia, c. 8.), si de matrimonio Apostolus tunc disputasset, intelligi posset, exemplum aliquod conjugatorum proferre voluisse, et dixisse, an non habemus potestatem *uxores* circumducendi ? At cum ea quæ in eodem contextu dicit matrimonium non spectent, sed ministrationem rerum quæ ad sustentationem vitæ necessariæ sunt, quæque communiter apud Judæos a piis mulieribus sacrorum ministros comitantibus suppeditabantur—dicit enim Paulus, vv. 4. 5. : "Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi ? numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas ?"—evidenter Paulus "non *uxores* demonstrat ab Apostolis circumductas, quas et qui non habent, potestatem tamen manducandi et bibendi habent ; sed simpliciter *mulieres*, quæ illo eodem instituto, quo et Dominum comitantes, ministrabant."

b) Etiamsi verba Pauli intelligerentur de Apostolorum *uxoribus*, ante vocationem ad apostolatum susceptis, nullo tamen pacto thesim nostram impeterent ; immo eam potius confirmarent. Cum enim Paulus illas vocet simul *sorores*, si verba ab adversariis citata spectarent Apostolorum *uxores*, significarent Apostolos conjuges suas non ut *uxores* habuisse sed ut *sorores*, ideoque servasse continentiam.—Hæc expositio traditur a Clemente Alexand., l. 3. Stromatum c. 6. "Non ut uxores," inquit, "sed ut sorores circumducebant [Apostoli] mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant ; per quas etiam in gynæceum, absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini."

3. Paulum uxorem habuisse constat ex Epist. ad Philip. IV. 3. :—in his enim verbis "etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas . . . . . cum Clemente" uxor Apostoli commemoratur, nam "germane compar" græce legitur "σύζυγε γνήσιε," seu "germana conjux."

Resp.—Nego Paulum Apostolum habuisse uxorem, et verba Apostoli in objectione citata ad *uxorem* referri. Etenim vox græca σύζυγος

uxorem utique significat; verum etiam adhibetur ad significandum *socium, collegam, cooperatorem;* et in hac posteriori significatione vocem illam ab Apostolo adhibitam fuisse ostendit

a) genus masculinum appositi "γνήσιε." Licet enim, ut optime adnotat in hunc locum Estius, "vox illa σύζυγος attico more pro feminino possit usurpari, non tamen verisimile est a Paulo factum id esse, ut qui imperitus erat sermone, nec Atticismis utebatur. Certe ad tollendam sermonis ambiguitatem potius dixisset γνησία quam γνήσιε, si mulierem se alloqui significari voluisset: quomodo Aristoteles Atheniensis philosophus, etiam extra amphiboliam lib. 9. hist. animal. cap. 32., dixit γυναῖκα γνησίαν, non γνήσιον, significare volens uxorem germanam et legitimam. Unde non inepte (quod putat Erasmus) commentarium de uxore Theophylactus refellit, cum dicit Apostolum, si suam uxorem intelligi voluisset, debuisse dicere genere feminino γνησία σύζυγε."

b) Insuper Patres, ex. gr. Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Epiphanius, Theodoretus et alii, diserte negant Paulum uxorem habuisse, nec quemquam Patrum aliter sensisse invenies, si unum excipias Clementem, nempe, Alexandrinum, qui tamen—idque etiam solum sufficit ad doctrinam adversariorum nostrorum refellendam,—aperte declarat Paulum uxoratum fuisse, sed continentem.

c) Veteres omnes versiones omnino excludunt significationem uxoris in textu citato; in masculino enim genere vertunt vocem controversam. Syriaca habet: "*Mi vere sodalis;*" Æthiopica: "*Frater mi, et socie mi;*" Arabica: "*O candide Syzyga.*"

d) Verba Pauli non ad ejus uxorem referenda esse tenent Protestantes interpretes notissimi.

"Σύζυγος," ait H. Grotius (Annot. in Epist. ad Philip. IV. 3.), "non tantum dicitur de junctis matrimonio, verum etiam de collegis. Quem autem Philippis potius collegam vocaret Paulus, quam τοῦ πρεσβυτέρων προεστῶτα, cujus summa erat etiam in pecuniis elargiendis auctoritas? Ad Epaphroditum ergo per ἀποστροφὴν se vertit oratio, tamquam præsentem futurum, ubi epistola hæc in Ecclesia Philippensium legeretur. Nec aliud hic σύζυγος, quam supra συνεργός. Ei igitur commendat τὰς πρεσβύτιδας, sive τὰς προκαθήμενας, viduas nempe seniores, ut eas vocat Ferrandus diaconus, quæ in convertendis ad Christum femi-

nis aliis plurimum laboraverant. Commendat autem in hoc, ut habeant, unde se et suos honeste sustentent. In Judæa non fuerant necessariæ aut πρεσβύτιδες tales, aut etiam feminæ διάκονοι, quia liberior ibi viris erat aditus ad feminas. In Græcia clausæ gynaeconitis itaque feminæ per feminas prima christianismi cognitione imbui, et sic ad Ecclesias pertrahi debebant. Eædem πρεσβύτιδες mulieribus conversis erant σωφρονίστριαι, morumque inspectrices et magistræ."

Et Rosenmüllerius (Schol. in Ep. ad Phil. IV. 3.) ait: "Σύζυγος non tantum dicitur de matrimonio junctis, verum etiam de collegis, ut sit pro συνεργός. Intelligit igitur episcopum, vel primum inter presbyteros Philippenses. Epaphroditum nonnulli fuisse existimant, ad quem per αποστροφήν se vertat oratio, tamquam præsentem futurum, ubi epistola hæc in Ecclesiæ Philippensium legeretur. Alii σύζυγον existimant fuisse nomen proprium." (1)

e) Demum verba Pauli nobis objecta non esse ad uxorem ejus referenda rectissime infertur ex aliis ejusdem Apostoli verbis, I. ad Cor.

(1) D. Whitby D. D. hæc habet (A comment. on the Gospels and Epistles of the New Test. Philipp. IV. 3.). Σύζυγε, *Yoke-fellow*.—That this yoke-fellow cannot be Paul's wife is certain; because he declares himself an unmarried man, I. Cor. VII. 7. i. e., either a virgin or a widower. Secondly, because a woman cannot be styled γνήσιε, but γνησία σύζυγε. It is unlikely he should mean Epaphroditus, he being not then at Philippi, but with him at Rome (ver. 18.): it may be therefore one of the rulers of the church, whom he saluted in front of this epistle."

Lic. Aug. Wiesinger (In continuation of the work of Olshausen, Philipp. IV. 2. 3. transl. from the German by Rev. J. Fulton, A. M., Garwald. Edinburgh 1851. pag. 125.) adnotat: "The expression σύζυγος, properly 'joined to the same yoke,' hence 'partner,' 'fellow labourer,' occurs only here, though the figure from ζυγός is common in various applications. . . . . . As to the question who the person is whom the apostle here addresses, to this all imaginable answers have been given. It is the wife of the apostle say some, misled by a false interpretation of I. Cor. IX. 5., comp. I. Cor. VII. 7., or according to others, it is the husband of one of the women, and so forth. Those opinions are alone worthy of notice according to which the person here addressed is either Epaphroditus, or a person set over the church at Philippi, into whose hands the epistle was probably first put, or that according to which σύζυγε is treated as a proper name, the appellative signification of which is indicated by γνήσιε, of the same nature as the play on the name Onesimus, which occurs at Philem. 11. There is least to be said in favour of the first view, for it is scarcely to be supposed that the apostle would address by letter Epaphroditus, who was still with him, and who is not included among those for whom the epistle was intended (comp. also II. 25–30.). The second is the most probable, unless it be thought preferable to take σύζυγε as a proper name, a view which was not unknown to Chrysostom, and has most recently been adopted by Meyer. What Van Hengel has objected to it is without weight."

VII. 7. 8.: "Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. . . . . . Dico non nuptis et viduis: bonum est illis *si sic permaneant, sicut et ego.*"

4. Apostolus, I. ad Tim. IV. 1–3., prædicens doctrinam "*prohibentium nubere,*" eam appellat doctrinam dæmoniorum.—Ergo matrimonium jure divino ita liberum est, ut a nemine ulli prohiberi possit.

Resp. *Dist. Ant.*—Doctrinam prohibentium nubere damnat Apostolus in eo sensu quo postea hæretici, ut Tatianistæ, Marcionitæ, Manichæi docturi essent de nuptiis, eas esse malas et prohibitas, ut aiunt Aug. lib. 30. cont. Faustum c. 4., Ambros., Chrysost. in illum locum Apostoli *C.* secus *N.*—Ecclesia vero nuptias non damnat ut malas sicut illi hæretici, nec absolute eas prohibet, sed solum sub conditione libera; liberrimam enim facultatem relinquit omnibus nubendi absolute, et solum exigit, ut ii, qui ordinari, vel ad dignitatem sacri ministri promoveri velint sponte, promittant continentiam. Uti ergo neminem cogit ad sacros ordines, sic neque ante eos ad continentiam: et qui libere sacros ordines suscipit, hoc ipso etiam sponte continentiam amplectitur.

5. Apostolus, ad Hebr. XIII. 4., ait: "Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus."—Ergo et sacerdotes uti conjugii jure libere possunt.

Resp. *N. Cons.*—Falsum enim est Apostoli textum sic intelligi, quasi nullum hominum ordinem a conjugio exclusum esse voluerit, ac proinde omnibus licitum sit connubium et honorabile, etiam clericis majoribus, eis nempe qui sponte continentiam voverunt, aut cœlibatus legi collum submisere. Et certe si sic Apostoli verba exposueris, ac τὸ *in omnibus,* pro singulis personis supponere velis, sequitur etiam inter fratres et sorores, inter matres et filios, honorabile esse connubium: quo quid a natura magis alienum, nedum a veritate fingi potest? Honorabile itaque intelligimus connubium in omnibus quæ ad ipsum pertinent, sive prolem, sive fidem, sive sacramentum spectemus:—vel, honorabile in omnibus, id est, apud omnes, quasi dicat Apostolus, interprete S. Fulgentio, "neminem debere conjugium infamare, etiamsi virginitatem sancte colat."—Vel denique in omnibus legitime conjunctis, sive sint juvenes, sive senes, sive pauperes, sive divites, sive Judæi, sive Græci, "connubium est honorabile, et thorus immaculatus." Et hæ

quidem expositiones commodæ sunt, si locus Apostoli *enuntiative* intelligatur.

Sed *præceptive* esse intelligendum, interpretes doctissimi censent, ut hoc modo ad conjugatos referatur: "Conjugium *sit* in omnibus vobis honorabile, et thorus immaculatus;" id est, præcipio vobis, quicumque in conjugio vivitis, ut ei quem par est honorem habeatis, nec conjugii fidem violetis, nec aliquid perpetretis, quo thori conjugalis puritas inquinari possit. Illa igitur Apostoli verba præceptum continent commendans conjugii fidem legitimumque usum. Paulum enim hic præcepta morum tradere verba immediate sequentia pene evidenter ostendunt: "Fornicatores," inquit "et adulteros judicabit Deus:" quasi rationem reddat cur honestum conjugii usum præceperit his verbis: "Honorabile comnubium in omnibus, et thorus immaculatus."

Sed quoquo modo accipiatur, certe de sacerdotibus, aut de his qui virginitatis votum emiserunt, intelligi non posse ex omnium Patrum doctrina colligitur. S. Chrysostomus ad Theodorum lapsum ita scribit: "Legitima et justa res est conjugium; et ipse confiteor: 'honorabile connubium,' inquit, 'et cubile immaculatum:' sed tibi jam non est integrum connubii jura servare. Cælesti enim Sponso semel junctum, illum relinquere, et uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est: quamvis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen et adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Deus."

6. Cum ageretur in Concilio Nicæno de *nova lege* inducenda, qua illi qui essent *sacris initiati non uterentur uxoribus legitime sibi ante ordinationem consociatis,* Paphnutius, episcopus Ægyptius, ac singulari castimonia commendatissimus, vehementer vociferatus est: grave hoc jugum clericis et sacerdotibus non esse imponendum, ac satis esse ut qui in clerum fuissent ascripti juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxorem ducerent. Ita referunt Socrates, Hist. Eccl. l. 1. cap. 11., et Sozomenus Hist. Eccles. libr. 1. cap. 23., qui addunt quod in Paphnutii sententiam concedentibus universi Concilii Patribus, controversia sedata est, et potestas permissa cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi.

Resp.—*a*) Historiam Paphnutii ceu fabulam rejiciunt Baronius, Bel-

larminus, Arcudius, Thomassinus, Muratorius, Bollandistæ, aliique eruditissimi scriptores rerum ecclesiasticarum.

b) Admissa etiam historia ut vera, Patres Nicæni id solum voluerunt, non esse pœnis animadvertendum in clericos, qui continentiam non servabant cum uxoribus, ex œconomia quadam ne majus malum redderent quasi dissimulando malum, quod invaluerat, cui vix mederi se posse credebant.

Quapropter, narratio Socratis atque Sozomeni Protestantibus nullatenus patrocinatur, qui contendunt posse ordinibus sacris initiatos inire conjugium.

7. Synodus Ancyrana, an. 314. can. 10. permisit ut in officio manerent diaconi qui in sua ordinatione protestati essent velle se nuptias inire, dein vero uxores duxissent.

Resp.—Concilium Ancyranum illos spectabat qui ad ordinationem repugnantes veluti rapiebantur, prout non raro illa ætate contingebat. Etenim qui renitentes adducebantur ad suscipiendam manuum impositionem, quandoque sive ex animo, sive ad ordinationem vitandam, affirmabant sibi haud possibilem esse perfectæ castitatis custodiam: de iis mota fuit quæstio an per manuum impositionem adstricti essent ad cœlibatum, et a conjugio in perpetuum exclusi: et eis Ancyrana Synodus veniam fecit, ut matrimonium inirent.

8. Sacro ministro licebit saltem uxorem ducere, si post susceptos ordines sacros ipsi ob vehementes tentationes periculum sit incontinentiæ; ait enim Apostolus, I. ad Cor. VII. 2., "propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat." Et ibid. v. 9.: "Si non se continent, nubant; melius enim est nubere, quam uri."—Ergo.

Resp. *N. Ant.*—Apostolus enim, primo testimonio cit., de conjugatis loquitur, qui cum in infidelitate duxissent uxores, post conversionem dubitabant, an iis uti liceret; atque his respondet, ut unusquisque uxorem suam retineat et conjugale debitum reddat. Ita explicant Tertull., Hieron., aliique Patres; et probatur ex contextu; nam vers. 5. ait: "nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram." Hæc autem solos conjugatos spectant.

Altero vero testimonio Apostolus solutos alloquitur, sed eos tantum qui nullo voto sunt impediti, et his quidem solum *suadet* matrimonium, non *præcipit;* ait enim: "hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium;" quibus supponit eos adhuc aliis modis superare posse tentationes, quam solo matrimonio.—Non autem hic ab Apostolo comprehendi etiam voto obstrictos, patet ex I. ad Tim. ver. 12. ubi de viduis, quæ post datam Christo promissionem fidei, sive pactum servandæ continentiæ, volebant nubere, dicit: "Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt."

9. Quid ergo remedii clericis, si post ordines continentiam servare non possint? Ergo necesse est eos perire?

Resp.—*a*) Quid remedii marito, si ob infirmitatem uxoris uti matrimonio non possit, et tamen tentetur incontinentia?

b) Quilibet, si continere se velit, potest, modo debita remedia adhibeat. Oret, sobrietatem colat, pericula fugiat, aliaque præstet quæ a magistris vitæ spiritualis præscribuntur, et divina adjuvante gratia vota Deo reddet quæ promiserat.

Denique, mala quæ cœlibatum consequi jactant adversarii, vel, ut verbis utar P. Hurter (Theol. Dogm. tom. 3. n. 638.), *a*)—exaggerata aut etiam conficta sunt; vel *b*)—retorqueri possunt in quemlibet vitæ statum, etiam in ipsum matrimonium; probant siquidem solum, nihil sub sole esse perfectum, atque homines, quamdiu hic vivunt, admodum esse fragiles. Hinc *c*)—si nimis urgentur, sequeretur quoque, licita esse adulteria, polygamiam etc., nam matrimonium *unius cum una* idque *indissolubile* multa etiam ex hominum malitia consequuntur incommoda et mala. Ceterum *d*)—consulimus hisce *orbis curatoribus,* ut eos belle Chrysostomus, *de virg.* n. 14., vocat, ut prius quam ex oculis cleri eruant festucam malorum, quæ cœlibatum propter hominum fragilitatem subinde consequuntur, ad crimina sive propria, sive aliorum conjugatorum respiciant, cum fatente ipso Voltaire (apud de Maistre, *du Pape* libr. 3. cap. 3.) vel tristissimis Ecclesiæ temporibus laici etiam conjugati clericis non conjugatis semper pejores fuere.

DE MATRIMONIO

NOTIONES PRÆVIÆ.

Matrimonium ab initio, ut naturalis conjunctio ad propagandum genus humanum, a Deo institutum, in nova lege ad dignitatem veri et proprie dicti sacramenti a Christo evectum fuit:—prius igitur quam matrimonium ut est sacramentum consideretur, pauca saltem quæ matrimonium secundum se et ut est in officium naturæ spectant præmittenda sunt.

Et in primis ad nomen quod attinet, matrimonium "ex hoc appellatum est," ait S. Augustinus, l. 19. contra Faustum c. 26., "quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat."—Nuptiæ vero ad significandum matrimonium dicuntur a velo, quo caput sponsæ, sive apud hebraicum populum, sive inter gentes, obvolvi solebat in matrimonii celebratione.—Connubium etiam eadem ratione, a *nubo* seu *velo* derivatum, ad unionem matrimonialem designandam adhibetur.—Demum matrimonium vocatur conjugium a conjungendo, eo quod cum viro uno quasi jugo legitima mulier adstringatur.

Matrimonium in officium naturæ duplici ratione sumitur, scilicet, *active* seu *in fieri* quatenus actione transeunte perficitur, et *passive* seu *in facto esse* quatenus status est ex illa actione resultans atque permanens.

Matrimonii *active* sumpti definitio hæc communiter inter theologos antiquiores recepta fuit:—Contractus legitimus quo mas et femina, jure habiles, mutuo sibi tradunt jus in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitæ societatem.—*Passive* autem sumptum, sive *in facto esse*, matrimonium ab iisdem theologis, definiebatur:—Viri et mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinens. *Conjunctio* dicebatur, scilicet, in esse et habitualiter permanens; *maritalis*, ad significandam potestatem utriusque conjugis in corpus alterius;

inter legitimas personas, quoniam ii qui ex legibus quibus matrimonia reguntur a nuptiarum conjunctione exclusi sunt, matrimonium inire non possunt, et si illud inire tentaverunt, validum seu verum matrimonium certe non fuit; *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ad declarandam indissolubilis vinculi naturam, quo vir et uxor colligantur.

Recentioribus quibusdam theologis sequentes magis definitiones arrident:—Matrimonium *in fieri* est contractus quo vir et mulier conjunguntur in unum procreandæ et educandæ prolis principium:—matrimonium *in facto esse* est legitima viri et mulieris societas in unum procreandæ et educandæ prolis principium.

Verum hæ definitiones, secundum sensum, ab aliis quas retulimus sane non differunt. In omnibus enim exprimitur nota quæ societatem matrimonialem a ceteris societatibus omnino discernit; nimirum quod constituta sit ut *conjunctio maritalis*, ac proinde sit societas in qua principium completum habeatur procreandæ prolis et educandæ, in qua potestas data sit utrique conjugi in corpus alterius in ordine ad filiorum procreationem.—Quod et primus humani generis parens, divino instinctu matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum pronuntians, indicavit cum dixit (Gen. II. 24.): "Relinquet homo patrem suum et matrem et *adhærebit* uxori suæ, et erunt *duo in carne una*." Quibus verbis tum *permanentem* et *indissolubilem societatem* viri et mulieris, tum *unitatem principii generativi* seu *carnis* designavit.

Ex dictis quas subjungimus deductiones, sponte veluti sua, fluunt:—

1. Essentia matrimonii *active* sumpti, prout est contractus, consistit in mutuo maris et feminæ, si lege habiles sint ad contrahendum, consensu exterius expresso, quo mutua traditio fit juris ad actus conjugales exercendos. Ratio patet: omnis enim contractus essentialiter est duorum vel plurium in idem consensus externe expressus; et traditio mutua juris ad actus conjugales determinat specificam naturam contractus matrimonialis.

2. Essentia matrimonii *passive* sumpti, seu *in facto esse*, consistit in vinculo ex contractu resultante, quo vir et mulier conjuncti permanent in uno procreandæ et educandæ prolis principio per matrimonii contractum constituto.

3. Usus matrimonii licitus est et per se honestus:—Deus enim naturam humanam ita condidit ut in ratione principii fecundi ad sui pro-

pagationem neque in mare seorsim, neque in femina reperiatur, sed in utriusque conjunctione, et voluit ut per usum matrimonii, in quo illud principium aptum ad sobolis procreationem et educationem invenitur, genus humanum propagetur.—"Et creavit Deus hominem ad imaginem suam . . . . masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram" (Gen. I. 27. 28.).—"Respondens [Jesus] ait eis: Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet" (Matth. XIX. 4–6.).

4. Usus seu actus conjugalis non est de essentia matrimonii quomodocumque sumpti:—usus enim et operatio rei non est de ejus essentia, cum res ad ejus usum et operationem præsupponi debeat.— Adamum inter et Evam verum matrimonium fuit antequam e Paradiso ejecti commiscerentur; et verum ac proprii nominis matrimonium fuit, ut ex Scripturis et ex Patrum doctrina patet, inter Sanctum Josephum et Beatissimam Virginem Mariam, inter quos nullam prorsus conjunctionem conjugalem intercessisse fide tenemus.

5. Matrimonium stare potest cum proposito, immo etiam cum simplici voto non utendi emisso, sive ante, sive post matrimonium. Propositum namque aut non utendi votum, ut patet, attingit usum tantum matrimonii, nec impedit traditionem mutuam juris in corpora ad actus conjugales quæ essentialiter requiritur in matrimonio. Præterea jus illud in actu primo ad usum corporis alterius dici nequit nugatorium ac prorsus inutile, cum præstet 1. ut neutra pars sine compartis injuria possit alteri dare usum sui corporis. 2. Ut si copula fiat inter eos qui cum mutua traditione juris statuerant non uti matrimonio, vel votum hac de re emiserant, copula hæc conjugalis sit non fornicaria, et proles ex hac copula non sit illegitima. 3. Ut possit licite jus traditum ad usum matrimonii in actum redigi proposito illo mutuo non amplius perdurante, aut voto sublato.

Matrimonium jam a mundi exordio sacramentum fuisse aiunt Patres, si nomen sacramenti lato sensu accipiatur, nempe prout quodcumque rei sacræ signum significat. Etenim primum Adami et Evæ, in statu innocentiæ, matrimonium, et deinceps matrimonium in statu naturæ

lapsæ, ante Christi adventum celebratum, typus erat rei sacræ, scilicet unionis Christi cum Ecclesia ; mystice enim significabat Filii Dei e sinu Patris humanæ naturæ assumptione in terras futurum adventum, et cum Ecclesia sua indissolubili amoris vinculo futuram conjunctionem.

Quam matrimonii primitus instituti et ante Christi adventum celebrati significationem, Patres nonnulli et scripturarum interpretes celeberrimi aiunt Paulum Apostolum declarare voluisse in Epistola sua ad Eph., v. 31. 32., his verbis : "Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia [*ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν*]."

"Magnum sacramentum ipse [Paulus] dicit," in hunc locum S. Joannes Chrysostomus (Homil. 20.) inquit, "quia magnum quid et admirabile tacite significavit beatus Moyses, imo vero Deus: interim autem dicit, *in Christo dico*, quoniam et ipse dimisso Patre descendit, et venit ad sponsam, et factus est in spiritum unum: *Qui adhæret* enim *Domino, est unus spiritus* (I. Cor. VI. 17.)."

Et S. Hieronymus, Commentar. in Epistolam ad Ephesios, lib. 2. c. 5. vers. 31., postquam animadverterit Apostolum verba illa "propter hoc relinquet homo" etc. desumpsisse ex Vetere Testamento, prosequitur: "Idipsum autem per allegoriam in Christo interpretatur, et in Ecclesia: ut Adam Christum, et Eva præfiguraret Ecclesiam. Factus est enim novissimus Adam in spiritum vivificantem (I. Cor. XV. 45.). Et quomodo de Adam et uxore ejus omne hominum nascitur genus, sic de Christo et Ecclesia omnis credentium multitudo generata est. Quæ unum Ecclesiæ corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur (Joan. XIX. 34.), et costæ locum replet (Gen. II. 21.), et unum viri corpus efficitur, ipso Domino id in Evangelio postulante: 'Pater, da, ut quomodo ego et tu unum sumus; sic et ipsi in nobis unum sint' (Joan. XVII. 21.)."—Et paulo post: "Primus enim homo, et primus vates Adam, hoc de Christo et Ecclesia prophetavit: quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, et venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit (Joan. XIX. 34.), et propter illam Verbum caro factum sit (Joan. I. 14.)."

Porro Matrimonium quod ab initio fuit contractus naturalis, typice

repræsentans futuram Christi et Ecclesiæ conjunctionem, jam ex Christi institutione factum est in nova lege signum practicum sanctificationis, seu signum ex opere operato conferens rite dispositis gratiam sanctificantem, ac proinde veri et proprii nominis novæ legis sacramentum. Et hoc sequenti articulo demonstrabimus.

ARTICULUS PRIMUS

De existentia sacramenti matrimonii.

Hæreticos veteres, Gnosticos, Manichæos et alios, cum dixerint matrimonium a Deo non esse et nuptias ut malas damnaverint, veritatem sacramenti matrimonii negavisse patet. Novatores vero sæculi XVI., licet honestatem et originem divinam matrimonii ultro fateantur, eidem tamen dignitatem veri sacramenti eripere conati sunt.

Adversus hæreticam eorum doctrinam, Concilium Tridentinum sess. 24. can. 1. definivit: "Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit."

Ad veritatem itaque fidei defendendam proponitur

THESIS I.

Matrimonium est vere et proprie legis evangelicæ sacramentum.

I. Celebre testimonium Scripturarum, in quo veritas quam defendimus innuitur, ut Synodus Tridentina docuit (sess. 24., proemio de matrimonio), est illud Pauli in Epistola ad Ephesios, v. 22–32.

Apostoli hæc sunt verba: "Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut ali-

quid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia."

Jam vero ex his verbis deduci posse contendimus matrimonium christianorum esse signum collativum gratiæ sanctificantis cum jure ad gratias actuales ut munera quæ ex matrimonio assumunt implere valeant.—Hoc si ex Apostoli verbis mox citatis deduci poterit, sane patebit iisdem innui, et ex illis posse deduci matrimonium vere et proprie legis evangelicæ sacramentum esse: cum in hac lege vere et proprie sacramentum appelletur signum, quod vi sua instrumentali, *ex opere operato*, conferat gratiam sanctificantem cum jure ad speciales gratias actuales a Deo conferendas.

Deduci autem posse ex verbis mox citatis, Apostolum docuisse matrimonium christianorum esse signum gratiæ sanctificantis collativum, constat quia

1. In illis verbis de conjugio christianorum loquitur. Nam etsi admitti possit, ut superius declaravimus, Apostolum in ultima parte textus citati alludere ad matrimonium protoparentum, et dicere illud, omneque deinceps matrimonium usque ad Christi adventum, fuisse typum futuræ unionis Christi cum Ecclesia sua;—indubium tamen est id Apostolum dixisse occasione sumpta ab officiis fidelium conjugatorum, de quibus loquebatur, et quæ inculcabat; ac proinde in toto contextu, ex quo argumentum desumimus, de christianorum matrimonio Apostolum loqui; et in ultima parte textus non solum de quocumque matrimonio legitimo ab origine mundi celebrato usque ad Christi adventum, sed etiam, immo præcipue, de matrimonio fidelium.

Et sane illos alloquitur Apostolus, quibus Epistola ejus directa fuit: hæc vero, ut ver. 1. cap. 1. ejusdem Epistolæ legimus, missa fuit "omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu."—Illis omnibus, in cap. v., dixerat et commendaverat (vv. 8–10.; 18–21.): "Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis

ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. . . . . Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus: cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Subjecti invicem in timore Christi."—Et statim, post hæc quæ respiciunt omnes fideles in quocumque statu inveniantur, monitiones et adhortationes suas dirigit Apostolus ad conjugatos fideles (v. 22. et seq.): "Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. . . . .Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea" etc.

Cum igitur (ver. 31.) Paulus refert hæc verba Geneseos: "Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una;" et addit (ver. 32.): "Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia;"—declarat omne quidem legitimum conjugium fuisse et esse signum magnum rei sacræ, nimirum conjunctionis Christi cum Ecclesia; sed ita tamen ut conjugia quæ hanc conjunctionem præcesserant, eam imperfecto modo futuram adumbrarent; matrimonia vero fidelium in nova lege perfecte eamdem unionem jam factam repræsentarent.

2. Ex verbis Apostoli deduci potest matrimonium fidelium esse signum *vi sua* instrumentali conferens gratiam sanctificantem.

Quod primo ex præcedenti conclusione merito inferimus.—Nam si verum est, quod non ambigitur, Christum Dominum Ecclesiæ sponsæ suæ, quam sanctificavit et jugiter sanctificat, per gratiam conjunctum esse;—Christus enim, ut ait ipse Apostolus, verbis superius citatis, "dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata;" et in alio loco ejusdem Epistolæ (IV. 16.): "Christus, ex quo totum corpus [Ecclesiæ] compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate;"—si, inquam, Christus gratia sanctificante, et jugi influxu gratiarum Ecclesiæ suæ dilectæ conjunctus est;—quoniam matrimonium fidelium hanc conjunctionem perfecte repræsentat, recte inferimus, per hoc

matrimonium in nova lege conferri a Deo conjugibus fidelibus, rite dispositis, gratiam sanctificantem, et ratione ejusdem christiani connubii deinde dari gratias actuales quibus conjuges status matrimonialis onera ferant, munera impleant, et hac impletione sanctificentur.

Vetera connubia, *imperfecte futuram conjunctionem* Christi et Ecclesiæ significare debebant, ideoque *non requirebant* ut in eorum celebratione Deus *vi signi* conjugibus sanctificantem gratiam infunderet;—conjugia vero fidelium in nova lege, *ad perfecte conjunctionem quæ existit inter Christum et Ecclesiam repræsentandam, requirunt* ut Deus conjugibus christianis gratiam tribuat, qua Christus, *eo quod Ecclesiam sibi desponsavit,* eidem Ecclesiæ conjunctus est. Hinc Deus, auctor omnis conjugii, cum voluerit matrimonium christianorum esse signum perfecte repræsentans unionem supernaturalem per gratiam quæ intercedit inter Christum et sponsam ejus Ecclesiam, *vi matrimonii,* idest, *signi,* christianis, rite dispositis, quos matrimonio conjungit, gratiam sanctificantem elargitur, sine qua supernaturalem illam unionem *perfecte* non repræsentarent.

Conclusio hæc confirmatur et illustratur sequenti pacto.—Si christianorum conjugium significat *speculative* tantum unionem quæ per gratiam sanctificantem adest Christum inter et Ecclesiam, et *practice* non confert conjugibus gratiam sanctificantem; conjugium christianum *in ratione signi* conjugiis ante Christum legitime celebratis non præstat, quoniam et illi eamdem unionem *speculative* significabant. Sed hoc nequit admitti: ex verbis enim Pauli superius citatis aperte constat matrimonium christianorum perfectiori ratione unionem jam factam inter Christum et Ecclesiam repræsentare.—Ergo matrimonium christianorum non modo *speculative,* sed etiam *practice* hanc unionem significat, quatenus nempe confert *vi sua* illam gratiam sanctificantem, qua Christus Ecclesiam sanctificavit et sibi in perpetuum desponsavit.

Præterea, alia demonstratio ejusdem enunciati deduci optime potest ex muneribus quæ, juxta doctrinam Apostoli, *ratione matrimonii,* fidelibus conjugatis omnibus incumbunt.

Uxoris munera expresse docuit Apostolus, vv. 22–24.—Uxor, inquit, in mente et in corde impressum hoc habeat, nimirum, se, statu suo, Ecclesiam Christi repræsentare; et huic repræsentationi debere esse fidelem. Sicut ergo Ecclesia *supernaturaliter* Christum reveretur, Christum amat

et colit; ita uxor, *supernaturali obedientia et dilectione*, sit subdita viro suo, ab eo veluti a capite pendeat, ipsi confidat, tamquam tutori et servatori, ipsum diligat tamquam nobiliorem sui partem, ipsi fideliter obediat, ipsum revereatur.

Vicissim viri conjugati munera expressit Apostolus, vv. 25–29.—Vir conjugatus, ait Paulus, in se imaginem Christi refert sponsæ suæ Ecclesiæ indissolubili vinculo jam conjuncti; ideoque, amor Christi erga Ecclesiam, exemplar et regula sit amoris quo maritus uxorem suam prosequatur. Amet itaque christianus vir uxorem suam, sed pure, supernaturaliter, sancte;—amet vigilanter et laboriose, sed præcipue in uxorem suam christianas virtutes suspiciat, et curet, quantum in se est, ut ea illas acquirat, et in illis excellat;—amet, sed auctoritatem ab amore non separet, sicut Christi auctoritas et amor in Ecclesiam suam sunt inseparabiles.

Sed munera hæc a conjugibus christianis, ratione matrimonii quo ligantur suscepta, impleri nequeunt, ut patet, sine auxiliis supernaturalibus et charitate, quæ a gratia sanctificante non disjungitur: Deus autem non deest in necessariis, nec imponit obligationes, quin simul, unde impleri possint, conferat.—Ergo cum Deus, conjugibus christianis, ratione matrimonii in nova lege suscepti, munera imponat quæ impleri nequeunt sine auxiliis supernaturalibus, et charitate quæ a gratia sanctificante non separatur; Deus ipse infundit conjugibus christianis matrimonium celebrantibus gratiam sanctificantem cum charitate, et eisdem conjugibus cum gratia, vi signi sacri seu matrimonii infusa, dat jus ad gratias actuales quibus munera unionis eorum conjugalis implere et actus illarum supernaturalium virtutum in conjugali statu perficere valeant, quibus christiani conjuges Christum Ecclesiæ perenniter conjunctum eamque supernaturali ac perfectissimo amore diligentem vere repræsentent.

II. Alius Scripturarum locus in quo, juxta Patrum interpretationem, declaratur sanctitas christiani connubii, quod gratiam confert fidelibus contrahentibus, ad eorum sanctificationem, est illud Joan. II. in quo narratur Christum nuptiis in Cana Galilææ celebratis adfuisse et ea occasione primum miraculum, quo gloriam suam manifestavit, edidisse.

Hac de re testimonia Patrum audiamus.

Sancti Cyrilli et Concilii Alexandrini Epistola Synodica Nestorio

directa et approbata in Œcumenica Synodo Ephesina, duodecim continens anathematismi capitula, paulo ante anathematismos, (Labbe, t. 3. p. 417.), hæc habet: "Illud quoque quod dictum est, in tristitia paries filios, ipse [Christus] dissolvens, verum esse monstravit quod prophetæ voce prædixerat: absorpta est mors in victoria; et iterum, abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Propter hanc etenim causam dicimus eum dispensatorie et *ipsis benedixisse tunc nuptiis* cum in Cana Galileæ, cum sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus est."

Hanc doctrinam idem S. Cyrillus fusiori calamo declaravit in Commentariis suis super Evangelium S. Joannis. Nam, l. 2. in illa verba: "Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ; et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias," inquit: "Opportune ad patranda miracula Christus aggreditur, licet fortuito ad ea vocatus videatur. Nam cum nuptiæ celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac propterea *generationis humanæ principium sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut qui naturam ipsam hominis renovaturus ac totam in meliorem statum revocaturus erat, non solum iis qui jam in ortum vocati erant benedictionem impertiret, *sed et iis quoque qui postea nascituri essent gratiam præstrueret, et eorum ortum sanctum efficeret.*"

Eamdem doctrinam exponit S. Augustinus (Tract. 9. in Joan. n. 2.). "Ad hoc ergo Dominus," inquit, "invitatus venit ad nuptias, *ut conjugalis castitas firmaretur*, et ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est, 'servasti bonum vinum usque adhuc.' "—Et S. Maximus Taurinensis (Hom. 23. de Epiph. 7.): "Vadit ergo," ait, "ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit, *tunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet.*"

Nec aliter S. Epiphanius loquens de hoc mysterio vitæ Christi (Hær. 51. num. 30.).—Hæc sunt ejus verba: "Duabus mihi de causis videtur invitatus esse Christus. Primum ut aquæ similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem *nuptiarum castimonia et honestate* constringeret; tum ut quod deerat emendaret, ac jucundissimi vini suavitate mulceret et gratia; nec non et eorum obturaret ora, qui

adversus Dominum insurgunt. Atque ut eumdem se cum Patre et Spiritu Sancto declararet esse Deum, qui humorem viti suppeditans, in vini colorem ad hominum voluptatem oblectationemque commutat."

Similiter nuptias christianas Christum sanctificasse, idque significatum voluisse adventu suo ad nuptias quæ in Cana Galileæ celebratæ fuerunt, docent S. Joannes Damascenus (de fide orthod. l. 4. c. 24.) et alii Patres. Quin immo tota Ecclesia Græca id proclamat, cum in "Officio coronationis," seu celebrationis nuptiarum, a Diacono hæc dicenda præscribit: "Ut benedicantur hæ nuptiæ, sicut in Cana Galileæ, Dominum precemur;" et a sacerdote hanc Orationem recitandam: "Deus illibatæ et omnis creaturæ opifex, qui per humanitatem tuam primi parentis Adæ costam in mulierem transformasti, et benedicens eis dixisti 'Crescite et multiplicamini et dominamini terræ;' et ipsos ambos per conjugium unum corpus esse voluisti, propterea namque derelinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una; et quos Deus conjunxit homo non separet . . . qui per inexplicatum donum tuum et humanitatem plurimam in Cana Galileæ advenisti, et nuptiis ibidem celebratis benedixisti . . . . . . ipse, sanctissime Domine, suscipe nostras famulorum tuorum preces, et *hic sicut et ibi, invisibili tua protectione advenias.* Benedic nuptiis istis, et famulis tuis N. N. vitam pacificam . . . in filiis gratiam, immarcescibilem gloriæ coronam præbe" etc.

III. Tertia demonstratio thesis nostræ exurgit ex perpetuæ Traditionis documentis, quæ ostendunt matrimonium evectum fuisse in nova lege ad dignitatem veri et proprie dicti sacramenti, ita ut per illud a Deo gratia sanctificans conjugibus christianis et rite dispositis conferatur.

Documenta hæc multiplicis generis sunt. Primo commemoramus ea quæ inveniuntur in Sacramentariis et Ritualibus, in quibus referuntur ritus et preces ab Ecclesia adhibiti in collatione sacramentorum: lex enim credendi ipsa supplicandi lege fit manifesta.

Euchologium Græcorum in Officio coronationis mox citavimus; quid præter ea quæ retulimus, quæque per se jam sufficienter enunciatum nostrum confirmare possent, habeat audiamus. — Sacerdos Græcus orat: "Benedictus es Domine Deus noster, mysticarum et illibatarum nuptiarum mystes, et corporearum legislator, incorruptionis

custos et eorum quæ ad vitam conducunt prudens administrator. . . . . Ipse et *nunc* dominator Domine Deus noster, *emitte supercœlestem gratiam tuam* super hos tuos N. et N. et da puellæ huic in omnibus viro subjici, et servum tuum hunc caput esse uxoris, ut *secundum beneplacitum tuum* vivant" etc.—Deinde dicit: "Domine Deus noster, qui in tua salutari dispensatione, tua præsentia honorandas nuptias declarare dignatus es: ipse et nunc famulos tuos N. et N., quos ad invicem conjungi tibi complacuit, in pace et concordia conserva; honorandas eorum nuptias ostende; incoinquinatos eorum thalamos custodi; immaculatam eorum conversationem permanere jube; et in corde puro mandata tua operantes, profundam senectutem eos attingere concede. Tu enim es Deus noster, etc."—Alia etiam ad rem nostram ex Græcorum ritu hic possent afferri; sed brevitatis causa mittere illa cogimur.

Apud Armenos sacerdos, dum benedicit nuptiis, adprecatur: "Benedic, Domine, istorum conjugium benedictione perpetua et concede, ut *per hanc gratiam* isti *fidem*, *spem*, et *charitatem* custodiant: dona eis mentem sobriam, cogitationes pias . . . . . . sanctum conserva istorum cubile, ut *omni ex parte roborati*, in tuo beneplacito perseverent."

De ritibus Cophtorum Jacobitarum eruditissime disserens Joannes Bapt. Sallerius, S. J. (Vid. Act. Sanct. pro mense Junii t. 7. edit. Palmé 1867. p. 23.) hæc habet: "Inter sacramenta verum et proprium habere locum [matrimonium], ut cetera omittam, ex eo aperte conficitur, quod sacerdos nubentibus assistens, et consuetas preces recitans, *identidem* repetat *gratiam contrahentibus ex ea susceptione* conferri. Omnia ordinate procedunt: præmittuntur sponsalia, caventur impedimenta, mutuus consensus et acceptatio expresse declarantur, iisque rite peractis celebratur missa, sub cujus finem sponsus uterque, prævie confessus sacram Eucharistiam recipit, et in pace dimittitur. Quid hic ad sacramenti rationem deesse velint critici, haud equidem assequor."

Ad Syros Jacobitas quod attinet, in antiquissimis eorum libris Ritualibus, hæ similesque habentur clarissimæ preces: "Domine, tu creasti Adam patrem nostrum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: dedisti ei mulierem adjutorium simile sibi: benedixisti eis, et dixisti: *crescite et multiplicamini* . . . dixisti in Evangelio tuo: *propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*; et: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; rogamus te,

Domine, ut secundum multitudinem misericordiæ tuæ benedicas servis tuis N. N. qui veniunt in templum sanctum tuum, *ut in caritate spirituali uniantur*, et *auxilio gratiæ tuæ* nostrique ope ministerii corona nuptiali donentur: effunde super illos bona in omni vita sua, ut glorificent nomen sanctum tuum etc."

Deinde *ad sponsos sermonem dirigens sacerdos:* "Impleat vos Deus," inquit, "benedictionibus suis: det in cordibus vestris fidei firmitatem. . . . . . . Dies vestros in felicitate et concordia transigatis. Descendant super vos benedictiones cœlestes . . . det vobis Deus filios benedictionis et puritatis; ita ut ex eorum numero sacerdotes, et ministri sancti altaris eligantur . . . . benedic illis Domine. . . . *Confirma illos in spe, caritate, et fide, et in operibus justitiæ et fructibus benedictionis.* . . . . . Vere sponse animarum sanctarum, concede famulis tuis matrimonium obeuntibus, ut bonos mores virtutesque sectando, odorem suavitatis emittant: sit inter ipsos vera caritas, pax, concordia, tranquillitas, quam impetus passionum turbare non possint: *corrobora illos, ut simul perfectam animæ et corporis custodiant castitatem.*"

Et hic diligenter attendendum est illud quod egregie P. Perrone in opere "*de matrimonio christiano*" c. 1. a. 1., animadvertit. "Quanta sit Liturgiarum," inquit, "ac Sacramentariorum auctoritas ad Ecclesiæ fidem testandam ac patefaciendam nemo nisi hospes in theologicis disciplinis ignorat. Siquidem heic agitur non de testibus singularibus atque privatis, sed de collectivis et publicis;—agitur de vocibus integræ communionis seu Ecclesiæ;—agitur de testimonio concordi et solemni Ecclesiarum, licet interdum inter se non solum ritibus, verum etiam fide et communione dissidentium a pluribus sæculis;—agitur de testimonio sectarum, quæ a sæculo rei christianæ quinto, aut sexto separatæ sunt ab Ecclesia Romana seu catholica, quarum Euchologia vel paulo post separationem confecta sunt, seu potius antea, additis deinceps ac interjectis erroribus sectæ uniuscujusque propriis, quibus ipsæ antiquissima illa Euchologia corruperunt. Constat enim plerasque liturgias orientales apud Syros, Coptos, sive Monophysitas, sive Nestorianos ante eorum defectionem in usu fuisse. Qua de causa tam Monophysitæ quam Nestoriani cujuscumque sectæ sua repetunt Euchologia, Liturgias, ac Ritualia ab ipsis Apostolis; idem dic de Armenis, ceterisque, cujus rei monumenta esse possunt vel ipsa nomina Jacobi, Marci etc. quibus ejusmodi libri sunt

inscripti, saltem quatenus confecti sunt juxta ordinem ac documenta, quæ in absolvendis divinis officiis ac sacramentis administrandis Apostoli aut viri apostolici tradiderunt.—Præterea agitur de eo quod in usu quotidiano positum est, cujusmodi sacramentorum administratio est ac susceptio, ac proinde de manu, ut ita dicam, in manum transmittebatur.—Agitur denique de re summi momenti, nimirum de sacramentis, quorum doctrina singulari quadam cura fuit semper ab Ecclesia servata.—Est igitur Sacramentariorum, Euchologiorum, Ritualium, Liturgiarumque testimonium omni exceptione majus."

Nunc autem Ecclesiæ Latinæ testimonium in libris Ritualibus editum audiatur. In medium antiquissimum Sacramentarium Gelasianum proferatur, ut ex eo fides, quam a primis Ecclesiæ temporibus catholici profitebantur, clarissime constet.

Sic igitur "Incipit actio nuptialis," uti legitur apud Muratori (Liturgia Romana Vetus, t. 1. p. 721.) :—"Adesto, Domine, supplicationibus nostris : et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus adsiste : ut quod, te auctore, jungitur ; te auxiliante, servetur. Quæsumus, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio favore comitare : et quos legitima societate connectis, longæva pace custodi. Per."

Deinde. "Secreta.—Adesto, Domine, supplicationibus nostris : et hanc oblationem famularum tuarum *illarum*, quam tibi offerunt pro famula tua *illa*, quam ad statum maturitatis et ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus adsume : ut quod tua dispositione expeditur, tua gratia compleatur. Per."

"V. D. qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo et insolubili pacis vinculo nexuisti : ut multiplicandis adoptionum filiis sanctorum connubiorum fœcunditas pudica serviret. Tua enim, Domine, providentia, tuaque gratia ineffabilibus modis utrumque dispensat : ut quod generatio ad mundi edidit ornatum ; regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum."

Demum, quin omnia hic referam, ita benedictio nuptialis legitur : "Pater mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandæ originis institutor . . . hujus famulæ tuæ, pater, rudimenta sanctifica : ut bono et prospero sociata consortio, legis æternæ jussa custodiat ; memineritque, Domine, *non tantum ad licentiam conjugalem, sed ad observantiam*

fidei Sanctorum pignorum diligatam: fidelis et casta nubat in Christo imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel, viro suo; sapiens, ut Rebecca; longæva et fidelis, ut Sarra. Nihil ex hac subsitivus ille auctor prævaricationis usurpet: nexa fidei mandatisque permaneat fœminarum, serviens Deo vero: devota muniat infirmitatem suam robore disciplinæ, uni thoro juncta contactus vitæ illicitos fugiat. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita: sit fœcunda in sobole, sit probata et innocens: et ad beatorum requiem usque ad cælestia regna perveniat. Per."

"Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, iteratis precibus, te supplices exoramus, pro quibus apud te supplicator est Christus: conjunctiones famulorum tuorum fovere digneris: benedictiones tuas excipere mereantur; et filiorum successibus fœcundentur: nuptias eorum sicuti primi hominis confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici omnes insidiæ: ut sanctitatem Patrum etiam in ipso conjugio imitentur; qui providentia tua, Domine, conjungi meruerunt. Per."

Testimoniis Sacramentariorum et Ritualium, quæ retulimus, præ oculis habitis, testimonia Patrum, quæ subjungimus ad thesis nostræ confirmationem, clariora fiunt.

Itaque certum est, Tertullianum juxta fidem omnium christianorum matrimonium fidelium, tamquam verum et proprie dictum sacramentum, his verbis (ad uxorem, libr. 2. c. 9.) celebrasse: "Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet."

Ex eadem fide, S. Gregorius Nazianzenus, ineunte an. 385. in Epist. 193. quam scribebat Procopio, se excusans eo quod Olympiadis cujusdam conjugio non interfuerat, ait: "Sentio, quod crimen mihi objicias, etiamsi id reticeas. Nuptias celebramus, forsan dixeris, idque aureæ tuæque Olympiadis, ac grex episcoporum aderat: tu vero aberas, vir egregie, vel dedignatus vel gravatus. Neutrum horum, o admirande. . . . Nam alioqui, quantum ad voluntatem attinet, et adsum, et simul festum celebro, juvenilesque dexteras inter se jungo, *atque utrasque Dei manui.*"

In celeberrima vero oratione 40. "in sanctum baptisma," n. 18., idem Nazianzenus, sub alia forma, matrimonii christiani gratiam declarat dicens: "Purus ac mundus es, inito etiam matrimonio; in me hoc

periculum recipio, ego harum nuptiarum conglutinator, ego auspex... Christum imitabor, purum, inquam, illum pronubum et sponsum, qui et miraculum in nuptiis edidit, et conjugium præsentia sua honestat. In id tantum incumbe ut purum sit matrimonium, atque ab obscenarum cupiditatum contagione liberum. Hoc unum posco; *a dono* [gratiæ sanctificantis] *securitatem accipe*, ac vicissim istud dono repende, ut certo tempore, quandiu scilicet assignatum fuerit orationi tempus, omni negotio præstabilius, a re uxoria abstineas, idque ex communi pacto et consensu."

Sed jam duobus fere sæculis antequam S. Gregorius Nazianzenus hæc dixisset, Clemens Alexandrinus in libro 4. Stromatum, cap. 20. scripserat: "Sanctificatur itaque etiam quod 'per Logon,' seu 'Verbum' perficitur matrimonium, si conjugium se Deo submittat, et 'cum vero corde' administretur in fidei certitudine."

Clarius vero et abundantius, eodem sæculo III. Origenes gratiam sanctificantem conjugibus christianis per matrimonium collatam, his (Comm. in Matth. t. 14. n. 16.) docuit. "Ac Deus quidem is est qui duo in unum compegit, ut ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint; et quoniam conjunctionis auctor est Deus, propterea *iis inest gratia* qui a Deo conjuncti sunt; quod non ignorans Paulus connubium Verbo Dei consentaneum *gratiam esse* pronuntiat, quemadmodum castus cœlibatus gratia est; sic enim ait: 'Volo omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.' Qui autem a Deo conjuncti sunt id sentiunt et faciunt: 'Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam."

Et sequenti sæculo S. Athanasius (Epistola ad Amunem Monachum (Migne P. G. t. 26. p. 1174.) dixit: "Duplex cum sit via in vita, alia quidem inferior, vulgariorque, matrimonii scilicet; alia vero angelica et suprema omnium nempe virginitatis; si quis mundanam, nuptias nimirum elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque non consequetur dona. *Consequetur tamen aliqua*, si quidem et ipse fert fructum tricesimum. Si quis vero castam mundoque superiorem amplexus fuerit vitam, tametsi hæc altera asperior et difficilior via sit, at excellentioribus ille muneribus donandus est: perfectum quippe fructum, nempe centesimum produxit."—Quibus verbis S. Athanasius declarat perpe-

tuam castitatem speciale donum Dei ac pretiosissimum quidem esse; at etiam matrimonium christianorum Deum gratia donare; cum illud in nova lege constituerit Deus signum efficax ad producendam gratiam, qua conjuges, licet in inferiori statu, suo modo tamen sanctificentur.

Ne nimius sim, hucusque citatis tres alios Patres addam, S. Ambrosium, S. Innocentium I. et S. Augustinum.

S. Ambrosius, in libro 1. de Abraham, c. 7., sanctitatem matrimonii christiani docet: "Discite enim," ait, "qui ad gratiam baptismatis tenditis, veluti quidam fidei candidati, continentiæ disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem, præter uxorem. . . . . Vinctus es uxori, noli quærere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. . . . . . Cognoscimus velut præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui; et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, *gratiam* solvat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium."

S. Innocentius Papa I., Ep. 36. ad Probum scribit: "Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus divina gratia fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite . . . nullo pacto posse esse legitimum."

Ex S. Augustino tria loca subjungimus quæ clarissime pro nobis faciunt.

In primo testimonio, ex opere "de nuptiis et concupiscentia" desumpto, cap. 17. num. 19., S. Doctor enumerat nuptiarum fidelium bona. "In nuptiis," ait, "bona nuptialia diligantur, proles, fides, sacramentum. Sed proles, non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur: nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter se etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen. Sed membrum Christi conjugis adulterium conjugi debet timere, non sibi; et a Christo sperare fidei præmium, quam exhibet conjugi. Sacramentum vero, quod nec separati nec adulterati amittunt, conjuges concorditer casteque custodiant."

In secundo testimonio, ex eodem libro cap. 10. n. 11. desumpto, S. Augustinus non modo matrimonium dicit esse verum sacramentum, sed illud cum sacramento baptismi comparat. Hæc sunt ejus verba:

"Quoniam sane non tantum fecunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus, 'Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam' (Ephes. v. 25.): hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi (Matth. v. 32.). Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (Psal. XLVII. 2.), hoc est, in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi; ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. . . . Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostatæ anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit."

Demum in opere "de bono conjugali," c. 24. n. 32., S. Doctor comparat sacramentum matrimonii cum sacramento ordinis, his verbis: "Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa causa pariendi; quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente."

Verum, his etiam omnibus Patrum testimoniis prætermissis, apertissima demonstratio catholicæ veritatis, quam defendimus, jam habetur ex eo quod semper, ubique et ab omnibus creditum fuerit septem novæ

legis esse sacramenta, inter quæ sacramentum matrimonii recensebatur. —Vide Tractatum *de Sacramentis in Genere*, p. 1. a. 4.

Quamobrem in Concilio Veronæ celebrato Lucius Papa III., an. 1181., decrevit: "Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis D. N. J. Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat et observat . . . vinculo perpetui anathematis innodamus."

In Concilio Lugdunense II., habito anno 1274., in quo primo pax solemnis inita fuit inter Latinos Græcosque sub Gregorio X., Michael Paleologus Græcorum Imperator, nomine suo et Ecclesiæ Græcæ, juxta id quod "tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia (cui se conformare profitetur)," confessus est "septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma . . . . aliud est sacramentum confirmationis . . . . aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, *aliud est matrimonium*, aliud extrema unctio."

Inter articulos de quibus suspecti errorum Wikleffi et Huss interrogandi erant ex mandato Martini V. in Bulla "Inter Cunctas," data 8. Kal. Martii 1418., articulus 19. legitur, his verbis expressus: "Utrum credat, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter?"

In Concilio Florentino, Decreto pro Armenis, primo statuitur: "Novæ legis septem sunt sacramenta: videlicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt."—Deinde cum doctrina pro unoquoque sacramento singillatim proponitur, de matrimonio dicitur: "Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia."

Nonnullæ difficultates quæ fieri solent contra thesim mox vindicatam, declarationibus in demonstratione ipsa thesis propositis, solutæ manent; proponimus igitur et solvimus solum sequentes:

1.—Sacramentum in ratione signi debuit esse institutum a Christo.—Atqui matrimonium in ratione signi non fuit a Christo institutum.—Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Debuit esse a Christo institutum in ratione *signi practici,* seu *efficacis* ad conferendam gratiam sanctificantem *C.* in quacumque alia ratione signi *N.*—Ante Christi adventum matrimonium, ut antea declaravimus, signum erat speculativum futuræ unionis Christi cum Ecclesia; Christus vero illud simul fecit signum practicum gratiæ, ut conjuges christiani perfecte repræsentarent unionem supernaturalem per gratiam quæ est inter Christum et Ecclesiam.

2.—Verum et proprie dictum novæ legis sacramentum est signum efficiens quod significat.—Sed matrimonium non efficit Christi et Ecclesiæ unionem, quam significat.—Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Est signum efficiens id, quod significat speculative *N.* quod significat practice *C.*—In sacramentis duplex distingui potest significatio; una speculativa, vel objectiva, altera practica: sic Eucharistia duo significat, mortem Christi, et gratiam nutritivam; prior autem significatio est pure speculativa; non enim efficit Christi mortem, quam significat. Ita matrimonium significat primo unionem Christi cum Ecclesia, sed speculative, quia unionem hanc non efficit: deinde gratiam, sed practice, eam in conjugibus producendo.

3.—Matrimonium non habet in nova lege adnexam, ex institutione Christi, promissionem gratiæ sanctificantis; nam secus, absurdum hoc sequeretur, nimirum, augmentum gratiæ reciperent ii qui relicto statu continentiæ, utique perfectiore, contraherent matrimonium, quod est status minus perfectus.—Ergo.

Resp. *N. assumpt.* et *ad prob.*—dico nihil absurdi in eo esse quod per matrimonium eis qui relinquunt statum continentiæ augmentum gratiæ sanctificantis conferatur; nam etsi continentia perfectior sit matrimonio, *si præcise status comparetur cum statu,* ideoque sit majoris meriti; quia tamen matrimonium habet simul rationem sacramenti, sacramentum vero confert gratiam ex opere operato, ideo continens, si

contrahat matrimonium, accipit augmentum gratiæ; licet idem continens, si nuptias propter Deum contempsisset, plus invenisset gratiæ apud Deum, quam sit illa, quæ datur per sacramentum matrimonii.

4.—Sacramenta conferunt gratiam dum perficiuntur.—Atqui matrimonium non confert gratiam, dum copula exercetur, per quam perficitur.—Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Dum perficiuntur in suis essentialibus *C.* alia ratione et extrinsece *N.*—Copula licet consummatio matrimonii dicatur, ad essentiam tamen matrimonii non pertinet; nam, ut supra dictum est, verum matrimonium fit, etiamsi numquam postea inter eos qui matrimonio conjuncti sunt copula sequatur.

5. Catholici quidam doctores, inter quos Magister Sententiarum, lib. 4. dist. 2., et Durandus, in 4. sent. dist. 26. q. 3., negaverunt matrimonium esse proprii nominis sacramentum; nam dixerunt per matrimonium non conferri gratiam. S. Thomas vero, docuit per matrimonium gratiam dari; sed hanc doctrinam, ut *probabiliorem*, non ut *fide* tenendam et ipse tradidit.

Resp.—Omnes theologi catholici, nemine excepto, docuerunt matrimonium esse unum ex septem novæ legis sacramentis. Ad Magistrum Sententiarum quod attinet, ipse et matrimonium accensuit ceteris proprii nominis sacramentis a Christo institutis; et aperte docuit per matrimonium conferri gratiam sanctificantem.

Et re quidem vera, in l. 4. sent. dist. 2., tractationem "de sacramentis novæ legis" Magister inchoat his verbis: "Jam ad sacramenta novæ legis accedamus, quæ sunt baptismus, confirmatio, panis benedictio, id est Eucharistia, pœnitentia, unctio extrema, ordo, conjugium;"—et num. 2. prosequitur; "Si vero quæritur quare non fuerint hæc sacramenta instituta mox post hominis lapsum, cum in his sit justitia et salus; dicimus non ante adventum Christi, qui gratiam attulit, gratiæ sacramenta fuisse danda; quæ ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt. Christus autem venire noluit, antequam homo de lege naturali et scripta convinceretur, quod neutra juvari posset."—In distinctione autem 1. ejusdem libri, huic quæstioni respondens, "quid sit sacramentum," præmiserat: "Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma . . . . . Sacramentum enim proprie dicitur quod ita signum est gratiæ Dei, et invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat.

Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non sacramenta; sicut fuerunt sacrificia carnalia, et observantiæ cæremoniales veteris legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes, quia ut ait Apostolus, Heb. IX.: *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non animæ.*"

Demum in distinctione 26. n. 6. ait: "Cum ergo conjugium sacramentum sit, et sacrum signum est, et sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ, ut ait Apostolus. . . . . . Consensus enim conjugum copulam spiritualem Christi et Ecclesiæ, quæ fit per charitatem, significat."

Cum ergo Magister Sententiarum, dist. 2., dicit matrimonium esse *tantum in remedium,* non negat per illud conferri gratiam, sed significat gratiam hujus sacramenti *propriam* esse *ad cohibendam concupiscentiam.*—Mentem Magistri, jam satis per se apertam, declarat Angelicus, in Commentariis super libris Sententiarum (in 4. d. 2. q. 1. a. 1. q. 2. ad 3.). "Unumquodque," ait, "denominatur ab eo ad quod est. Gratia autem quæ in matrimonio confertur, secundum quod est sacramentum Ecclesiæ in fide Christi celebratum, ordinatur directe ad reprimendam concupiscentiam, quæ concurrit ad actum matrimonii; *et ideo Magister dicit, quod matrimonium est tantum in remedium; sed hoc est per gratiam quæ in eo confertur.*"

Quoad Durandum a Sancto Portiano dicimus, eum a doctrina omnium catholicorum de existentia sacramenti matrimonii non recessisse. Etenim præter quam quod matrimonium inter septem vere et proprie dicta sacramenta novæ legis recenseat, in 4. sent. distinct. 2. quæst. 2., et ostendat quam convenienter matrimonium, ut sacramentum, fuerit institutum; in eodem libro 4. sent. dist. 26. quæst. 3. quærens "an matrimonium sit sacramentum," ait: "Tenendum est absolute, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia. . . . . . . Matrimonio etiam competit generalis ratio sacramenti quæ est quod sacramentum est sacræ rei signum; matrimonium enim significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ: unde Apostolus loquens de matrimonio, Eph. 5., dicit: 'Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.' Duo ergo sunt tenenda in matrimonio, *nec opposita eorum possunt teneri, vel assumi sine periculo hæresis.* Primum

est quod matrimonium est licitum. . . . . Secundum est, quod matrimonium est sacramentum, eo modo quo sacræ rei signum est sacramentum, et dicere oppositum similiter est *hæreticum.*"

Præterea idem Durandus, in 4. dist. 1. q. 1., aperte statuit omnia novæ legis sacramenta gratiam conferre, idque eis proprium esse. "Sacramentorum," inquit, "quædam fuerunt solum signa gratiæ per Christum exhibendæ, ut fuerunt sacramenta veteris legis. Quædam vero sunt signa gratiæ per Christum exhibitæ pro omnibus quoad sufficientiam, et *pro suscipientibus quoad efficaciam,* nisi sit impedimentum ex parte suscipientis, et hæc sunt sacramenta novæ legis; quæ dicuntur sacramenta, non solum quia sunt signa rei sacræ, sed quia sunt quædam adhibita ad effectum sacrationis vel sanctificationis spiritualis."—Et de gratia *sacramentali* per matrimonium collata dicit (in 4. dist. 2. q. 2.): "Sacramenta expediunt nos ad actus virtutum, quæ sunt septem, tres theologicæ et quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos Baptismus, ad actum spei Extrema Unctio, ad actum caritatis Eucharistia, ad actum vero fortitudinis Confirmatio, ad actum justitiæ Pœnitentia, ad prudentiæ actum Ordo, *ad actum temperantiæ* Matrimonium."

Utique in citato libro 4. sent., dist. 26. q. 3., refert opinionem trium Jurisconsultorum, Gaufridi nempe, Ostiensis et Bertrandi negantium matrimonium conferre gratiam *ex opere operato sicut in aliis sacramentis legis novæ.*—Sed de hac opinione ibidem pronuntiat: "Quorum opinio an sit vera an falsa, et allegationes quas de jure canonico pro se inducunt [1] an bene adducantur per eos, vel male, *non determino* quoad præsens. Sed solum hoc accipio tamquam verum quod cum prædicti doctores noverint jura canonica . . . nec scripta eorum quoad prædictum articulum de matrimonio *reprobentur tamquam erronea, vel contraria determinationi Ecclesiæ,* quod sentire quod per sacramentum matrimonii non conferatur gratia [ex opere operato] non est contra determinationem Ecclesiæ, nec contra id quod Romana Ecclesia prædicat et observat."—Et addit: "Moderni autem theologi quasi communiter tenent quod per sacramentum matrimonii *confertur gratia,* nisi contrahentes

[1] Hoc unice allegabant, videlicet, quod pro matrimonio celebrando stipulationes circa dotem et similia fieri possunt. Id vero nullius momenti esse evidenter patet; nam stipulationes illæ non fiunt circa sacramentum matrimonii, sed spectant alium contractum qui ratione matrimonii celebratur, illum nempe in quo de bonis temporalibus, quæ sponsis assignantur ad onera conjugii sustinenda, aliisque cum his connexis, pactiones fiunt.

ponant obicem, *sicut fit in aliis* sacramentis, quibus æquiparatur sacramentum matrimonii in hoc casu; quia alias non videretur ab eis posse teneri, quod matrimonium sit sacramentum novæ legis."

Quare non a Durando sed *a Jurisconsultis, quos ipse citat, dicebatur matrimonium non conferre gratiam ex opere operato sicut alia sacramenta;* a Durando autem solum asserebatur hanc opinionem non fuisse tunc habitam *ut contrariam determinationi Ecclesiæ.*—Et reapse id nondum fuerat tunc temporis *expresse* damnatum ab Ecclesia.

Hac etiam de causa S. Thomas (Suppl. q. 42. a. 3.) dixit: "Matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur; *et hoc probabilius est.*"—Ceterum idem S. Doctor in 3. p. Summæ, q. 62. a. 1., absolute statuit: "Augustinus dicit super Joan. Tract. 80. med., quod *aqua* baptismalis *corpus* tangit et cor abluit. Sed cor non abluitur nisi per gratiam. Ergo causat gratiam; et *pari ratione alia Ecclesiæ sacramenta.* . . . Necesse est dicere sacramenta novæ legis per aliquem modum *gratiam causare.* . . . Et hoc modo [ut causæ instrumentales] sacramenta novæ legis gratiam causant; adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam."

ARTICULUS SECUNDUS

De natura sacramenti matrimonii.

Existentia sacramenti matrimonii adversus hæreticos vindicata, ad naturam ejusdem sacramenti penitius considerandam progredimur; circa quam erroneæ ac perniciosissimæ doctrinæ, tum superiori ætate, tum nostris etiam temporibus, prodierunt.

Etenim Marcus Antonius de Dominis, Spalatensis antea episcopus, postea vero hæreticus apostata, in opere "*de republica ecclesiastica,*" l. 3. et l. 5. cap. 2., ut viam sibi sterneret ad asserendam sæculi principibus potestatem in matrimonia, et jus ad constituenda impedimenta matrimonium dirimentia, principio statuit, matrimonium esse contractum mere humanum, et ad jurisdictionem civilem dumtaxat pertinere; sacramenti vero rationem supervenire matrimonio plene et perfecte in esse civilis contractus jam constituto. Distinguebat igitur matrimonii

sacramentum a contracto conjugii tamquam *res a re*, et sacramentum a matrimoniali contractu inter fideles celebrato separabat.

Eamdem distinctionem, ob eamdem causam, adstruit Joannes Launojus; qui in opere "*de regia in matrimonio potestate*," t. 1. p. 2. cap. 4., scripsit: "Spiritualem potestatem ab sæculari pendere quoad naturam civilis contractus matrimonii, cui jam legitime facto divinitus accedit ratio sacramenti; sæcularem potestatem a spirituali pendere quoad ministerium sacramenti matrimonii, qua sacramentum est; hanc mutuam civilis et spiritualis potestatis subordinationem traditam fuisse a Gelasio et Nicolao pontificibus; impedimentum matrimonium dirimens ex se, suoque genere esse civile, non spirituale; sæculares principes impedimenta matrimonium dirimentia statuere posse, secluso sacerdotalis ordinis consensu, qui sæcularium principum legibus obediendi necessitatem addat, quasi leges illæ ex se idoneam vim obligandi non haberent; sacerdotalem ordinem, seu sacram Pontificum auctoritatem non posse sine consensu principum impedimenta dirimentia statuere."

Sæculo XVIII., doctrinam de reali distinctione inter contractum matrimonii et sacramentum amplexi sunt doctores aulici numero non pauci, eo præsertim tempore quo legislatio Austriaca veluti principium assumpsit contractum matrimonii antecedere sacramentum, et istud accedere cum contractus conditionibus omnibus a lege civili statutis absolutus antea fuerit. Normam austriacæ legislationis pro re de qua agimus adoptavit legislatio gallica sub primo Napoleonidum in ejus codice.

Eamdem doctrinam, ætate nostra, inter alios tenuit Joannes Nepomucenus Nuytz professor Taurinensis. Is in opere a Summo Pontifice Pio IX. damnato non dubitavit asserere: "nulla ratione ferri posse Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti; matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile; *ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse*."—Hæ autem duæ propositiones sub numeris 65. et 66., inveniuntur in *Syllabo* jussu Pii IX. edito et *præcipuos nostræ ætatis errores complectente.*

Ab hac doctrina non multum recessit sententia illorum theologorum qui cum Estio, Tournely et aliis statuerunt materiam sacramenti esse actus contrahentium, formam vero verba quibus sacerdos contrahentes in matrimonium conjungit; ita ut contractus conjugalis sit tantum pars ma-

terialis sacramenti matrimonii, et sacramentum nonnisi ex illo contractu et ex benedictione sacerdotis essentialiter constituatur. "Sicut in sacramento pœnitentiæ," ait Estius (in 4. dist. 26. § 12.), "materia, vel quasi materia, sunt actus pœnitentis, qui velut informantur per absolutionem sacerdotis ; ita recte dicitur actus contrahentium, quibus sibi mutuo sive per verba, sive per alia signa dant fidem matrimonialem, esse hujus sacramenti materiam, vel quasi materiam, quæ deinde informetur ad gratiæ consecutionem per ea verba sacerdotis in quibus consistit forma sacramenti. Sicut enim Deus actus pœnitentis erexit in sacramentum novæ legis, addita absolutione sacerdotis ut forma ; ita valde convenienter dicitur, quod actus contrahentium erexerit in sacramentum novæ legis, addita benedictione sacerdotis ut forma."

Demum non defuerunt theologi qui licet admiserint contractum ipsum matrimonialem ad veri et proprii nominis sacramenti dignitatem Christum evexisse, docuerunt tamen a fidelibus contrahi posse matrimonium, quod valeret in ratione contractus, quin simul esset sacramentum, si nempe contrahentes intenderent solum contractum, sine sacramento.

Falsas has omnes opiniones non semel damnavit Summus Pontifex Pius IX., sed præsertim Allocutione habita in Consistorio secreto die 27. Septembris anni 1852., occasione legis de matrimonio civili propositæ, in republica Neo-Granatensi. Doctrinam catholicam de sacramenti matrimonii natura ita in Allocutione citata diserte exposuit Summus Pontifex :—"Nihil dicimus," inquit, "de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione, et natura prorsus ignorata, et eversa, atque Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta ; proponebatur, juxta jam damnatos hæreticorum errores, atque adversus catholicæ Ecclesiæ doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis *tantum* contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causæ ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis judicarentur ; cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere, et proprie unum ex septem evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum*, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, *præter sacramentum*, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi *turpem*

atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum ; ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari *numquam* posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere."

Præterea in *Syllabo nostræ ætatis errorum*, sub numero 73., hanc propositionem damnatam legimus : "Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur."

His prænotatis, sit

THESIS II.

Matrimonium christianum ita est verum propriumque novæ legis sacramentum, ut nihil intersit inter contractum matrimonii christiani et sacramentum, nullumque verum inter christianos matrimonium sit, quod non sit pariter Ecclesiæ sacramentum.

Thesis, quam statuimus, sequentibus argumentis demonstratur.

I. Ex verbis Apostoli ad Eph. v., in præcedenti thesi declaratis, et ex Patrum documentis ibidem citatis, constat in nova lege illud ipsum matrimonium factum fuisse a Christo Domino sacramentum, quod Deus constituit ab initio. Sed illud non fuit nisi contractus matrimonii. Ergo contractus matrimonii fuit factus a Christo sacramentum ;—ac proinde nihil inter contractum matrimonii christiani et sacramentum interest, et omne verum matrimonium inter christianos est sacramentum.

II. Matrimonii sacramentum, ut demonstravimus, est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quod christianis legitime nubentibus gratiam confert.—Atqui signum hujus conjunctionis invenitur in contractu matrimonii legitime inter christianos inito, quin aliud huic contractui accedere debeat.—Ergo.

III. Omnium doctorum, qui ante sæculum XVI. floruerunt, certissima sententia fuit nullam realem distinctionem adesse inter contractum matrimonii a christianis celebratum, et sacramentum ; sed ipsum contractum matrimonii inter christianos rationem sacramenti habere ex

institutione Christi.—Sed consensus iste ostendit veram esse doctrinam quam defendimus.—Ergo.

Audiatur hac in re Doctor Angelicus, ex quo tria tantum loca, speciminis causa ex multis quæ citari possent, afferam.

In quæstione 42. Suppl. art. 1., quærens "utrum matrimonium sit sacramentum," hanc sibi primam proponit difficultatem: "Videtur quod matrimonium non sit sacramentum. Omne enim sacramentum novæ legis habet aliquam formam, quæ est de essentia sacramenti. Sed benedictio, quæ fit per sacerdotes in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum."

Et respondet: "Ad primum ergo dicendum quod verba quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale."

Præterea in articulo 2. ejusdem quæstionis quærit "utrum hoc sacramentum institui debuit ante peccatum;" et respondet: "Dicendum quod natura inclinat ad matrimonium, intendens aliquod bonum, quod quidem variatur secundum diversos hominum status, et ideo oportet quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituatur. Et ideo matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum; secundum autem quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ; secundum autem determinationem personarum institutionem habuit in lege Moysi; sed secundum quod repræsentat mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiæ, institutionem habuit in nova lege: et secundum hoc est sacramentum novæ legis. Quantum vero ad alias utilitates quæ ex matrimonio consequuntur, sicut est amicitia, et mutuum obsequium sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum et remedium, ideo quantum ad medias institutiones, competit ei ratio sacramenti; sed quantum ad primam institutionem, competit ei quod sit in officium naturæ; quantum vero ad ultimam, quod sit in officium civilitatis."

Demum in articulo 3. quæstionis citatæ, quærens "utrum matrimonium conferat gratiam," sibi secundo loco objicit: "Præterea, omne sacramentum conferens gratiam confert ipsam ex materia et forma sua.

Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiæ, quia hoc esset Pelagiana hæresis, scilicet quod actus nostri sint causa gratiæ: verba etiam exprimentia consensum non sunt causa gratiæ, nam ex eis non fit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur."

Et respondet: "Ad secundum dicendum quod sicut aqua baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: et hujusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis dispositive operatur ad gratiam."

Quo autem pacto, his a Doctore Angelico declarationibus datis, quæ non dicam attente eas cuique consideranti, sed etiam obiter legenti evidentes pro doctrina quam defendimus apparere debent, potuerit Canus asserere Sanctum Thomam "*a veritate tandem coactus*" sententiam tenuisse nostræ contrariam, intelligere prorsus non valeo.

Citat utique, ut hoc ostendat, testimonium S. Doctoris desumptum ex Com. in 4. sent. dist. 1. q. 1. a. 3., ubi quærens "Utrum sacramenta consistant in verbis et rebus," et difficultatem sibi proponens ex pœnitentia et matrimonio, respondet: "Quod matrimonium secundum quod est in officium, et pœnitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est sacramentum *in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens*, utrumque habet aliqua verba."

Verum cur non adduntur his verba quæ sequuntur, quæ exhibent verum sensum testimonii? S. Thomas, post verba mox citata, ut explicet mentem suam continuo prosequitur: "*sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensus*, et iterum benedictiones *ab Ecclesia* institutæ; in pœnitentia autem est absolutio sacerdotis verbotenus facta:"—nimirum verba quibus sacramentum matrimonii conficitur sunt "*verba exprimentia consensus*," quibus "*ab Ecclesia*" adjectæ sunt benedictiones, tamquam *sacramentale* superveniens: in sacramento autem pœnitentiæ, in quo actus pœnitentis nonnisi materiam exhibent sacramenti, "absolutio sacerdotis verbo tenus facta" constituit formam.

Nec diversus potest esse sensus alterius testimonii quod ex S. Thoma citat Canus. Desumitur ex Summa "Contra Gentiles" lib. 4. c. 78., et

hæc habet: "In quantum [matrimonium] ordinatur ad bonum Ecclesiæ oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico. Ea autem quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in conjunctione maris et feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est Ecclesiæ sacramentum; unde et quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur."

Ut patet, non dicit S. Thomas, in verbis citatis, matrimonium esse sacramentum *in quantum contractui matrimonii accedit benedictio sacerdotis,* ita ut ex contractu tamquam ex materia et ex verbis sacerdotis tamquam forma constituatur signum sacramentale; sed e contra expresse docet matrimonium "*secundum quod consistit in conjunctione maris et feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare*" esse *sacramentum.*—Cum autem Ecclesia, juxta potestatem qua instructa est a Christo, instituerit ritus ceremoniales in sacramentorum administratione adhibendos, illosque omnino servandos esse præscribat, S. Thomas loco citato, postquam indicaverit id quod essentialiter constituit sacramentum matrimonii, indicat etiam ritum ceremonialem quocum sacramentum in Ecclesia celebrari debet, et addit: "Unde et quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur."—Insuper, ad majorem etiam claritatem, S. Doctor ibidem prosequitur: "Et sicut in aliis sacramentis per ea quæ exterius aguntur spirituale aliquid figuratur, sic et *in hoc sacramento per conjunctionem maris et feminæ conjunctio Christi et Ecclesiæ figuratur,* secundum illud Apostoli: 'Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia (ad Ephes. v. 32.). Et quia *sacramenta efficiunt quod figurant,* credendum est quod nubentibus per hoc sacramentum gratia conferatur per quam ad unionem Christi et Ecclesiæ pertineant."

Doctrinam, quam Angelicus Doctor, tamquam indubitatam tradidit de identitate reali inter contractum matrimonii a christianis celebratum et sacramentum, omnes alii scholastici Doctores qui vixerunt ante sæculum XVI. expresse docuerunt. Et quia non licet nobis testimonia omnium hic referre, pro omnibus ad exemplum citamus S. Bonaventuram: sententiam vero Gulielmi Parisiensis et Petri Paludani, quos pro se citant adversarii, in sequenti articulo perpendemus.

Itaque Seraphicus Doctor in 4. sent. dist. 26. art. 2. q. 2. ait: "Alii

dicunt quod in sacramento matrimonii datur gratia digne et devote suscipientibus, ratione benedictionis superadditæ: Deus enim eis benedicit ad benedictionem sacerdotis. Sed hæc positio non videtur valere, quia *illa benedictio est sacramentalis: et si sacramentale efficit, quanto magis sacramentum.*"

Et dist. 28. a. 1. q. 5., quærens "utrum consensus de præsenti expressus in occulto faciat matrimonium," — matrimonium autem spectat prout est sacramentum,—conclusionem affirmativam primo confirmat hoc argumento: "Sacramentum matrimonii pro materia habet personas legitimas, et pro forma consensum: sed hæc duo integre possunt esse in occulto: ergo etc."—Deinde addit: "Dicendum quod ad *esse* matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet legitimitas in personis, et unitas in consensu. Ad solemnitatem vero et decorem, sive honestatem, requiritur et parentum traditio, et sacerdotum benedictio: hæc autem ita sunt ad decorem sacramenti, ut tamen sint de necessitate præcepti. Et ratio hujus est vitatio periculi, quia frequenter qui in occulto contrahunt, pœnitent, et cum aliis de facto contrahunt: et cum non potest primus contractus probari, necesse habet Ecclesia decipi, et contra veritatem dare sententiam. Et ideo oportuit talia prohibere: hinc est quod si aliquis cum aliqua contrahit in occulto, quamvis sit matrimonium, tamen conjunctio illa non est sine peccato, sicut nec conjunctio fornicarii, non tamen tantum; et inde est quod Evaristus Papa dicit, quod non sunt connubia, sed adulteria, propter culpam."

IV. Argumentum invictum ad firmandam thesim quam vindicamus desumitur ex Concilio Florentino, Decreto pro Armenis. Docet enim: "Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Causa efficiens matrimonii* regulariter *est mutuus consensus* per verba de præsenti expressus."— Hinc juxta Concilium Florentinum matrimonii sacramentum conficitur *mutuo consensu expresso,* regulariter, *per verba de præsenti.*—Atqui *mutuo consensu,* regulariter expresso per verba de præsenti, conficitur *contractus* matrimonii.—Ergo juxta Concilium Florentinum cum conficitur contractus matrimonii, sacramentum conficitur, si sermo sit de baptizatis, qui soli, post baptismum ab eis susceptum, capaces sunt accipiendi cetera sacramenta Ecclesiæ;—ac proinde juxta

idem Concilium, ipse contractus matrimonii inter christianos celebratus est sacramentum.

Nec objici posset, Concilium statuere mutuum consensum esse causam efficientem, non *sacramenti matrimonii*, sed *matrimonii.*

Etenim Decretum pro Armenis continet instructionem *de sacramentis ;* ideoque cum de matrimonio loquitur, illud spectat ut est sacramentum. —"Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem," ait Eugenius IV. in Decreto, "pro ipsorum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula."

Insuper in eodem contextu in quo Decretum indicat causam efficientem matrimonii, dicit velle se de *sacramento matrimonii* doctrinam tradere. "Septimum est," inquit, "*sacramentum* matrimonii. . . . Causa efficiens matrimonii . . . est mutuus consensus."

Præterea si Concilium Florentinum in hoc Decreto de singulis disserens sacramentis ea quæ ipsis sunt propria, et pro unoquoque materiam formam, ac ministrum qui valeat illud conficere, singillatim assignavit; pro sacramento autem matrimonii nihil de materia aut forma, aut ministro statuit præter hoc, nempe, "causam efficientem matrimonii esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum :" profecto intelligere debemus Concilium in his verbis ea quæ materiam, formam, et ministrum *sacramenti matrimonii* spectant decrevisse.

V. Concilium Tridentinum doctrinam de sacramento matrimonii his verbis (sess. 24.) proponit: "Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea ; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.—Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro, statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tantum ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.—Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. . . . Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum

gratia præstet; merito inter novæ legis sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt."

Porro ex his Concilii verbis perspicue constat, Sanctam Tridentinam Synodum hanc de matrimonio christiano fidelibus voluisse doctrinam tradere, nimirum, — Christum Dominum conjugium, seu contractum matrimonii, in statu innocentiæ institutum non modo approbasse, sed etiam gratia sua auxisse; ideoque contractum matrimonii, in nova lege, ad dignitatem veri et proprie dicti sacramenti, seu signi non modo significantis sed et conferentis gratiam sanctificantem, evectum esse, et matrimonium christianorum, ob hanc producendæ gratiæ efficacitatem, veteribus præstare connubiis.—Sed juxta hanc doctrinam, nullum est reale discrimen inter contractum matrimonii christiani, et matrimonii sacramentum; ac proinde si inter christianos verus contractus matrimonii celebratur, illud est sacramentum.—Ergo.

Alia ex Concilio Tridentino argumenta declarabimus thesi sequenti.

VI. Pius VI. in litteris ad episcopum Motulensem, die 16. Sept. 1788. datis, veritatem quam defendimus, clarissime docuit: "Dogma etenim fidei est," inquit, "ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, quemadmodum adversus hæreticos et impios homines sæculi insanientes Sacrum Concilium Tridentinum sub anathematis pœna definivit. Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam *huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto*, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium ferre."—Et paulo post, conceptis verbis Summus Pontifex affirmat "*contractum matrimonialem esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis.*"

VII. Neque dicas: Ex eo quod Christus contractum matrimonialem elevaverit in sacramentum, non sequitur semper matrimonium inter fideles celebratum esse sacramentum; et fideles non posse matrimonium contrahere quod valeat in ratione contractus, quin sit sacramentum;—nam Christus superaddendo contractui matrimoniali vim

collativam gratiæ, non ademit ei vim obligandi quam antea ex reciproco paciscentium consensu habebat; ac proinde juxta hanc vim possunt, etiam postquam Christus elevaverit contractum matrimonialem in sacramentum, ad invicem vero matrimonio ligari fideles, quin matrimonium prout est signum collativum gratiæ celebrare velint.

Respondetur:—Christus dedit sane contractui matrimonii vim collativam gratiæ, et non ademit ei vim quam habebat ligandi vinculo conjugali contrahentes ad invicem; sed ex hoc pessime concluditur, ergo possunt fideles matrimonium celebrare ut contractum quo conjugali vinculo colligati maneant, non autem ut contractum qui habeat vim collativam gratiæ, seu ut est sacramentum. Etenim si Christus, juxta ea quæ demonstravimus, decrevit et instituit ut legitimus matrimonialis contractus mutuo paciscentium consensu a fidelibus celebratus rationem habeat signi sacramentalis, ac proinde vim gratiæ collativam, evidenter sequitur sacramentum matrimonii semper confici ac a fidelibus legitimus matrimonialis contractus mutuo paciscentium consensu celebratur.

Exemplum de sacramento pœnitentiæ, quod citatur ab adversariis, nihil eis prodest. Christus, aiunt, pœnitentiam quæ erat antea solum virtus, fecit esse sacramentum; et nihilominus, post hanc institutionem potest quis actus virtutis pœnitentiæ elicere, quin recipiat sacramentum. Ergo eodem modo post institutionem sacramenti matrimonii, possunt fideles velle contractum matrimonii, quem Christus fecit esse sacramentum, quin velint sacramentum.

At, responsio obvia est et apertissima. Nulla est paritas inter pœnitentiam et matrimonium; et exemplum propositum ad rem non pertinet.

Reapse, actus virtutis pœnitentiæ, per se soli, sacramentum pœnitentiæ a Christo institutum non constituunt; sed quidam illius virtutis actus, nempe contritio de peccatis personalibus commissis, confessio horum peccatorum et satisfactio, sunt partes materiales sacramenti pœnitentiæ; quibus absolutio sacerdotis jurisdictionem habentis accedere debet, tamquam forma, ut sacramentum conficiatur: hinc pœnitentiæ actus, immo illi ipsi actus quos indicavimus, elici possunt a pœnitente, quin adhuc sacramentum suscipiatur. Sed aliter res se habet in matrimonio; nam contractus matrimonialis, qui ante Christi institutionem non conferebat vi sua contrahentibus gratiam sanctificantem, ex institutione Christi illam confert; seu, aliis verbis, contractus matrimonii in nova lege a

fidelibus celebratus est totum signum sacramentale; ideoque si talis contractus fit, sacramentum conficitur.

Multo minus, ut ostendatur contractus matrimonialis a sacramento matrimonii separabilis, valet exemplum tum aquæ relate ad sacramentum baptismi, tum panis et vini relate ad sacramentum Eucharistiæ. Profecto aqua non est sacramentum baptismi, sed materia remota illius sacramenti; et similiter panis et vinum constituunt duplicem materiam ex qua sacramentum Eucharistiæ conficitur:—dum e contra contractus matrimonii ipse est sacramentum.

Hic autem adversarii nostri instant et aiunt:—saltem admitti debet in ministro sacramenti intentionem debitam illud conficiendi esse requisitam, quæ si desit sacramentum non conficitur; ergo fideles, si contrahunt matrimonium intendendo solum contractum non autem sacramentum, multo magis si *positive* intendunt, dum matrimonium celebrant, sacramentum excludere; hac intentione validum contractum matrimonii perficiunt cum ea non desint quæ ad matrimonium sub ratione contractus celebrandum necessaria essentialiter sunt; sed non suscipiunt sacramentum, cum desit ad conficiendum sacramentum matrimonii intentio debita.

Reponimus,—ut *valide* sacramentum confici possit, non est necessaria in ministro intentio qua sacramentum velit, *ut tale*, aut qua intendat *effectum sacramenti*, seu *gratiam conferendam;* sed sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia:—et hanc intentionem procul dubio habent fideles christiani qui matrimonium christianum, seu ut fit inter christianos, celebrare intendunt.

Si tamen supponatur, eos qui matrimonium contrahere volunt *positive* ita excludere rationem sacramenti a matrimonio celebrando, ut *absolute* sacramentum conficere nolint, *et absolute intendant non contrahere matrimonium*, si in celebratione matrimonii, sacramentum simul conficere et suscipere debeant;—*in hoc casu*, nullus omnino erit contractus matrimonii ex defectu consensus, *cum hic alligatus sit conditioni sine qua contractus non intenditur, et conditio hæc omnino sit impossibilis*, posita Christi institutione, contra quam voluntas contrahentium nihil potest.

Solutiones aliarum difficultatum, quæ adversus thesim nostram ab adversariis afferuntur, in sequenti articulo commode dabimus.

ARTICULUS TERTIUS

De ministro sacramenti matrimonii.

Cum quæstione de inseparabilitate contractus et sacramenti in matrimonio christiano, quam absolvimus, hæc de ministro sacramenti matrimonii intime connectitur. Et sane, si contractum matrimonii a christianis celebratum constat esse sacramentum, manifeste apparet contrahentes, dum matrimonii contractum celebrant, sacramentum conficere, et ideo sacramenti matrimonii esse ministros.—Ex alia parte, si hæc veritas per se et directe demonstretur, ex ea clare patebit sacramentum matrimonii nec in ritu consistere a contractu matrimoniali prorsus distincto, nec etiam, quoad elementum formale signi sacramentalis, inveniri posse in verbis prolatis a sacerdote matrimonium christianorum benedicente. Quamobrem doctrina catholica, quam defendendam assumimus in hoc articulo, ab ea quam in articulo præcedenti vindicavimus certo deducitur; et hæc vicissim, cum illa demonstrata fuerit, confirmata erit.*

Verum, prius quam demonstrationem nostram aggrediamur, animadvertendum est novam de sacerdote christiani conjugii ministro doctrinam primum in scholas catholicas Melchiorem Canum invexisse, et ab eo originem duxisse controversiam, quæ postea acriter hac de re agitata fuit inter theologos. Ipse enim in celeberrimo opere "*de locis theologicis,*" Salmanticæ edito an. 1563.,—eodem nempe an. quo die 11. Novembris, ad doctrinam de matrimonio definiendam sessio 24. Concilii Tridentini habita est,—sacramenti matrimonii propugnavit ministrum esse sacerdotem qui christianos conjuges sacro fœdere copulat, et benedictione sua, tamquam forma sacramenti prolata, matrimonium christianorum facit esse sacramentum.

Hanc sententiam, statim ac proposita fuit, amplexi sunt pauci, deinde vero theologi, jurisque canonici doctores magno numero, inter quos Sylvius, Estius, Natalis Alexander, Drouin, Tournely, aliique.

Hoc tamen patrocinio non obstante, jam ætate sua S. Alphonsus de Liguori affirmare poterat (Theol. Moralis lib. 4. tract. 6. cap. 2. n. 897.

et seq.), postquam sententiam Cani retulerat: "Secunda vero *sententia communis quæ videtur moraliter certa*, dicit ipsos contrahentes esse ministros hujus sacramenti, et formam esse verba, quibus ipsi consensum exprimunt. Ita Bellarminus, qui vocat sententiam nostram communem in scholis (ut fatetur ipse Canus), et contrariam novam ac falsam, Gonet, man. de matrim. c. 7. Frassen, eod. tit. q. 3. a. 1. . . . Fagnanus, t. 4. in c. Quod nob. de cland. desp. n. 51. ubi ait, *opinionem contrariam esse periculosam in fide*, Sanct. lib. 2. d. 6. cum Lop. Vega, Henr. et Manuel., qui vocant oppositam *temerariam;* Merbas., de matrim. q. 6. qui testatur omnes theologos asserere opinionem Cani *numquam fuisse probabilem*, refertque Vasq., et Led. asserere *eam non posse defendi sine nota*, et Sotum ac Vivald. vocare *temerariam*."

Postquam hæc scripserat Sanctus Alphonsus, clarissimæ Romanorum Pontificum, præsertim Pii Papæ IX., declarationes in lucem prodierunt, quæ, ut articulo præcedenti ostendimus, nullum dubium relinquunt circa realem identitatem inter contractum matrimonii a christianis celebratum et sacramentum. Hinc sententia quæ tenet contrahentes esse sacramenti matrimonii ministros, ut doctrina catholica defendenda est; et hac certitudine vindicabimus thesim quam subjungimus.

THESIS III.

Sacramenti matrimonii minister non est sacerdos; sed ipsi contrahentes mutuo sibi sacramentum hoc administrantes, ministri sunt.

Demonstratio hujus thesis nullo negotio eruitur, ut adnotavimus, ex argumentis allatis ad probandam thesim præcedentem; attamen directe eam evincimus; et ministrum sacramenti matrimonii non esse sacerdotem nuptiis benedicentem sed ipsos contrahentes sibi mutuo sacramentum hoc ministrantes ostendimus sequenti pacto.

Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 1. *de reformatione matrimonii*, Decretum sanxit, ex quo evidentes pro thesi nostra probationes deducemus, his verbis expressum: "Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea

vera ac rata esse negant . . . . . nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse; et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. . . . . . Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat. . . . . Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos."

Ex hoc itaque Decreto sic argumentamur:

I. Sacra Tridentina Synodus declarat matrimonium sine sacerdotis præsentia clanculum contractum, antequam Decreto "Tametsi" irritatum esset ab Ecclesia, ubique *fuisse*, et etiam post illud Decretum, pro locis ubi nondum lex Concilii promulgata est, adhuc *esse* sacramentum.—Atqui si ita res se habet, minister sacramenti matrimonii non est sacerdos qui nuptiis benedicit, sed ipsi contrahentes sunt ministri.—Ergo.

Minor patet; matrimonium enim clandestinum absque sacerdotis ministerio contractum, solo consensu contrahentium perficitur.

Major autem constat, ex eo quod Concilium Tridentinum matrimonia clandestina vocet *vera et rata*, immo anathemate damnet eos qui talia esse negent; et sub hac appellatione matrimonii *veri et rati*, matrimonium quod sacramentum est designet. Et sane, Tridentini Patres *vera et rata* conjugia illa numquam declarassent, nisi credidissent et docere voluissent ea esse vera et proprii nominis sacramenta; cum profecto scirent, juxta sacros canones et receptum loquendi modum theologorum, ea tantum conjugia fuisse tunc vocata *vera et rata*, quæ vera et proprie dicta sacramenta essent.

Insigne est hac de re Decretum ab Innocentio III. latum (Decret. lib. 4. tit. 19. cap. *Quanto*, de divortiis). In eo Summus Pontifex discrimen assignat quod intercedit inter conjugia in infidelitate contracta, quæ per conversionem alterius conjugis, ut inferius declarabitur, solvi possunt, et conjugia christianorum, quæ nullo umquam pacto dirimi possunt ex quo consummata sunt; et ait:—"Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est *ratum*: inter fideles autem *verum* et *ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante perduret."

Juxta hanc doctrinam, Angelicus Doctor, absque ulla dubitatione matrimonium clandestinum, seu in occulto a fidelibus sine benedictione sacerdotali celebratum, dicit esse sacramentum.

Etenim in 4. sent. dist. 28. q. 1. a. 3. (Suppl. q. 45. art. 5.), quærens "Utrum consensus in occulto factus per verba de præsenti faciat matrimonium," respondet:—"Dicendum quod sicut in aliis sacramentis quædam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis non est sacramentum, quædam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis verum nihilominus perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit; ita etiam consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes nisi per aliquam legitimam causam excusentur."

Et ad 2. difficultatem, quæ sic se habet: "Sicut in matrimonio actus noster est quasi de essentia sacramenti, ita etiam in pœnitentia. Sed

sacramentum pœnitentiæ non perficitur nisi mediantibus Ecclesiæ ministris, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium perfici potest in occulto absque sacerdotali benedictione."

Respondet: "Ad secundum dicendum quod actus noster in pœnitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis; et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio, quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare; et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti."

Idem apertissime docuit, tamquam ab omnibus admissum et indubitatum S. Bonaventura, qui in 4. sent. d. 28. q. 5. loquens de matrimoniis clandestinis, hanc difficultatem contra eorum validitatem sibi proposuit:—"Matrimonium est sacramentum Ecclesiæ: ergo debet accipi in facie Ecclesiæ: ergo si accipitur in occulto, non est sacramentum Ecclesiæ: ergo nec verum sacramentum: ergo nec matrimonium."

Et respondit: "Ad illud quod objicitur, quod est sacramentum Ecclesiæ, dicendum quod verum est: tamen accipitur etiam ab aliis qui sunt extra Ecclesiam, ut baptismus; non tamen ad salutem, nisi ab his qui sunt in ipsa Ecclesia: et baptismus accipitur in occulto, quia sacramentum necessitatis; et non est ibi periculum, imo vitatur periculum: sed illud in facie Ecclesiæ accipitur salubrius, in occulto vero accipitur vere, sed non salubriter, quia contra ecclesiasticam sanctionem."

Quapropter ex eadem doctrina, juxta omnium sententiam, in lib. 4. sent. dist. 39. art. 1. q. 2., statuit matrimonia fidelium *eo quod sint sacramenta* esse *rata*, et sacramenta infidelium non esse *rata* quia non sunt sacramenta.

Præstat referre verba Sancti Doctoris. Hæc est conclusio, quam defendendam assumit: "Matrimonium apud infideles est in officium, et excusat a culpa; sed non est ratum, neque in remedium, *cum non sit sacramentum* ob defectum fidei."—Et conclusionem suam ita confirmat: "Dicendum quod matrimonium est institutum in officium, et in remedium, et in sacramentum; et ista tria complete habet, secundum quod est apud fideles. Apud infideles vero habet ista secundum rationem semiplenam: nam est in officium, quia est procreatio prolis legitimæ,

sed non ad cultum Dei; apud fideles autem ad cultum Dei: est in remedium, quia excusat coitum a culpa mortali; et rursus datur ibi gratia remittens concupiscentiam, ratione benedictionis adjunctæ. Apud infideles vero maritali affectu uxores cognoscentes est excusatio a culpa, sed non datur gratia; apud fideles, utrumque est. Item, est etiam in sacramentum apud fideles, quia signat unionem Dei et animæ, sive unionem divinæ naturæ et humanæ non tantum aptitudine, sed actu; apud infideles vero aptitudine tantum. Et præterea ratio sacramenti maxime consistit in ratificatione vinculi; apud infideles autem vinculum non habet ratificationem perfectam. Unde, caus. 28. q. 1.: *Si quis Judaicæ,* § item illud: 'Quoddam matrimonium ratum et legitimum, ut fidelium; quoddam legitimum, sed non ratum, ut infidelium; quoddam ratum, sed non legitimum, ut matrimonium contractum a fidelibus in occulto.' Si autem quæratur, quare matrimonium infidelium non est ratum, dicendum quod hoc est propter defectum sacramenti fidei, et propter statum, quia in tali junctus est uxori, in quo potest vinciri vinculo fortiori, scilicet suscipiendo sacramentum baptismi, et Christo alligari, a quo statu nemo potest prohibere: et ideo potest in casu istud vinculum firmari. Habet enim aptitudinem, ut illo statu in utroque manente non possit solvi."

Ceterum, matrimonium *ratum* apud Patres Tridentinos significasse *matrimonium quod est sacramentum,* et matrimonia clandestina quæ antea fiebant fuisse a Concilio agnita tamquam sacramenta, constat ex ipsa Historia Decreti quod citavimus, ut videre est apud Pallavicinum, libr. 22. Hist. Conc. Trid. c. 4.

II. Ex eodem Decreto Tridentinæ Synodi superius citato aliud, nec minoris efficacitatis, argumentum deducimus, quod sic proponimus:—Si minister sacramenti matrimonii esset sacerdos, ad validitatem ejusdem sacramenti omnino requireretur, ut ipse essentialem formam sacramenti matrimonii proferret, quæ consisteret in verbis a Concilio præscriptis, ad significandum contrahentes a sacerdote conjungi in matrimonium.—Atqui Decretum Concilii Tridentini, de quo loquimur, ad sacramenti matrimonii validitatem non requirit ut sacerdos verba illa proferat tamquam formam, sed ea tantum præscribit tamquam ritum accidentalem quo tamen, sub nullitatis pœnam, in locis ubi Decretum

illud promulgatum est, matrimonia deinceps celebranda sunt a fidelibus in facie Ecclesiæ.—Ergo.

Major argumenti hujus evidens est: ministri enim est proferre formam; et adversarii nostri contendunt in illis verbis a Concilio præscriptis formam sacramenti matrimonii essentialem esse indicatam: immo ex adversariis nostris Tournelius (de sacram. matrim. q. 3. n. 2.) ait: "Si data opera voluisset Synodus innuere sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, et verba quibus contrahentes conjungit esse formam, aut quasi formam, non potuisset verbis uti significantioribus."

Minor vero probatur—nam Decretum Concilii Tridentini tantummodo statuit ad validitatem sacramenti matrimonii, quod celebraretur inter fideles post præscriptam promulgationem illius Decreti, necessariam esse *præsentiam* sacerdotis, non autem *prolationem horum verborum* a sacerdote, quæ sit sacramenti matrimonii *forma*, scilicet: "Ego vos conjungo in matrimonium, in nomine Patris, etc."

Et sane, Decr. Conc. in eo solum versatur ut præcaveat ne cum aliquo impedimento matrimonium contrahatur, et ut matrimonia clandestina aboleat. Hinc præmitti jubet denuntiationes publicas et præscribit modum quo impediri possint mala ex matrimoniis clandestinis oriri solita, ac deinceps de matrimonio contracto constare queat. Hinc jubet illud *celebrari in facie Ecclesiæ*, dicente parocho hæc, vel similia juxta cujusvis provinciæ ritum: "*ego vos in matrimonium conjungo*, etc." Hinc, demum, Decretum his verbis expressum est: "Qui aliter quam *præsente parocho*, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos ac nullos decernit."

Jam vero ex his omnibus manifeste apparet ad valorem matrimonii requiri a Concilio Tridentino *præsentiam parochi*, sed non *hæc verba prolata a sacerdote:* "*Ego vos*" etc.; ac proinde hæc verba non esse formam sacramenti matrimonii essentialem, sed pertinere ad ritum accidentalem, quem Tridentina Synodus servandum omnino præscripsit ad celebrandum matrimonium *in facie Ecclesiæ.*

Quod hucusque diximus egregie confirmatur ex historia Concilii Tridentini, ex qua finis illius Decreti, et ratio propter quam statuit

matrimonium deinceps *coram parocho* esse a fidelibus celebrandum, et significatio præscriptæ benedictionis plena luce clarescunt.

Etenim Pallavicinus (Hist. Concil. Trid. lib. 21. ca. 4. n. 5. et seq.) refert, ad tollenda e medio clandestina conjugia, primum a Patribus propositum fuisse, ut in posterum irrita fierent connubia, quæ sine *tribus testibus* fide dignis celebrata fuissent, *quin sacerdotis præsentia tamquam necessaria, præscripta fuerit.* Proposita namque fuit hæc Decreti formula sancienda: "Sacrosancta Dei Ecclesia, Spiritu Sancto afflata, animadvertens magna incommoda, et gravia peccata, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum sæpe priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in adulterio vivunt, alias gravissimis pœnis ea prohibuit, eademque tamen irrita non fecit. Sed hæc Sacrosancta Synodus, cum animadvertat, remedium illud propter hominum inobedientiam hucusque parum profuisse, decernit, ut in posterum matrimonia illa, quæ clam contrahuntur *absque tribus testibus,* irrita sint, quemadmodum præsenti decreto irrita facit." Refecta deinde fuit hæc formula, suffectaque alia est, qua statuebatur: '*Inhabiles fore ad contrahendum, qui absque præsentia saltem trium testium* id attentarent.' "

Hactenus ne mentio quidem facta fuerat sacerdotis, benedictionisque sacerdotalis in celebratione conjugii.

Deinde Cardinalis Lotharingius, cum mala enumerasset, quæ ex clandestinis matrimoniis proveniebant, et illud commemorasset, quod ob gravia delicta, quæ passim patrabantur ob ejusmodi conjugia, *sacramenti gratia in sceleris sordes* converteretur; non solum promulgationem Decreti clandestina matrimonia proscribentis strenue defendit, sed optare se declaravit, ut præter solemnes alios ritus, ad sacramenti vim etiam sacerdotis benedictio requireretur; et hanc desiderii sui rationem addidit, nimirum: "Quando hæretici volebant ut impii ipsorum ministri nuptiis bene precarentur, multo *convenientius* id agendum esse in Ecclesia catholica, in qua veri sunt Dei ministri, verique sacerdotes."

Verumtamen in hac Cardinalis Lotharingii expostulatione multa sunt quæ veritatem a nobis defensam aperte confirmant. 1.—Dicit matrimonia clandestina esse *sacramenta,* quæ *gratiam* ex opere operato producerent, nisi obex obstitisset; ac proinde inter quatuor mala ex

matrimoniis clandestinis profluentia, hoc Lotharingius enumerat, nempe *amissionem gratiæ sacramenti.* 2.—Dicit se optare ut a Concilio statuatur benedictionem sacerdotis in posterum *ad sacramenti vim* fore necessariam; ideoque fatetur eam benedictionem *ad sacramenti vim*, seu *validitatem*, minime fuisse necessariam, antequam Concilium matrimonia clandestina irrita fecerit. 3.—Non dicit esse in Decreto Concilii *benedictionem sacerdotis* præscribendam quasi in ea *sacramenti matrimonii forma* consisteret, a sacerdote tamquam ab ejusdem sacramenti *ministro* proferenda; sed hanc benedictionem dicit *convenienter* esse requirendam in matrimonii christiani celebratione.

Schema Decreti de irritatione conjugiorum clandestinorum, diligentissima discussione a Patribus Concilii perpensum,—in qua discussione ut fundamentum certum assumptum fuit *matrimonii sacramentum essentialiter solo contrahentium consensu perfici*—ter immutatum fuit, nec umquam mentio facta fuit de sacerdotis præsentia, ejusque necessitate, sed constanter constitutum ut *tres testes* ad matrimonii celebrationem adhiberentur. Quin immo, cum ad instantiam Cardinalis Lotharingii, actum est de necessitate præsentiæ sacerdotis, ad omnem vitandam fraudem in conjugiorum celebratione, deliberatum fuit, utrum, si testis aliquis stabilis a Concilio præscribendus esset in cujus præsentia matrimonia in posterum celebranda forent, publicus tabellio potius constitui deberet, an vero parochus.

Demum, omnibus perpensis, et quarta vice immutato schemate, propositum fuit ut parochus, vel alius sacerdos ex parochi seu ordinarii licentia, constitueretur cum duobus vel tribus testibus:—et hoc schema tandem approbatum fuit.

Ex historia igitur Decreti Concilii Tridentini quo statutum fuit ut in posterum, post ejusdem Decreti promulgationem, matrimonia valide celebrari non possent nisi coram parocho vel alio sacerdote et duobus aut tribus testibus, indubie constat Tridentinam Synodum illo Decreto *sacerdotis præsentiam in nuptiis christianorum*, necessariam præscripsisse, non ut *ministri sacramenti*, qui *formam* ad conficiendum signum sacramentale pronuntiet, sed solum,—ut locutione a Benedicto XIV. (De Synodo, libr. 13. cap. 23.) adhibita utar,—tamquam *testis pro Ecclesia auctorizabilis*, qui ab Ecclesia *ad publicitatem et solemnitatem matrimonii* requiratur.

Hæc conclusio iterum confirmatur ex Decretis Congregationis Concilii, circa præsentiam parochi in matrimonii celebratione requisitam. Benedictus enim XIV. in opere de Synodo Diœcesana, loco mox citato, narrat episcopum Giennensem nonnulla dubia Congregationi discutienda proposuisse anno 1581., quæ rem nostram spectant, et responsiones obtinuisse, quæ omne dubium excludunt circa sensum Decreti Concilii Tridentini et doctrinam in eo contentam.

Hæc sunt postulata cum responsionibus: "Si *invitus, et compulsus per vim adsit* sacerdos, dum contrahitur matrimonium . . . . . . utrum tale matrimonium subsistat? "Responsum fuit "*subsistere.*"—"Si sacerdos *adfuerit,* nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius, tamquam sine sacerdote, nullius sit ponderis et momenti?" Responsum fuit: "Non valere si sacerdos non intellexit: *nisi tamen affectasset non intelligere.*"—"Si adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu non cogitans, se esse ad id vocatum, *sed aliud agens, audit duos inter se contrahentes matrimonium;* utrum sit validum tale matrimonium, *in quo fuit præsens* non tamen certioratus, nec ad id expresse vocatus, *neque interponens suam auctoritatem dicto, vel facto;* vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur, et non nuda, vel casualis præsentia." Responsum fuit: "*Valere, etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum.*"

Quas responsiones Benedictus XIV. cum retulerit, diligenter declarat quomodo intelligi debeant hæc Congregationis verba, loquentis de parocho qui matrimonio quidem adfuit, sed nihil eorum quæ agebantur vidit, neque audivit: "*nisi affectasset non intelligere.*"

"Prædicta verba," ait Benedictus XIV., "de eo casu accipienda esse, quo parochus invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen et videre, et percipere naturaliter potuisset, eadem ratione, qua testes ad eum ipsum actum adhibiti, et vidisse se, et percepisse fatentur. Celebris fuit anno præterito 1753. causa *Carthaginien. matrimonii,* in Concilii Congregatione agitata, et judicata, in qua agebatur de quodam matrimonio contracto coram parocho domi suæ inopinate deprehenso, qui virum quidem aspexerat, ejusque verba perceperat, feminam vero nec viderat, nec audiverat. Porro, cum ex iis,

qui controversiæ judices sedebant, totidem ex una parte pro matrimonii validitate, totidem vero ex alia pro illius nullitate opinati fuerint, opportunum nobis visum est Congregationem ipsam *coram nobis* indicere, jussis prius theologis aliquot, aliisque juris canonici professoribus sententias suas hac de re scriptis exponere : qui sane, maxima diligentia ac labore, collatis inter se tum theologorum et canonistarum placitis, tum Decretis ejusdem Congregationis, et actis similium causarum, quæ alias coram ipsa agitatæ fuerant, et ab ea definitæ ; in hoc facile convenerunt, ut ad matrimonii validitatem necessarium omnino esset, contrahentes a parocho videri, eorumque verba mutuum consensum exprimentia, ab eodem audiri : eo scilicet principio præ oculis habito, quod, si *parochus matrimonio interest tamquam testis Ecclesiæ auctorizabilis*, nullo modo poterit de matrimonio contracto fidem facere, ubi nec utrumque viderit conjugem, nec utriusque consensum audierit. Sed, cum factum ipsum, de quo agebatur, accurate perpensum fuerit, ejusque circumstantiæ omnes diligenter excussæ, manifesto compertum est, quod, si parochus mulierem non vidit, ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia *ipse obfirmato animo eamdem videre, et audire noluit*, cum eam facile videre, et audire potuisset, quemadmodum bene viderant, recteque audierant testes ad eum actum adhibiti. Itaque *pronunciatum fuit, nobisque annuentibus sententia prodiit*, pro matrimonii validitate."

III. Præterea, Decretum Concilii Tridentini sæpius citatum aliud adhuc argumentum pro re quam defendimus nobis suppeditat. Concilium enim ita statuit : "Parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, *vel dicat :* ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; *vel aliis utatur verbis,* juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum."— Sed si Concilium judicasset hæc verba sacerdotis : "*ego vos in matrimonium conjungo* in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti," esse sacramenti matrimonii *formam*, non permisisset ut sacerdos *vel ea* diceret, *vel aliis* uteretur verbis.— Ergo.

Prob. min.—a) Quia inauditum est in Ecclesia formas essentiales sacramentorum relinqui arbitrio, ut quomodocumque proferantur, etiamsi id fiat per verba æquipollentia, cum in tanta diversitate facile irrepere possit mutatio quoad substantiam, et tam multiplex discrepantia, licet

solum accidentalis, dedeceat sacramenta: unde theologi docent eum peccare qui verba formæ essentialis mutat, etiamsi sint æquipollentia.

b) Quia noverant Patres in variis provinciis adhiberi verba non solum materialiter diversa ab illis: "ego vos in matrimonium conjungo;" sed etiam diversa formaliter quoad substantiam. Talia Dominicus Sotus, qui Conc. Trid. interfuit, refert in 4. d. 26. a. 3., ubi de hac forma: "*ego vos in matrimonio conjungo*, etc." ait: "Neque est universalis in Ecclesia; sed alii dicunt: ego vos sponso, et sacramentum confirmo; et alii: quos Deus conjunxit, homo non separet; atque alii aliter."—Et recte, nam in Rituali Ecclesiæ Constantiensis hæc forma legitur: "Matrimonium per vos contractum, secundum ordinem matris Ecclesiæ, ego auctoritate, qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo, et benedico, in nomine Patris, etc."—In Rituali Herbipolensi, habetur: "Ideo matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico, et benedico: in nomine Patris, etc."—In Diœcesi Eichstattensi sacerdos hæc pronuntiat verba: "Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego in facie Ecclesiæ illud solemnizo. In nomine Patris, etc."—In Diœcesi Monacho-Frisingensi hæc formula reperitur: "Matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos contractum Deus confirmet, et auctoritate Ecclesiæ, ego illud approbo, perficio atque solemnizo."—Jam vero admitti nequit, ut evidenter patet, Concilium Tridentinum ejusdem sacramenti formas prorsus inter se diversas *quoad sensum* permittere voluisse.—Ergo.

IV. Insuper, et hæc alia argumenta, ex Ecclesiæ praxi desumpta, veritatem doctrinæ quam vindicamus patenter ostendunt.

Ex canonica dispositione diaconus potest per annum administrare parœciam antequam sacerdotio initietur; et hoc temporis intervallo, etsi distribuere Eucharistiam et baptizare possit, cetera tamen sacramenta conficere nequit; potest tamen juxta præscriptum Ecclesiæ matrimoniis assistere.—Porro hæc conjugia, coram parocho adhuc diacono celebrata, esse sacramenta, ac proinde sacerdotem non esse sacramenti matrimonii ministrum, nemo in dubium revocare potest, etiamsi præscindatur ab eo quod superiore articulo demonstravimus, nempe non dari inter christianos matrimonium verum, quod non sit vere et proprie sacramentum.—Etenim si secus esset, deberet admitti conjuges fideles gratia sacramenti matrimonii in perpetuum privari,

quin aliquid propria voluntate peccaverint, immo quia matrimonium juxta præscripta Ecclesiæ celebraverunt ;—quod sane repugnat.

His addas :—Romani Pontifices interdum, ita poscentibus rerum difficillimis adjunctis, indulserunt, ut, absente sacerdote, vel cum non sine ingenti periculo pateret ad ipsum accessus, possent fideles coram duodus testibus licite inire conjugium, prout constitutum est pro Malabarica provincia anno 1669. die 30. Maii. Proposito præterea dubio de celebrato matrimonio absque benedictione sacerdotis, qui tunc haberi non poterat, an conveniat nec ne, ut præfata benedictio postea suppleatur, a Congregatione pro negotiis Ecclesiæ Gallicanæ specialiter deputata, die 22. Aprilis 1795, responsum est, ut si fideles eam petierint, posse quidem eisdem dari, ita tamen ut admonerentur illam *ad validitatem matrimonii minime pertinere.* At, "quorsum," optime hic interrogat P. Perrone (de Matrim. Christ. l. 1. s. 1. c. 5.), "ejusmodi admonitio, si censuissent Pontifices illam benedictionem partem essentialem sacramenti constituere?"

Demum, quando revalidandum est matrimonium coram sacerdote parocho celebratum, sed irritum ex causa occulta; non exigitur ut parochi ministerium adhibeatur, seu ut coram eo præsente et benedictionem iterum fundente revalidatio fiat.

Satis igitur superque demonstratum est sacerdotem sacramenti matrimonii non esse ministrum, sed hoc sibi invicem administrare contrahentes tamquam ministri.

Adversarii vero nostri, ut opinionem suam defendant, aiunt :—

1. Apostolus sacerdotes vocat sacramentorum dispensatores, juxta illud: "Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei" (I. ad Cor. IV. 1.).—Ergo sacramenti matrimonii ministri non sunt contrahentes, sed minister est sacerdos.

Resp.—Dispensatores mysteriorum Dei, de quibus loquitur Apostolus—si nomine mysteriorum sacramenta veniunt—*vel* intelliguntur ii qui regimini administrationis sacramentorum præpositi sunt; *vel* ii qui sacramenta conficiunt tamquam ministri.

Priori sensu, sacerdotes, et quidem non omnes sed illi qui in superiori sacerdotii gradu ad Ecclesiæ regimen a Christo Domino constituti sunt, *omnium* sane *sacramentorum* sunt dispensatores, cum ad eos spectet

declarare et determinare ea quæ ad validam, legitimamque sacramentorum administrationem requiruntur.

Posteriori autem sensu, prout nempe sacramentorum dispensatores appellantur ii qui sacramenta conficiunt, idest ministri, *aliorum* utique *sacramentorum*, sed non christiani conjugii, ministri sunt sacerdotes.—Apostolus vero, etiamsi dicatur eum de hac sola ministratione quæ in valida sacramentorum confectione consistit locutum fuisse, merito, *a majori parte*, sacerdotes appellare potuit sacramentorum dispensatores, hac locutione significando sacerdotes tamquam ministros Christi *sacramenta* conficere, sed non affirmando eos *omnium* omnino *sacramentorum* esse ministros.

Quamobrem, brevissime ad objectionem ex Scriptura propositam ita respondemus, si in verbis Apostoli nomine *mysteriorum*, sacramenta novæ legis stricto sensu accepta intelligantur :—Apostolus Paulus sacerdotes appellat dispensatores sacramentorum, *Dist.* quatenus sacerdotes qui ad Ecclesiæ regimen præpositi sunt, jus habent statuendi ea quæ, non mutando substantiam sacramentorum, spectant rectam eorum dispensationem *C.* Quatenus sacerdotes a Christo constituti sunt *ministri* ad sacramenta *valide* conficienda *Subd.* Sacramentum matrimonii *N.* alia Sacramenta *C.*

2. In ceteris sacramentis alius est sacramenti minister, alius suscipiens sacramentum :—ergo cum contrahentes suscipiant sacramentum matrimonii, ejusdem sacramenti non sunt ministri.

Resp. *a*)—Absolute et universaliter verum non est, in ceteris sacramentis, præscindendo a matrimonio, alium ministrare sacramentum, et alium illud suscipere ; nam in Eucharistia potest esse idem suscipiens et minister, scilicet sacerdos.

b)—Alia sacramenta non sunt in duobus contrahentibus sicut est sacramentum matrimonii, in quo sicut duo contrahentes contractum faciunt et suscipiunt, ita et sacramentum sibi invicem conferunt et suscipiunt.

c)—Etiam in matrimonio suscipiens et minister suo modo distincti sunt : non enim quilibet contrahens sibi, sed alter alteri sacramentum ministrat, ut postea fusius declarabitur.

3. Concilium Tridentinum, sess. 24. c. 1. de reform. matrim., jubet parochum, ut, viro et muliere interrogatis et eorum consensu intellecto, dicat: "Ego vos in matrimonium conjungo." Ergo parochus sponsos vere conjungit in matrimonium, tamquam sacramenti hujus minister, cum verba illa sumi debeant juxta obviam significationem, quando, sicut in casu, nihil obstat.

Resp.—In probatione thesis multiplici argumentorum genere demonstravimus Concilium Tridentinum nullatenus in illo Decreto declarare voluisse parochum, seu alium sacerdotem qui vices ejus teneret, ministrum matrimonii; sed e contra indubie tradidisse sacerdotem non esse sacramenti hujus ministrum, et verba quæ ab eo proferuntur non esse sacramenti formam. Adnotavimus etiam Concilium non præscripsisse *determinate* hæc verba a sacerdote proferenda: "Ego vos in matrimonium conjungo;" sed *vel hæc, vel alia,* juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum:—et simul ostendimus hanc Decreti clausulam apertissime per se solam dicere verba a sacerdote, juxta Concilii præscriptum proferenda sacramenti matrimonii non esse formam.

Sensus igitur illius formulæ: "Ego vos in matrimonium conjungo" non est, "ego per hæc verba matrimonium inter vos facio," aut "sacramentum matrimonii conficio, vobisque confero," sed "ego, tamquam Ecclesiæ minister, hoc conjugium vestrum verum esse atque legitimum declaro, illudque in facie Ecclesiæ confirmo, ratifico et benedico in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Præterea verba illa a sacerdote prolata "Ego vos in matrimonium conjungo," accipi nequeunt pro conjunctione *absolute* et *simpliciter* tali, quia significatio hæc naturæ contractus matrimonialis omnino repugnat, utpote qui nonnisi a contrahentibus mutuo consensu expresso perfici potest.

4. In Rituali Romano, an. 1494, legitur: "Contrahentibus respondentibus, se nec affines, nec consanguineos, etc. Sacerdos pronunciet verba, quæ sunt forma hujus sacramenti."—Aliud Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, in præfatione ait inter sacramenta, quorum administratio ad parochum pertinet, esse matrimonium.—Idem reperitur in Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo part. 4. Act. — Præterea Rituale Atrebatense anni 1600., et Yprense an. 1576., jubent, ut sacerdos dicat, "et ego tanquam Ecclesiæ minister vos in matrimonium

conjungo in nomine Patris, etc.:"—et similia in aliis Ritualibus præscribuntur.—Ergo.

Resp.—*a*) In his documentis ecclesiasticis agitur de sacerdote ut de ministro sacramentum matrimonii non *conficiente*, sed *confirmante* eique *benedicente.*

b) Ad Rituale Romanum antiquum quod attinet *Resp. Dist.*—Sic loquitur de matrimonio sumpto adæquate, quoad substantiam, et quoad solemnitatem *C.* secus *N.*—Matrimonii autem sic adæquate sumpti forma adæquata et integra coalescit ex verbis sacerdotis et contrahentium; nam per hæc quoad substantiam, per verba vero sacerdotis perficitur quoad solemnitatem.

Ad alterum Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, *Resp. Dist.* Ait administrationem sacramenti matrimonii pertinere ad parochos, quia contrahentes non possunt licite, nec modo juxta Concilium Tridentinum valide, perficere hoc sacramentum sine assistentia parochi tanquam testis essentialiter requisiti *C.* secus *N.* Eodem modo explica S. Carolum Borromæum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. § 1.

Ad cetera Ritualia, ut Atrebatense, Yprense, Mechliniense, *Resp.*—ea, utpote post Concilium Tridentinum edita, loqui juxta mentem et declarationes Concilii, quas plenissime jam exposuimus. Sane in illis Ritualibus non dicitur *sacramenti matrimonii ministrum esse* sacerdotem; sed sacerdotem, ut *ministrum Ecclesiæ, conjungere* contrahentes in matrimonium, sensu a nobis superius declarato.

5. SS. Patres, Summi Pontifices et Concilia ita de nuptiarum benedictione a sacerdote data loquuntur, ut necesse sit plane fateri, hanc ad sacramentum matrimonii conficiendum essentialem esse. Ergo minister hujus sacramenti non est nisi sacerdos.—Probatur antec.

a) Ex SS. Patribus.—Nam Tertullianus, libr. 2. ad uxorem, cap. 9.: "Unde sufficiamus," inquit, "ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?" S. Basilius, Homil. 7. in Hexamer. ait: "Jugum per benedictionem impositum, distantium sit conjunctio."—S. Ambrosius Epist. 19. ad Vigilium: "Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat." Similia habent plures alii.

b) Ex Summis Pontificibus.—Evaristus, Epist. 1. relata C. *Aliter* 30. quæst. 5., connubia ait, sine sacerdotis benedictione contracta, "non

conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse."—Siricius, Epist. ad Himmerium Tarraconensem cap. 4. dicit: "Illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur."—Innocentius I., Ep. 9. ad Probum asserit, matrimonio dari gratiam divinam, quando celebratur; sed non celebratur, nisi quando parochus benedictionem elargitur. Similia habet in Epistola ad Victricium Rothomagensem. Et Hormisdas, relatus cap. 3. quæst. 5.: "Nullus," inquit, "fidelis occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino." His adde Nicolaum I. in Epist. ad Rodoaldum, et relatum cap. Lotharius 31. q. 2., ubi docet matrimonium inter Lotharium et Waldradam initum dissolvendum esse, si non fuerit cum benedictione sacerdotis celebratum.

c) Ex Conciliis.—Carthaginense IV. can. 13. conjuges monet, ut nocte post acceptam benedictionem, ob reverentiam benedictionis se contineant.—Coloniense, habitum anno 1536., part. 7. c. 40., ait sacramentum matrimonii, si quis, sicut decet, acceperit, *accedente sacerdotali precatione*, conferre donum Spiritus Sancti, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam; ubi verba, "*accedente sacerdotali precatione*," manifeste demonstrant, ait Tournely, mentem hujus Synodi esse, sacerdotalem precationem esse formam hujus sacramenti. Et in Enchiridio, quod jussu hujus Concilii editum est, capit. penult. dicitur: "Quanto magis putandum est in nova lege sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus sacramenti ministros esse."—Cameracense habitum anno 1567. paulo post sess. 24. Concilii Tridentini, item Rhemense anno 1583., et quædam alia, partim meminerunt sacerdotalis benedictionis, partim parochum vocant matrimonii ministrum.—Concilium Lateranense III. (Decr. libr. 5. cap. *cum in Ecclesiæ corpore* 9. de simonia) ait horribile esse pro benedictionibus nubentium, sive pro aliis sacramentis aliquid accipere; ergo supponit hanc benedictionem esse de essentia sacramenti.—Denique in fine Concilii Constantiensis Martinus V. inter sacramenta numerat matrimonii solemnitatem.

Antequam huic objectioni respondeam, animadverto nullum ex Patribus aut Summis Pontificibus loqui, vel quocumque modo alludere ad verba hæc sacerdotis, in quibus adversarii formam conjugii repo-

nunt, nempe: "Ego vos in matrimonium conjungo;" sed de alia *benedictione* loquuntur, qua sacerdos varias fundens preces nubentibus solemniter benedicit.

Deinde ad singula objecta, respondeo

a) quoad Patres,

Tertullianus loquitur de *obsignatione benedictionis*, quatenus ita ferebat Ecclesiæ disciplina qua prohibebatur matrimonium occulte contractum, et qua fiebat ut nuptiæ in facie Ecclesiæ celebratæ suum veluti publicum sigillum obtinerent, per quod uti legitimæ et probatæ ab omnibus agnoscerentur.—Ceterum agit hic Tertullianus de conjugio fidelium ostendendo illud felix esse quod tot sacris ritibus peragatur, secus ac fiat in conjugiis infidelium; et hoc verum est, licet benedictio sacerdotis ad essentiam matrimonii non pertineat. — Præterea ipsa Tertulliani verba significare potius videntur benedictionem accedere matrimonio in suo esse jam perfecto.

S. Basilius de eadem benedictione conjugio accidentali loquitur: sine ea tamen fideles matrimonia contrahere non solebant, nam adhiberi debebat ex præcepto.

S. Ambrosius intelligendus est non de sanctificatione sacramentali, quæ ex opere operato habetur; sed de accidentali quæ habetur per preces sacerdotis benedicentis. Ratio responsionis ex ipso S. Doctore patet; dehortatur enim eo loco fideles, ne cum infidelibus matrimonia ineant sine ritibus sacris, quibus sanctificari alias matrimonia oportet; addit enim immediate: "quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?"

b) Quoad Summos Pontifices,

S. Evaristi Epistola est supposita. Textus vero S. Evaristo attributus, ubi legitur sententia in objectione citata, refertur a Gratiano (2. p. Decr., *Causa* 30. q. 5. c. 1. *Aliter*) et sic se habet:—"Aliter legitimum non sit conjugium nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur uxor petatur, et a parentibus et propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata, a proximis congruo tempore petita legibus detur, ac solemniter accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant. Ita peracta legitima scitote esse connubia; aliter vero præsumpta, non con

jugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima."— Porro quis non videt in hac spuria Decretali multa referri quæ ad validitatem conjugii necessaria certe non sunt, inter quæ merito reponimus etiam sacerdotis benedictionem?—Matrimonia vero quæ fiunt sine conditionibus ibi recensitis, ab illa spuria Decretali dicuntur adulteria et fornicationes, vel juxta præsumptionem fori externi, non reputantis verum matrimonium quod probari non potest, vel ea tantum matrimonia in quibus non adest verus et legitimus utriusque partis consensus; quare subjungitur: "*nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima.*"

S. Innocentius I. dixit matrimonio dari gratiam quando celebratur, quod sane fide tenemus; sed non dixit, ut contendunt adversarii, gratiam dari *vi benedictionis sacerdotis*, quæ debet tamquam sacramenti *forma* considerari.

S. Hormisdas præceptam indicat benedictionem nuptialem, quod non negamus; attamen benedictionem illam præscriptam fuisse tamquam sacramento essentialem non declarat.

Nicolaus I. ea quæ in objectione proponuntur scripsit secundum præsumptionem fori externi. Etenim cum Lotharius repudiaverit Teutpergam uxorem suam, ut Waldradam duceret, Summus Pontifex Rodoaldo et Joanni Ficolensi legatis suis mandavit ut nullum hoc matrimonium declararent nisi Lotharius *probaret* se prius, ante Teutpergam, duxisse Waldradam. En verba Nicolai I. (apud Harduin. tom. 5. pag. 319.): "Si minime probatum fuerit, Waldradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario extitisse conjunctam, suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi . . . reconciliari uxorem."

c) Quoad Concilia,

Concilium Carthaginense IV. canone 13. conjuges monet, ut nocte post acceptam benedictionem, ob reverentiam benedictionis, se contineant, *non* quia benedictio sacerdotis est forma sacramenti matrimonii, *sed* quia est quoddam sacramentale, sacramento adjunctum. Hoc unum igitur ex textu objecto colligitur, nempe, benedictionem sacerdotalem adhiberi solitam fuisse in conjugii christiani celebratione, quod

ultro fatemur; sed ex eo nullatenus ostendi potest *benedictionem* sacerdotis esse de essentia hujus conjugii, et constituere sacramenti matrimonii formam.

Concilium Coloniense doctrinam quam defendimus insinuat; dum enim dicit, c. 40.: "Sacramentum [matrimonii] si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto sicut Christus dilexit Ecclesiam," supponit sacramentum matrimonii confectum esse ante precationem, atque hanc illi, in suo esse jam constituto, accessoriam addi. Dicit autem "*accedente sacerdotali precatione*" conferri in matrimonii celebratione donum Spiritus Sancti, quia cum benedictio sacerdotis præcepta fuerit, conjuges qui eam culpabiliter omisissent, gratiam sacramenti matrimonii non percepissent, utpote cui peccato suo posuissent obicem.

Ad Enchiridion jussu hujus Concilii editum Resp. *Dist.*—Vocat sacerdotes ministros legitimos, quia conficiunt sacramentum ipsum *N.* quia contrahentes nec solemniter, nec licite perficere poterant hoc sacramentum, nisi præsente sacerdote, exquirente consensum, et per verba de præsenti consensum nomine Ecclesiæ ratum habente; verbo, quia sacerdos ad licitam matrimonii celebrationem et solemnitatem principaliter concurrebat *C.*

Hanc, non aliam, esse ejusdem Enchiridii doctrinam, ex sequentibus verbis planum fit: "Superest," inquit, "ut verbum et elementum hujus sacramenti videamus, et gratiam insuper in eo conferri demonstremus. Verbum itaque hujus sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas et femina cum pietatis respectu quæ in Deum est sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque, non quovis modo, sed Dei nomine conjunguntur." Ergo verbum, quo hoc sacramentum fit, quod proinde forma est, juxta Concilii Coloniensis Enchiridion, non est sacerdotis benedictio, sed verbum quo contrahentes dant consensum et accipiunt.—Hinc dum sacerdotes vocantur ministri legitimi, id in sensu a nobis explicato intelligi debet.—Idem dicendum est, quoad Concilia Cameracense et Rhemense.

Concilii Lateranensis III. Decretum, quod invenitur Decr. libr. 5. *de Simonia*, tit. 3. c. 9. *cum in Ecclesia*, ita se habet: "Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: ita ut pro episcopis, vel abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesia-

sticis ponendis in sedem, sive introducendis presbyteris in Ecclesiam, nec non pro sepulturis, et exequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur. . . . Ne igitur hæc de cetero fiant, vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis, aliquid exigatur, districtius prohibemus."—His vero in verbis nihil prorsus invenitur quod insinuet *benedictione* sacerdotis confici nuptiarum sacramentum, ita ut si sacerdotalis ejusmodi benedictio non accedat, matrimonii sacramentum non habeatur.—Sane, si quis contrarium contenderet, hac locutione Concilii innixus "pro *benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis*," cum illud "aliis sacramentis" non modo *benedictionibus nubentium*, verum etiam *sepulturis et exequiis mortuorum* aptetur, consequens foret ex hac interpretatione, tum sepulturas tum mortuorum exequias, quæ sine ministerio sacerdotis non fiunt, totidem esse sacramenta; quod nemo sanus dixerit. Igitur heic ponitur benedictio nuptiarum, quia hæc est id unum, quod minister Ecclesiæ præstat, et pro quo proinde stipendium acceptare posse sibi videbatur.

Ceterum, mentem numquam fuisse Concilii Lateranensis III., adeoque nec Alexandri III. sub quo Concilium celebratum est, uti essentialem sacramento matrimonii decernere benedictionem sacerdotalem, evidenter constat ex Appendice ejusdem Concilii, part. 17. cap. 8., ubi exhibetur laudati Pontificis rescriptum his verbis expressum: "Super hoc inquisitioni tuæ taliter respondemus; quod si legitimus consensus a [forte *ea*] solemnitate, qua fieri solet, præsente sacerdote, *aut etiam ejus notario*, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus interveniat de præsenti; ita quod unus alium in suum mutuo consensu verbis expressis recipiat, utrimque dicendo: *Ego te recipio in meam, et ego te in meum;* sive sit juramentum, sive non, non licet mulieri alii nubere, et si nupserit, et fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli."—Si igitur perfici poterat matrimonium etiam *coram solo notario* et *idoneis testibus* sine præsentia sacerdotis, patet ex mente Pontificis benedictionem sacerdotalem minime spectare ad sacramenti matrimonii essentiam, nec proinde sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum. Cf. apud Harduin. *Acta Concil.* t. 6. p. 2. col. 1732.

Ad Concilium Constantiense, Resp. *Dist.* — Martinus V. in fine Concilii sacramentis aliis adjungit matrimonii *solemnizationem* in abstracto *N.* sumptam in concreto pro matrimonio solemni, contracto in facie Ecclesiæ *C.*—Jubet enim Pontifex in Bulla ad finem hujus Concilii, suspectos de hæresi specialiter inter cetera interrogari, an credant, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet lethaliter ; at solemnizationem, ut patet, non sumit in abstracto quasi in ea consisteret sacramentum ; sed in concreto pro matrimonio solemni, h. e. contracto in facie Ecclesiæ ; sive pro matrimonio tam quoad substantiam ejus, quam quoad solemnitatem.

6. Jam a sæculo XIII. S. Thomas, Gulielmus Parisiensis et Scotus docuerunt sacramenti matrimonii ministrum esse sacerdotem : eos autem, sæculo XIV., secutus est Petrus Paludanus.

Resp. *Neg.*—Et ad Angelicum Doctorem quod attinet, sufficit ea legere quæ ex ipso retulimus p. 188. et seq.

Quoad Gulielmum Parisiensem, ut ejus mens pateat, hic citamus quæ in opusc. "*De Matrimonio*" scripsit c. 6. "*de Sanctitate matrimonii.*" "Habet enim," inquit, "matrimonium *non parum* sanctitatis ex benedictione, vel oratione sacerdotali ; sine qua numquam celebrandum est matrimonium, quam quicumque contempserint, aut declinaverint, *nisi metu justo, aut alia causa necessaria,* non sunt conjuges habendi, sed fornicarii, nec filii eorum legitimi esse censendi. Etenim nec cibus sumendus est absque oratione, et benedictione sacerdotali, ubi sacerdotis est copia, nec aliquod opus etiam leve, aut modicum, quod operis nomine dignum sit, aggrediendum vel faciendum absque benedictione et divina invocatione." His autem plures adjicit probationes, ut evincat *convenientiam* exquirendi recipiendique benedictionem sacerdotis, quo sancte celebretur conjugium.—In eodem etiam capite 6. afferens septem rationes ad matrimonii sanctitatem adstruendam, septimo loco ponit eam, quæ desumitur, "ex ipso sacramento, quo ipsum matrimonium sacrum signum est matrimonii spiritualis, quod esse debet inter Deum et animam humanam."

Deinde in cap. 9. sub hoc titulo "*Quæstiones quatuor singulares*" idem Gulielmus scribit : "Utrum veri nominis et sacramentalis virtutis sit [matrimonium], si *præter* nuptialem benedictionem, et orationem, quam

habere potest, contrahatur? Verum certum est, quia et *sacrum signum est, et sacrans, sive sanctificans virtute essentiali* . . . dummodo nuptialis benedictio *non contemnatur;* sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Unde et matrimonium apud fideles, et apud infideles, æquivoce dicitur: apud infideles enim non est, nisi sicut diximus; apud fideles autem est illo modo, et insuper sacrans benedictionis virtute, quod est proprium verorum *plenæ virtutis* sacramentorum."

Jam vero ex his testimoniis inter se collatis, ut animadvertit Perrone (de Matrim. christ. libr. 1. sect. 1. c. 2.), merito colligimus juxta mentem Gulielmi Parisiensis *a*)—matrimonium fidelium habere rationem sacramenti ex se ipso, quatenus est signum sacrum conferens gratiam sanctificantem, quæ in omnibus sacramentis novæ legis confertur. *b*)—Hoc esse essentiale ipsi signo, quod habetur per conjunctionem nubentium, seu per eorum consensum. *c*)—Signum sacrum et sacrans non intervenire in conjugio infidelium, adeoque istorum connubium non habere rationem sacramenti, prout habet fidelium conjugium. *d*)—Benedictionem sacerdotis minime censendam esse essentialem sacramento matrimonii, cum sacramentum habeatur quando, necessaria causa interveniente, benedictio illa omittitur. Quod affirmari sane non posset, si sacerdotalis benedictio ad sacramenti formam atque adeo ad sacramentum conficiendum essentialiter requireretur. *e*)—Ejusmodi benedictionem et orationem supervenire conjugio jam contracto, seu sacramento matrimonii jam confecto, ad ulteriorem a Deo impetrandam sanctitatem, vi inhærente ipsi orationi, quatenus nomine Ecclesiæ funditur a sacerdote; ideoque sacerdotis benedictionem ex Gulielmi mente censendam esse accidentalem; qui eodem modo eam requirit ad sanctificandum cibum et potum, vel aliud opus quodcumque ex monito Apostoli, relato immediate post citata verba ex cap. 6.: "Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum."

Nec obest Gulielmum benedictioni sacerdotali tribuere *virtutem sacramentalem*, aut etiam asserere matrimonium sine benedictione celebratum non esse *veri nominis sacramentum;* nam uti liquet ex totius orationis serie, Gulielmus nihil aliud significare intendit, quam sacramenti fructum, sive gratiam minime obtineri ab iis, qui connubium non contra-

hunt juxta Ecclesiæ ritum, sed clandestine, quod semper illicitum fuit, cum a clandestinis nuptiis Ecclesia semper abhorruerit, easque vetuerit; adeoque latiori significatione *virtutem sacramentalem*, ac *veri nominis sacramentum* nominat. Et re quidem vera in eodem contextu jam affirmaverat ille auctor, matrimonium esse per se *verum sacramentum*, utpote *signum sacrum* et *sacrans* et *significans;* item habere *virtutem sacramentalem*, et quidem *vi sua*, quamvis celebratum fuerit absque sacerdotali benedictione. Quamobrem nisi velimus sibimetipsi in eadem periodo Gulielmum turpiter contradicere, fateamur necesse est, nonnisi latiori sensu, ut diximus, eum affirmasse per sacerdotalem benedictionem et orationem haberi veri nominis sacramentum, et sacramentalem virtutem, quatenus cum debitis dispositionibus ad sacramentum matrimonii contrahentes accedunt; aut etiam ad uberiorem fructum obtinendum ex opere operantis.

Nec pariter obstat quod Gulielmus *fornicarios* appellaverit eos qui nulla legitima intercedente causa benedictionem sacerdotalem neglexerunt, eorumque liberos dixerit *legitimos* non *esse censendos;* siquidem, ut antea pro locutionibus similibus monuimus, hisce appellationibus non aliud significare intendit, quam non esse ejusmodi conjuges in eorum censu habendos, qui debita pietate, ac dispositionibus necessariis connubium inierint, et ad Ecclesiæ catholicæ normam atque præscriptum. Alioquin si presse et in rigore verba quæ objiciuntur sumi deberent, significarent connubia illa sine benedictione celebrata nec vera fuisse in ratione contractus matrimonialis, contra id quod adversarii nostri contendunt, qui distinguunt in matrimonio christiano contractum a sacramento, et aiunt actus contrahentium quibus sibi mutuo dant fidem conjugalem esse contractum matrimonii et sacramenti matrimonii materiam, verba vero sacerdotis esse sacramenti formam.—Et hæc de Gulielmo Parisiensi dixisse sufficiat, licet et alia pro re nostra ex eodem auctore proferri potuissent.

Scotus adhuc minus Cano favet; nam in 4. d. 26. q. un., mentem suam sic exprimit, ut clarius non posset: "Sacramentum matrimonii," dicit, "est expressio certorum verborum maris et feminæ se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam."

Nec juvat Canum, quod postea eodem loco dicat: "De ministro est aliud dubium, quia ut plurimum contrahentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum . . . sed nec hoc requiritur necessario si in omni contractu est sacramentum, quia aliquando patres contrahunt pro filiis vel filiabus præsentibus, eis non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est sacramentum, oportet dicere quod minister hujus sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse minister in contractu matrimonii." Nam Scotus, ut ex verbis palam est, non dubitavit, utrum contrahentes sint ministri sacramenti matrimonii, si ipsi proferant verba consensum exprimentia; sed dubium Scoti erat hoc, an solus ille contractus matrimonii sit sacramentum, quando ipsi contrahentes consensum exprimunt? dicitque, si verum est, quando in omni contractu sit sacramentum, etiam parentes posse hoc sacramentum ministrare liberis, ut quando parentes liberis præsentibus et tacentibus contrahunt; imo sic ministrare hoc sacramentum posse, quicumque potest esse causa efficiens contractus matrimonialis.

Paludanus vero apertissime doctrinam quam defendimus tradidit, et quidem in eo ipso loco (In 4. dist. 5. q. 2.) citato ab adversariis; hæc enim sunt verba ejus: "Non videtur," inquit, "quod peccator contrahens matrimonium peccet, cum tamen essentia matrimonii consistat in mutuo consensu per verba unius alteri expressa: *hic enim consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens*, qui solum sacramentale quoddam adhibet."

7. Sacramenta sunt ceremoniæ sacræ et actus religionis.—At matrimonium solis verbis conjugum contractum, si non accedant verba quæ a sacerdote proferuntur, nihil habet sacri.—Ergo in verbis sacerdotis hujus sacramenti forma constituenda est, et sacerdos sacramenti matrimonii minister dicendus est.

Resp. *N. min.*—Matrimonium enim, mutuo paciscentium consensu celebratum, jam ab initio lato sensu sacramentum fuit, et in nova lege, cum a christianis contrahitur, ob efficientiam gratiæ quam habet, plane sacrum est.

8. Matrimonium contractum solis conjugum verbis non significat effectum sacramentalem.—Ergo nequit dici matrimonium, quin accedant sacerdotis verba, ut forma, constituere totum signum sacramentale.

Resp. *N. Ant.*—Significat enim spiritualem conjunctionem conjugum per charitatem mutuam.

9. Ante Concilium Tridentinum, et juxta jus antiquum, sponsalia per copulam, affectu maritali factam, transibant in matrimonium.—Ergo contrahentes nequeunt sacramenti matrimonii dici ministri, secus copula illa illicita sacramentum efficeret.

Resp. *a*)—Moraliter impossibile esse videtur, copulam a sponsis maritali animo factam nulla verba, aut signa præcessisse, quæ significarent eos mutuo sibi tradere jus ad actus conjugales exercendos.—Porro si hæc verba, vel signa præcesserunt, objectio ruit: illis enim verbis aut signis matrimonium ante copulam factum fuit.

Sed etiam suppositione admissa copulæ, quam nulla signa consensum matrimonii exprimentia præcessissent,

Resp. *b*) Copulam carnalem non ratione sui, sed ratione signi, seu prout manifestabat mutuum in matrimonium consensum, sacramentum matrimonii essentialiter perfecisse. Etenim cum copula ratione sui sit indifferens ut fiat vel animo maritali, vel fornicario, non ipsa, prout copula est, sed ipsa prout signum est utriusque partis consensus externe expressi sacramentum matrimonii efficere poterat, et efficiebat;—causa enim hujus sacramenti, ut ait Concilium Florentinum, est consensus mutuus expressus; et quod expressio consentientis voluntatis fiat per hoc vel per illud signum, est omnino accidentale. Quapropter si hoc signum sit actio turpis, non ideo *valori* obstat sacramenti, sed solum *ponit obicem gratiæ* ex parte subjecti.

10. Benedictus XIV. (De Synodo diœcesana, lib. 8. cap. 13. n. 4.) sententiam quæ adstruit sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum dicit *valde* probabilem.

Resp.—Probabilem eam dicit, ut videtur, tantum *extrinsece;* in Decretali enim epistola sua ad archiepiscopum Goanum, quæ incipit: "Paucis ab hinc hebdomadis," data die 19. Martii an. 1758., de matrimonio doctrinam exponens, ait: "legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti matrimonii, mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio forma;" quibus verbis contrahentes esse sacramenti matrimonii ministros clarissime tradit.

ARTICULUS QUARTUS

De sacramenti matrimonii materia et forma.

Ex duobus præcedentibus articulis constat materiam sacramenti matrimonii non esse contractum matrimonialem, cui accedant verba sacerdotis nuptiis benedicentis tamquam forma; sed contractum ipsum matrimonialem a fidelibus celebratum esse sacramentum.

Hac veritate in tuto posita, quærimus quo pacto contrahentes sacramentum matrimonii ad invicem sibi administrent; ac proinde quid in matrimonio considerari debeat tamquam sacramenti materia, quid in eo haberi debeat tamquam forma.

Varia hac in re placita sunt Doctorum. Ut præcipua commemoremus, quidam cum Navarro dixerunt consensum internum esse sacramenti matrimonii materiam adæquatam, formam vero verba, aut alia signa externa quæ consensum exprimunt;—nonnulli cum Vasquesio putaverunt ipsa contrahentium corpora esse materiam, et formam esse consensum verbis expressum, vel aliis signis:—recentiores autem post Suaresium, Bellarminum, Sanchez, aliosque communiter tenent materiam matrimonii esse traditionem corporum, formam vero esse hujus traditionis acceptationem; quod, ut ultimis articuli præcedentis verbis adnotavimus, et ipse Benedictus XIV. in Decretali ad archiepiscopum Goanum "Paucis ab hinc" an. 1758. aperte docuit.

Hanc sententiam, tum aliarum opinionum refutatione, tum directa probatione vindicabimus thesi sequenti.

THESIS IV.

Materia adæquata sacramenti matrimonii reponenda non est in consensu interno, nec forma in verbis, aut in signis quæ consensum exprimunt:—corpora vero contrahentium, vel potius jus in corpora in ordine ad usum conjugalem materiam matrimonii remotam, et circa quam, non proximam et ex qua constituunt. Materia autem proxima sacramenti hujus et forma

sunt contrahentium actus quibus sibi mutuo jus seu dominium in corpora in ordine ad conjugalem usum tradunt, et traditionem acceptant; ita tamen ut materia sit traditio, et forma, ejus acceptatio, utraque dicens et consensum internum et externam significationem.

Prob. 1. *pars* thesis.—Consensus internus dici nequit materia *remota* sacramenti matrimonii, cum materia remota sit illa res circa quam consensus ipse versatur.—Nec dici potest materia *proxima*, nam materia sacramenti debet saltem ex aliqua sui parte esse sensibilis, cum sacramenta ex genere suo sint signa sensibilia, non tantum ratione formæ, sed etiam materiæ: consensus autem internus ex nulla parte sui sensibilis est.—Et adnotavimus materiam sacramenti saltem ex aliqua parte sui sensibilem esse debere, quia materia ex aliqua parte sui potest in se non esse sensibilis in sacramento, sed per aliam partialem materiam sensibilis fieri, ut in sacramento pœnitentiæ dolor interior, qui est materia partialis, fit sensibilis in confessione et per confessionem, quæ est etiam ejusdem sacramenti partialis materia.

Insuper, in sacramentis materia proxima est res vel actio minus determinatæ significationis, quæ per formam determinatur.—Sed consensus internus non est quid indifferens et determinabile in conjugiis, sed est actus determinatus ad suum tantum objectum exprimendum; nec determinatur a verbis, quæ unice consensum internum reddunt sensibilem.—Ergo consensus internus dici nequit sacramenti matrimonii materia proxima.

Prob. 2. *pars* thesis.—Materia *proxima* et *ex qua* sacramenti matrimonii, quod in contractu matrimoniali consistit, debet esse pars materialis hujus contractus, quem intrinsece componit.—Atqui corpora contrahentium, vel jus in ea in ordine ad usum conjugalem, non componunt intrinsece contractum, sicut res vendita, ager, vinea non componit intrinsece venditionem.—Ergo corpora contrahentium vel jus in corpora in ordine ad usum conjugalem *materia proxima* sacramenti matrimonii esse non possunt.—Sunt tamen materia *remota*, et *circa quam;* quia circa corpora, vel jus mutuum in ea, contractus versatur; sicut venditio versatur circa agrum.

Præterea corpora, vel jus et dominium mutuum in illa, nec significant, nec causant gratiam; ergo non possunt esse pars materialis sacramenti.

Prob. 3. *pars* thesis.—In aliis contractibus materia et forma sunt actus contrahentium, ita ut traditio habeat rationem materiæ; acceptatio, formæ:—ergo et in contractu matrimoniali; nam in ratione contractus matrimonium a ceteris contractibus non distinguitur.

Prob. Ant.—Illud se habet per modum materiæ, quod se habet per modum determinabilis; illud vero se habet per modum formæ, quod se habet per modum determinantis. Sed traditio se habet per modum determinabilis, et acceptatio illius per modum determinantis; traditio enim adhuc quid informe est, nam per eam solum contractus inchoatur; estque inefficax, et manet suspensa, donec accedat acceptatio, per quam traditio fit perfecta et efficax, et contractus perficitur.—Ergo.

Verum dum statuimus materiam proximam sacramenti matrimonii esse traditionem mutuam juris, seu dominii, in corpora in ordine ad usum conjugalem, et formam esse hujusmodi traditionis acceptationem, intelligimus utramque, seu traditionem et acceptationem, dicere et *consensum internum* et *externam significationem*. Sacramentum enim quodlibet necessario signum sensibile requirit, quod habetur per actum externum; et sacramentum de quo loquimur, consistens in contractu matrimonii qui juxta Christi institutionem ex opere operato gratiam confert, utrumque essentialiter exigit consensum nempe internum, et externam consensus expressionem, cum contractus non fiat sine mutuo consensu contrahentium externe significato.

Demum ad majorem rei declarationem hic adnotamus contrahentium verba: *accipio te in meam, accipio te in meum,* ita esse acceptationem ab una parte, ut sint simul traditio juris in proprium corpus; nam dum sponsus dicit: *accipio te in meam,* his jus in corpus suum tradit, et traditionem juris in corpus sponsæ ab ea factam acceptat; et similiter dum sponsa dicit: *accipio te in meum,* jus in corpus suum tradit sponso, et traditionem sponsi acceptat. Quamobrem idem actus ab unoquoque contrahentium elicitus sub diversa consideratione materia est et forma; materia ut est traditio, forma vero ut est acceptatio.

ARTICULUS QUINTUS

An solum matrimonium a duobus fidelibus contractum sit sacramentum.

Omne matrimonium a duobus fidelibus contractum sacramentum esse demonstravimus; sed quid dicendum de matrimonio eorum qui antequam baptizati fuerint conjugium inierunt? Potestne conjugium in infidelitate celebratum fieri sacramentum ex conversione duorum conjugum ad fidem; et si fieri potest, matrimonium transitne solo baptismo ab eis accepto in sacramentum, vel renovatio consensus matrimonialis ad id requiritur?

Præterea quid de nuptiis dicendum est, quæ ex dispensatione Ecclesiæ inter fidelem et infidelem celebrantur? censerine possunt sacramentum ex parte fidelis?

In his quæstionibus solvendis scinduntur Doctores: quas probabiliores putamus sententias proponit

THESIS V.

Matrimonium a non baptizatis contractum, postquam uterque conjux baptizatus fuerit, fit sacramentum si consensus matrimonialis explicite renovetur; immo etiam, ut videtur probabile, sine explicita consensus renovatione.—Matrimonium autem ex dispensatione Ecclesiæ contractum inter fidelem et infidelem verum et proprie dictum sacramentum non est, nequidem ex parte fidelis.

Prima pars thesis, quam cum Bellarmino, Sanchez, Kugler, Perrone et multis aliis, ut probabiliorem, defendimus adversus Vasquez, Salmanticenses, Tournely, aliosque, probatur

1. Ex doctrina ab Apostolo Paulo tradita in Epistola ad Ephesios, v.—Etenim in Ecclesia Ephesina collecta ex gentibus ad fidem Christi conversis probabiliter admitti nequit omnes conjugatos nonnisi post

susceptum baptismum matrimonium iniisse; sed e contra magna probabilitate admitti debet saltem quosdam fuisse jam matrimoniali vinculo colligatos antequam professi fuerint Christi fidem et baptismum susceperint.—Sed Apostolus de omnibus fidelibus conjugatis qui erant in Ecclesia Ephesina, absque ullo discrimine, docet, ut demonstravimus in prima thesi, eos verum et proprie dictum sacramentum conjugii suscepisse.—Ergo juxta doctrinam Apostoli, non solum ii qui matrimonium post susceptionem baptismi celebraverunt, sed magna probabilitate etiam alii qui matrimonio conjuncti erant antequam baptizati fuerint, sacramentum matrimonii susceperunt:—ac proinde matrimonium in infidelitate contractum fit, probabilius, post baptismum ab utroque conjuge susceptum, verum et proprii nominis sacramentum.

2. Matrimonium quod vere et proprie sacramentum est majorem firmitatem habet, ratione sacramenti, matrimonio a duobus infidelibus contracto quod non est sacramentum.—Sed matrimonium a duobus infidelibus contractum, post utriusque conjugis conversionem ad fidem et susceptionem baptismi, majorem habet firmitatem quam antea habebat.—Ergo matrimonium quod contractum fuit a duobus infidelibus, post eorum conversionem ad fidem et susceptionem baptismi, factum est sacramentum.

Major et minor argumenti constant ex iis quæ antea diximus cum de matrimonio *rato* ageremus, et ex dicendis de matrimonii christiani indissolubilitate confirmabuntur.

3. Cum fideles matrimonium contrahunt, sacramentum conficiunt et per illud sacramentalem gratiam accipiunt ut mutua dilectione supernaturali ad invicem ligati maneant, et munera christiani conjugii possint implere, pro quibus auxilium gratiæ supernaturalis certe requiritur.—Ergo, nisi evidenter contrarium constet, et profecto non constat, admitti debet eamdem sacramentalem matrimonii gratiam illis conferri qui, licet matrimonium cum adhuc infideles essent contraxerint, debent tamen post susceptionem baptismi, charitate supernaturali, non aliter quam illi qui matrimonium contraxerunt cum ambo essent fideles, manere conjuncti, et eadem prorsus munera christiani conjugii implere tenentur;—eo vel magis quod longe difficilior impletio horum munerum ob præcedentes habitus sit illis qui ex infidelitate ad fidem se recipiunt.

4. Præcipua ratio in qua sententia nobis adversa innititur non est firma. Etenim hujus sententiæ defensores aiunt:—sacramentum matrimonii consistit *in actu*, et suscipitur cum contractus matrimonialis *actu* celebratur: ergo sacramentum matrimonii ab illis qui ante baptismum contractum matrimonialem inierunt, suscipi non potest, cum contractus matrimonialis jam pridem celebratus fuerit ab eis et permaneat et iterum post baptismum celebrari omnino non possit.

Sed respondemus:—

Licet ab illis qui matrimonium inierunt ante susceptionem baptismi non fiat post baptismum novus contractus matrimonii *simpliciter* et *secundum se* spectati; fit tamen *novus* contractus matrimonii *secundum quid*, et *moraliter* diversus a contractu jam pridem cum adhuc essent infideles celebrato. Etenim consensus in traditionem rei novo titulo et modo insolubiliter factam, est moraliter diversus a consensu in traditionem rei non tali titulo ac modo factam insolubilem:—consensus igitur conjugum baptizatorum, cum sit consensus in mutuam traditionem juris in corpora novo titulo et modo factam, nimirum insolubilem, ratione sacramenti et perfectæ significationis indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia; est consensus matrimonialis in mutuam traditionem juris in corpora moraliter diversus a consensu ante baptismum præstito; ac proinde constituit novum contractum matrimonialem *secundum quid* et *moraliter* diversum a præcedenti.

Responsionem quam dedimus, *a pari* illustramus et confirmamus; siquidem venditio rei, quæ fit novo titulo et modo firmiori, distinguitur a venditione ejusdem rei prius facta; et vota solemnia quæ a Societatis Jesu religiosis nuncupantur—idem fit nunc etiam in aliis ordinibus religiosis—a votis simplicibus distinguuntur, quæ iidem religiosi prius emiserant, licet utraque tendant in eamdem paupertatem, castitatem et obedientiam, quia vota solemnia pariunt obligationem magis firmam et insolubilem. — Porro res pari modo se habet in casu nostro; et renovatio consensus facta a conversis post baptismum, cum de matrimonio agitur, non est mera approbatio traditionis jam antea factæ, sed est traditio nova moraliter a priore distincta, per quam novo titulo intendunt firmiorem matrimonii indissolubilitatem.

Neque dicas:—Si matrimonium eorum qui contraxerunt ante susceptionem baptismi, fieret post baptismum, ob renovationem consensus,

sacramentum; ergo toties repeti posset sacramentum, quoties ab eis consensus renovaretur; quod evidenter est falsum.

Respondemus negando sequelam; nam a baptizatis repeti non potest consensus matrimonialis, sicut potest semel dari a conversis ad fidem quando consensum matrimonii renovant cum baptizantur:—baptizati enim, renovato semel consensu, jam consenserunt in traditionem corporum omni titulo et modo insolubilem; non ita tamen ii consenserant quando ante baptismum, cum infideles adhuc essent, consensum matrimonii ad invicem sibi dederunt.

5. S. Thomas sententiam quam defendimus insinuat 4. dist. 39. q. unica, a. 2. ad 1. "Matrimonium," inquit, "non tantum est institutum in sacramentum, sed in officium naturæ; et ideo, quamvis infidelibus non competat matrimonium, secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens; competit tamen eis, in quantum est in officium naturæ. Et tamen *etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.*"—Quibus verbis cum Angelicus Doctor statuat matrimonium infidelium, eo quod non contrahunt in fide Ecclesiæ, non esse sacramentum *actu*, sed *habitu*, docere videtur matrimonium infidelium si baptizentur fieri posse proprie dictum sacramentum; secus enim frustra esset illa potentia quæ numquam ad actum reduci posset.

Secunda pars thesis, qua statuitur, matrimonium ab infidelibus contractum, post eorum conversionem ad fidem suscepto baptismo sacramentum fieri, quin ad hoc *expressa* renovatio consensus requiratur, defenditur a Bellarmino, Sanchez, aliisque compluribus.

Eam non modo auctoritas horum Doctorum probabilem reddit, sed etiam sequentes quas afferunt rationes.

Dicunt enim:— 1. Verba S. Thomæ mox citata huic favent sententiæ, nam significare videntur, conjugium infidelium ideo esse sacramentum in potentia, quia sacramentum fit actu *per baptismum,* quin alia consensus matrimonialis renovatio requiratur.

2. Matrimonium *statim ac baptizantur* conjuges, qui illud contraxerant ante baptismum, repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, ut matrimonium a fidelibus contractum hanc unionem repræsentat, effici-

turque indissolubile, ut est matrimonium ratum fidelium.—Ergo *statim ac baptizantur* conjuges, matrimonium antea contractum fit sacramentum.

3. Eo ipso quod conjuges baptizantur, implicite consentiunt in matrimonium antea contractum, ut sit indissolubile et repræsentet unionem Christi cum Ecclesia:—ideoque consensus, in ipso signo externo susceptionis baptismi expressus, exhibet materiam et formam necessariam pro sacramento matrimonii.

Quare ultro conceditur adversariis, matrimonium antea celebratum fieri non posse sacramentum, quin ponatur ejus materia et forma:—sed negatur materiam et formam, seu consensum novum, haberi non posse si *explicita* hujus consensus renovatio non habeatur. Utique baptismus, ut sic, non est materia et forma matrimonii, sed renovatio consensus quæ in ipsa voluntaria susceptione baptismi habetur, materiam et formam sacramenti matrimonii exhibere potest.

Nec objiciatur:—juxta hanc sententiam unico actu, susceptione nempe baptismi, sacramenta baptismi et matrimonii simul reciperentur. Huic difficultati nullo negotio respondetur:—in casu de quo agitur sacramentum matrimonii non exurgeret quin prius jam baptismus extiterit, sin minus tempore, saltem ratione anterius et natura.

Et si supponantur duo conjuges infideles qui in dissitis regionibus degant, et sacris abluantur undis, quin alter de altero sciat; in hoc casu, auctores sententiæ quam exponimus aiunt, illos qui baptizantur, cum in baptismi susceptione profiteantur se velle in matrimonio antea inito perseverare juxta christianæ religionis leges, eo ipso consensum conjugalem renovare, qui ad conficiendum sacramentum matrimonii, illudque suscipiendum sufficiens est.

4. Demum defensores ejusdem sententiæ argumentantur ex eo quod Ecclesia *expressam* renovationem consensus matrimonii non requirat ab iis qui post matrimonium contractum baptizantur:—quam renovationem Ecclesia certe præscriberet, si ea deficiente conjuges sacramento matrimonii et gratiis eidem adnexis carere deberent.

Tertia pars thesis statuit matrimonium, ex dispensatione Ecclesiæ, celebratum inter fidelem et infidelem non esse proprii nominis sacramentum, nequidem ex parte fidelis.—Hanc partem thesis, cum Sanchez, Kugler, Holtzclau, Hurter, plerisque aliis, contra Sotum, Eckium,

Salmanticenses, Tournely, Perrone, probabiliorem esse judicamus, eamque sequenti pacto confirmamus.

1.—Sacramentum matrimonii essentialiter est contractus; ergo sicut contractus unus est inter duos, ita sacramentum est necessario unum in duobus; et sicut ad unum contractum essentialiter requiruntur duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum, quod consistit in contractu *sacramentali*, requiruntur duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter*.—Atqui in casu de quo agimus non sunt duo habiles ad *sacramentaliter* contrahendum.—Ergo.

2.—Sacramentum matrimonii essentialiter unionem quæ inter Christum et Ecclesiam existit repræsentat.—Sed matrimonium fidelis cum infideli hanc unionem non repræsentat.—Ergo matrimonium fidelis cum infideli non est sacramentum.

Dices 1.—Ecclesia non permittit fideli qui matrimonium contraxit cum infideli, ut ad novum conjugium vivente adhuc conjuge infideli transeat, licet pars fidelis ab infideli derelicta fuerit, aut gravissimas molestias ab ea ob causam fidei sustinuerit;—attamen id permittitur ei qui in infidelitate matrimonium cum alia parte infideli contraxit et post initum conjugium conversus ad fidem baptizatus fuit.—Ergo Ecclesia censet matrimonium inter fidelem et infidelem initum firmius esse illo quod a duobus infidelibus contractum fuit; unde colligitur matrimonium contractum a fideli cum infideli, saltem ex parte fidelis esse sacramentum.

Resp. *Neg. ultimam concl.*—Et re quidem vera, si fidelis qui cum infideli contraxit non potest hanc relinquere dissolvendo matrimonium, sicut id facere potest conversus ad fidem qui matrimonio ante baptismum conjunctus fuit infideli, quando hæc vel cum eo cohabitare nolit, vel cohabitare consentiat non nisi cum Creatoris contumelia et pertrahendo conjugem ad peccatum; id non provenit ex eo quod matrimonium fidelis cum infideli fuerit sacramentum ex parte fidelis, sed quia facultas solvendi vinculum conjugale et convolandi ad alias nuptias, in adjunctis mox commemoratis, est privilegium quod conceditur conjugi qui contraxit in infidelitate et postea conversus est ad fidem et suscepit baptismum; ideoque eamdem facultatem non habet ille qui post acceptum baptismum contraxit matrimonium cum infideli.

Et sane magnum discrimen intercedit inter conditionem illius qui

ante baptismum cum esset infidelis contraxit matrimonium cum infideli; et conditionem fidelis qui matrimonium inivit cum infideli.—Ille post conversionem suam ad fidem et susceptionem baptismi, cum non posset in adjunctis indicatis cohabitare licite cum infideli, nisi privilegium haberet convolandi ad novas nuptias, deberet *sine voluntate propria,* et absque ulla culpa ex parte sua, manere, vita conjugis infidelis perdurante, subjectus servituti et ad ducendam vitam cœlibem obligatus:— dum e contra, fidelis qui matrimonium cum infideli contraxit, si facultatem non habet rumpendi vinculum conjugale et ducendi aliam uxorem, si debet manere alligatus servituti et cœlibem vitam vivere ob conjugis improbitatem; id certe *non evenit sine ulla ex parte sui voluntate,* cum ipse optime sciens prohibitiones omni jure latas contra conjugium fidelis cum infideli, immo nullitatem hujus conjugii nisi necessaria Ecclesiæ dispensatio accederet; probe cognoscens pericula, damnaque gravissima illius unionis, voluerit his omnibus non obstantibus, libentissime eam inire.

Conjugium itaque fidelis cum infideli majorem firmitatem habet quam conjugium a duobus infidelibus celebratum; sed ex hac majori firmitate, nullatenus inferendum est, partem fidelem in celebratione conjugii cum infideli, verum et proprii nominis sacramentum matrimonii suscepisse.

Dices 2.—Quando fidelis contrahit ex dispensatione Ecclesiæ matrimonium cum infideli, ex una parte baptizatus est capax sacramenti; et ex altera parte verum efficit contractum cum non baptizato.—Atqui contractui baptizati convenit ratio sacramenti.—Ergo.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.*—Convenit contractui baptizati inito cum baptizato *C.* secus *N.*

Dices 3.—Potest unus recipere gratiam, et eam alter non recipere ex defectu dispositionis.—Ergo pariter potest unus sacramentum recipere, et non alter.

Resp. *N. conseq.*—Disparitas est; quia gratia duorum est duplex numero et distincta entitas; potest ergo recipi ab uno disposito, et non ab altero indisposito, vel ponente obicem; e contra sacramentum matrimonii cum consistat in contractu duorum habilium ad contrahendum sacramentaliter juxta superius dicta, unum est numero sacramentum,

et dicit essentialiter duos sacramenti capaces, qui in præsenti casu non habentur.

Dices 4.—Licet omnes ordines simul sumpti unum constituant sacramentum ordinis, et utraque species consecrata sacramentum unum Eucharistiæ; haberi tamen potest unus ordo sine altero, et una specie Eucharistia :—ergo etiam idem sacramentum matrimonii haberi potest in uno contrahente, quin habeatur in altero.

Resp. *C. Ant. N. cons.*—Habent enim ordines singuli suam materiam et formam distinctam ; sacramentum vero Eucharistiæ ex duplici materia remota duplici consecratione confici constat, et præterea qui unam tantum speciem consecratam sumit totum sacramentum recipit *sub ratione rei contentæ et significatæ :*—nulla igitur paritas datur inter sacramenta hæc et matrimonium, quod sicut nequit esse contractus in uno tantum contrahentium, sic sacramentum in uno tantum esse non potest; cum, juxta dicta, aliud non sit, quam contractus duorum fidelium elevatus ad producendam *ex opere operato* gratiam sacramentalem.

ARTICULUS SEXTUS

De consensu ad matrimonium requisito.

Sacramenti matrimonii causa efficiens est mutuus contrahentium consensus: de eo, quantum ad dogmaticam theologiam pertinet, hic dicemus.

Et in primis consensus debet esse

a) *Verus,* non fictus ; contractus enim natura sua, ut antea jam adnotavimus, id requirit, et hic maxime attendendum est illud quod in jure canonico dicitur, Caus. 22. q. 5. : "Non debet aliquis verba considerare sed voluntatem et intentionem ; quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni."

b) *Deliberatus,* id est, cum cognitione et advertentia, quæ sufficiat ad mortale peccatum ; id enim obligationis gravitas, quæ ex matrimonio contrahitur, exigit.

c) *Mutuus,* ab utroque scilicet contrahente datus et acceptus.

d) *De præsenti,* quia secus, per promissionem *de futuro,* sponsalia fierent, non matrimonium; cum actualis traditio mutua juris in corpora ad usum conjugalem, mutuaque acceptatio actualis non haberentur.

e) *Verbis* aut *signis externis* sufficienter expressus.

f) *Moraliter simultaneus*, id est, talis ut ad verum et validum consensum matrimonii moralis simultaneitas consensus utriusque contrahentium sufficiat; et postquam una pars consensum dederit, altera, etiam intervallo temporis interposito, consensum suum præstare possit, modo prior adhuc consensus revocatus non fuerit et perseveret. Hæc simultaneitas moralis sicut in ceteris contractibus sufficit, ita et in matrimonio.

g) *Publicus*, non clandestinus, ubi viget constitutio Concilii Tridentini matrimonium clandestinum irritantis.

h) *Liber ab errore* circa *personam*, nam secus matrimonium ex jure naturæ nullum est; aut circa *conditionem servilem*, cum hæc conditio ignorata a comparte libera reddat, ex jure ecclesiastico, matrimonium nullum.

i) *Liber a metu;* de quo nonnulla hic fusius attingenda sunt.

Metus alius est ab intrinseco, alius ab extrinseco: ab intrinseco est ille qui infertur a causa intrinseca vel naturali, qualis est metus mortis ex morbo, aut naufragio, etc.; metus vero ab extrinseco est qui infertur a causa extrinseca et libera, nempe ab homine;—et hic requiritur ad irritandum matrimonium.

Præterea metus alius est gravis, alius levis; et, ex communi doctrina, metus levis matrimonium non irritat, metus vero gravis reddit conjugium nullum.

At quo jure?—Duas sententias, quæ in hac quæstione habentur, S. Alphonsus de Liguori ita proponit (Theol. Mor. lib. 6. tract. 6. cap. 3. num. 1054.):

"*Prima sententia* dicit irritare de jure ecclesiastico, et hanc tenent Sanchez l. 4. d. 14. n. 2., Layman, l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. . . . Ratio, quia in tali matrimonio jam adest sufficiens voluntarium, et licet libertas ex metu minuatur, ex tali tamen diminutione nequit reddi nullum matrimonium; nam alias irritari deberet etiam ex metu intrinseco, quod nemo dicit: cum autem hujusmodi matrimonium naturaliter sit illicitum, merito Ecclesia illud irritat."

"*Secunda* vero *sententia* non minus probabilis, et forte probabilior, tenet, metum irritare matrimonium de jure naturæ; hanc tenent Pont. lib. 4. cap. 14. n. 4.; Nav. cap. 22. n. 51.; Diana p. 4. tract. 4. n. 33.; Boss. cap. 12. n. 269. cum Mol., Cov., Med., Comit., Reb., Vill. etc. Holzm. n. 583. cum Scoto et scotistis communiter, ut asserit; eamque

expresse tenet etiam D. Thomas Suppl. q. 47. a. 3., ubi ait: 'Vinculum matrimonii est perpetuum, unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest repeti restitutio in integrum; et ideo coactio talis metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia.'—Prima ratio igitur est hæc D. Thomæ; dicit enim S. Doctor, quod omnes contractus metu initi non sunt firmi et perpetui, ac ideo per restitutionem in integrum rescindi possunt; contractus autem matrimonii, cum sit per se perpetuus, et indissolubilis, non aliter gaudere potest restitutione in integrum, nisi ab ipso jure naturali dispositum sit, quod ab initio sit nullus.—Ratio secunda est, quia matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges, ut ex Matth. 19.: 'Relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ.' Unde, quando ob metum matrimonium contrahitur, oportet de se esse nullum, alias cum metu non potest mutuus amor consistere; nemo enim adhærere solet rei quam tenet invitus.—Ratio tertia, quia si tale matrimonium naturaliter valeret, natura approbaret actum, ex quo gravissima mala contra commune bonum orirentur, nempe, quod sæpe innocens cogeretur vitam duram ducere, et reus commodum ex sua iniquitate reportaret: quæ non sunt naturali rationi consona. Valide insuper confirmatur hæc sententia ex cap. *Cum locum* 14. de spons., ubi sic habetur: 'Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur; matrimonium autem solo consensu contrahitur; et ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire.' Observa igitur, quod in hoc textu non loquitur Pontifex tamquam aliquid novum statuens, sed potius, ut jus naturale declarans et promulgans, quod probat, matrimonium ex ipso jure naturæ esse nullum."

Exposuimus conditiones necessario requisitas ut consensus valide sacramentum matrimonii efficere queat;—nunc autem quærimus utrum consensus exprimi per alium possit, ita ut matrimonium inter absentes celebratum per procuratores, qui vicem gerant contrahentium, sit sacramentum?

Quæstionis propositæ affirmativa solutio probatur

a) Ex praxi Ecclesiæ, quæ matrimonia per procuratores celebrata

permittit, præsertim inter magnates. Hæc autem conjugia non permitteret, nec tamquam legitime conjugatos censeret illos qui per procuratores ea contraxerunt, nisi sacramenta essent; declaravit enim Summus Pontifex Pius IX. in Allocutione habita die 27. Septembris, anni 1852. superius citata, "quamlibet aliam inter christianos, viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi facta, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum."

b) Ex natura sacramenti matrimonii. Nam Christus contractum matrimonii validum evexit ad dignitatem sacramenti. Sed contractus matrimonii per procuratores initus est validus, modo serventur conditiones de quibus dicturi sumus.—Ergo.

Major patet ex præcedentibus.—Minor constat; etenim alii contractus quos absentes stipulantur per procuratores validi sunt, quidni matrimonialis? Præterea, jus canonicum, tum in Sexto Decr. l. 1. tit. 19. "de procuratoribus" c. 9., mox citando, dum certas statuit conditiones ut matrimonium inter absentes contrahatur, tum aliis in locis, validum esse declarat matrimonium contractum inter absentes; quas juris dispositiones Concilium Tridentinum nullatenus revocavit, et solum requisivit præsentiam parochi et duorum testium, pro locis ubi lex a Concilio lata de matrimoniis clandestinis promulgata est; quæ conditio servari etiam potest inter absentes.—Ergo.

Dices 1.—Alia sacramenta nec ministrari, nec recipi possunt per procuratorem; ergo neque matrimonium.

Resp. *N. cons.*—Disparitas est, quod nullum aliud sacramentum involvat rationem contractus; et e contra hoc sacramentum consistat in contractu, qui ens morale est, et cujus illa est natura, ut fieri possit per procuratores, et inter absentes, modo procuratores præsentes sint, qui sustinent personas principalium.

Dices 2.—Licet absens in judicio forensi absolvi possit, nequit tamen in foro sacramenti pœnitentiæ absolvi pœnitens, qui sacerdoti absolventi non sit præsens.—Ergo similiter licet contractus alius possit celebrari inter absentes, non tamen contractus matrimonii, utpote sacramentalis.

Resp. *N. cons.*—Disparitas in hoc est, quod in judicio sacramentali confessarius sit judex dispositionis interioris pœnitentis, et in ferenda absolutionis sententia dependeat, secus ac in judicio forensi, a disposi-

tione pœnitentis, eaque *præsenti*, quando datur absolutio; hæc autem dispositio absentis non potest esse cognita confessario: præterea quoad sacramentalem absolutionem absenti non concedendam voluntas Christi nobis intimata fuit per praxim Ecclesiæ, et definitiones Pontificum, quas in Tractatu *de pœnitentia* commemoravimus. Ex alia parte, nihil obstat quominus sacramentum matrimonii, cum sit contractus, perficiatur sicut alii contractus inter absentes; et juxta praxim Ecclesiæ atque Summorum Pontificum declarationes, valide inter absentes celebrari illud posse per procuratores demonstravimus.

Dices 3.—Concilium Tridentinum, sessione 24. *de reformatione* c. 1. statuit sponsos interrogandos esse a parocho coram testibus de consensu mutuo in celebratione conjugii; et hunc consensum coram eis a contrahentibus esse præstandum.—Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Statuit ut interrogentur sponsi et respondeant immediate per se ipsos *N.* vel immediate per se, vel mediate per alios *C.*

Dices 4.—Si consensus mutuus contrahentium per procuratores præstitus sacramentum matrimonii efficere posset, dormiens valide illud administrare ac suscipere posset.—Atqui hoc videtur absurdum.—Ergo.

Resp. *Dist. maj.*—Dormiens sacramentum ministraret et susciperet per se ipsum *N.* mediante alio *C.*—Hoc autem non est absurdum; nam sicut quis dormiens alio procurante inire contractum potest, ita et ministrare sacramentum: et sicut nulla repugnantia in eo est quod qui ante somnum habuit intentionem suscipiendi baptismum vel patiendi martyrium, si dormiens baptizetur aut in odium fidei occidatur, recipiat gratiam; ita similiter in re præsenti.

An vero idem dicendum sit in casu quo sponsus in amentiam incidat postquam mandatum dederit procuratori contrahendi matrimonium, non est æque certum: affirmant multi ex paritate rationis, sed negant Cardinalis de Lugo, Kugler aliique; et forte probabilius, cum sponsa non præsumatur velle stulto aut furioso nubere, ac proinde ex parte sponsæ consensus deficiat. Si tamen edocta de sponsi amentia, in consensu persisteret, tenendum videtur, ait P. Holtzclau, cum priori sententia.

Dices 5.—Si matrimonium per procuratores contractum sit sacramentum, cur ergo postea principales iterato personaliter contrahunt coram parocho?

Resp.—Non iterato contrahunt, sed omissas solemnitates tunc supplent; et contractum per procuratores matrimonium ratihabendo, testantur se perseverasse in consensu dum suo nomine illi matrimonium contrahebant.

Ut autem matrimonium valide contrahatur per procuratores sequentes requiruntur conditiones:

1. Ut procurator speciale habeat mandatum ad contrahendum cum persona determinata; neque is suum excedat mandatum.

2. Ut procurator mandatum suum exequatur per se ipsum, et non per substitutum; nisi specialem substituendi facultatem acceperit.

3. Ut eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacite, et inscio procuratore; quia per quamcumque revocationem cessat consensus.

Hæ conditiones indicantur in Sext. libr. 1. tit. 19. c. 9., ubi legitur: "Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Sane si procurator antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxerit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cum consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit."

4. Demum requiritur—et superius jam illud adnotavimus—ut procuratores contractum ineant coram parocho et testibus in locis in quibus Decretum Concilii Tridentini irritans matrimonia clandestina promulgatum est.

Quæ dicta sunt de matrimonio *per procuratores*, applicari possunt matrimonio *per litteras*, ut vir scribat mulieri: Me tibi trado in maritum et accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram parocho et testibus: et mulier vicissim scribat viro; me tibi trado in uxorem et accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram parocho et testibus. Tunc, lectis utriusque litteris coram parocho et testibus, perficitur sacramentum; quia litteræ succedunt loco contrahentium, non secus ac procuratores.—Similiter si loco litterarum contrahant per nuntios qui

coram parocho et testibus exprimant mutuam traditionem et acceptationem contrahentium.

Absoluta quæstione de matrimonio inito per procuratores, inquirendum est de validitate matrimonii sub conditione initi. Ne autem extra limites nobis præfixos excurramus, relinquentes ea quæ copiose et quoad casus particulares in Commentariis de jure canonico et in libris Moralis Theologiæ tractantur, quæ magis ad rem nostram spectant breviter hic attingemus.

Conditio igitur quæ consensui matrimoniali adjici posset, dividitur

1.—In conditionem *de præterito, de præsenti*, et *de futuro.* Conditio *de præterito* est quæ reddit consensum dependentem ab aliquo quod extitit; *de præsenti* eum facit dependentem ab aliquo quod actu sit; *de futuro*, ab aliquo quod sit extiturum.

2.—In conditionem *possibilem* et *impossibilem. Possibilis* spectat id quod evenire vel non evenire potest; *impossibilis* vero illa est cujus eventus dari non potest, sive ex ratione rei, sive aliis de causis. Huc pertinet conditio dicta impossibilis *de jure*, seu *turpis*, nam, juxta regulam juris, quod facere nobis non licet, non posse censemur.

3.—In conditionem *necessariam* et *contingentem.* Illa certo sive ex natura rei, sive ex revelatione extitura est; hujus eventus dubius est.

Porro his adnotatis, dicimus:

1. Contractus matrimonialis initus cum conditione *possibili* sive *de præterito*, sive *de præsenti*, vel statim nullus est non existente conditione, vel ea existente statim valet, etiamsi contrahentes ignorent conditionis existentiam. Ratio est quia huic contrahentes consensum suum alligaverunt. Ita tamen nupti non possunt uti matrimonio, ante acceptam de existente conditione notitiam; secus enim, ut patet, in fornicationis periculo se constituerent.—Si conditio deficiat, etiamsi contrahentes, qui adhuc non existentiam conditionis ignorant, carnale commercium habeant, matrimonium juxta communem Doctorum sententiam erit prorsus invalidum.

2. Matrimonium sub conditione *de futuro necessaria, ordinarie loquendo* est absolute validum, quia hujusmodi conditio jam determinata in sua causa existit, et præterea censetur addita non tam ad suspendendum consensum, quam ad ostendendam illius certitudinem; si quis enim hanc, ex. gr., consensui matrimoniali apponeret conditionem: "Si

sol cras oriatur," sensus conditionis appositæ hic esse videtur: "sicut certum est solem cras oriturum, ita certum est, me velle te uxorem ducere." — Diximus *ordinarie loquendo* esse matrimonium absolute validum cum contrahitur, nec consensum manere suspensum usquedum eventus qui enuntiatur ut conditio, actu existat; quia excipi debent casus, in quo *a*) contrahentes conditionem per se necessariam tamquam contingentem habeant *b*) aut eam apponant ad determinandum tempus, eo quod non intendant se obligare nisi pro illo tempore.

3. Matrimonium sub conditione *honesta contingente de futuro*, juxta communem sententiam valet quatenus parit obligationem expectandi eventum in conditione expressum, et impedit quominus interim una pars licite aliud possit inire matrimonium. Controversum tamen fuit, an impleta conditione matrimonium statim validum et perfectum sit, absque novo consensu, si modo prior non fuerit revocatus; an vero necessario renovandus sit consensus, quasi matrimonium sub conditione de futuro contractum habeat solummodo vim sponsalium.

Non pauci theologi veteres in hanc secundam sententiam concesserunt; recentiores tamen communiter post Sanchez, ac de Lugo, primam amplectuntur; quam Fagnanus (in libr. 4. Decret. cap. *super eo*, "de condit. appositis") testatus est non modo esse acceptissimam apud Canonistas, sed "in Curia servari etiam post Tridentinum, et ideo ab illa in consulendo et judicando non esse ullatenus recedendum."—Et sane si in aliis omnibus contractibus, juxta omnium doctrinam, renovatio consensus non requiritur; quare in contractu matrimonii requiri deberet? Præterea consensus qui datus fuit sub illa conditione moraliter perseverat, ideoque conditione posita, non minus obligabit quam si novus consensus tunc daretur:—et insuper necessariam non esse consensus renovationem authentice declarasse S. Pium V. et Clementem VIII. refert Fagnanus.

Dices *a*)—In l. 4. Decr. tit. 5. c. 5. "*super eo*" dicitur eum qui matrimonium inierat cum muliere sub hac conditione, nempe, "si pater tuus præstabit assensum," ante conditionis eventum ad matrimonium *contrahendum* cogi non posse: ergo videtur, consensum impleta conditione esse renovandum.

Resp.—In illo Decreto Urbani III. vel *contrahere* matrimonium non significat *consensum dare* ad matrimonium contrahendum, sed matrimo-

nium *consummare;* de hac enim re Pontifex interrogatus fuerat:—vel si de consensu pro contractu matrimonii sermo est, dicitur illum consensum post impletam conditionem esse ponendum, quia dubium erat annon prior consensus ante conditionis eventum revocatus fuerit.

Dices *b*)—In eodem Decreto legitur: "Hujusmodi consensus non sit *de præsenti* habendus, licet per verba de præsenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit."

Resp.— Hic est loci citati sensus: consensus pendens ab eventu futuro non est habendus ut consensus *de præsenti* absolutus et omnino perfectus ante conditionis eventum. Id tamen non significat consensum illum licet conditionatum, imperfectum, revocabilem quamdiu pendat conditio, non esse suo modo consensum *de præsenti* positum.

Dices *c*)—Si quis hoc modo conditionate cum una contrahat matrimonium, et postea per verba de præsenti absolute contrahat cum alia, hoc secundum matrimonium valebit:—atqui non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii:—ergo.

Resp. *Dist. min.*—Non valeret si prior consensus valuisset in ratione matrimonii perfecti *C.* cum tantum valuerit in ratione matrimonii conditionati, incompleti, ac proinde non irrevocabilis *N.*

Si tamen ante impletam conditionem de futuro, copula carnalis intercesserit inter contrahentes, per eam matrimonium de conditionato transit in absolutum, quia per copulam censentur contrahentes recessisse a conditione prius apposita. Id constat ex c. 6. "*Per tuas*" libr. 4. Decr. tit. 5. "*de condit. appositis.*"

4. Conditio *impossibilis* in contractu matrimonii apposita, habetur saltem *pro foro externo* ut non adjecta, si non sit contra substantiam matrimonii, idest, si non repugnet illis quæ essentialia sunt conjugio, nimirum vinculo perpetuo, conjugali fidei, obligationi non impediendi generationem prolis.—Si tamen his repugnet conditio in contractu matrimonii apposita, illum reddit nullum.

Conclusio proposita desumitur ex celebri Gregorii IX. Decreto, (libr. 4. Dec. tit. 5. cap. 7.) quod sic se habet:—"Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter alteri dicat: 'Contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas;'

matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi."

Hanc ultimam clausulam Summus Pontifex Decreto apposuit, quia Ecclesia præsumit contrahentes illis conditionibus consensum suum alligare noluisse. Quare et nos in conclusione diximus conditionem impossibilem matrimonio adjectam illud non reddere nullum, addendo "*saltem pro foro externo;*" nam in *foro interno*, si revera contrahentes tali conditioni velint consensum suum esse alligatum, ita ut sine illa contrahere nolint, sane matrimonium ex defectu consensus erit nullum.

Demum si quoad objectum consensus quæratur, utrum ipse consensus respicere debeat copulam necne; respondemus, juxta ea quæ hucusque tradidimus, consensum in eam explicitum nullo modo esse necessarium; consensum vero implicitum requiri non eo sensu quo propositum quoddam virtuale copulæ carnalis necessario includere debeat, sed quatenus eam potestatem respicit in qua copula continetur implicite ut actus in potentia et effectus in causa.

Hæc more suo dilucide tradidit S. Thomas (Suppl. qu. 48. art. 1.): "Consensus," inquit, "qui matrimonium facit, est consensus in matrimonium, quia effectus proprius voluntatis est ipsum volitum. Unde sicut carnalis copula se habet ad matrimonium, ita consensus qui matrimonium causat, est in carnalem copulam. Matrimonium autem, ut supra dictum est, q. 44. art. 1., et q. 45. a. 1. ad 2., non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis, sed quædam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam, et alia quæ ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas ad invicem respectu carnalis copulæ, et hæc associatio conjugalis copula dicitur. Unde patet quod bene dixerunt illi, qui dixerunt quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite; non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa, quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus."

Hucusque de consensu contrahentium tractantes, conditiones in eo requisitas ut validum matrimonium efficiat enumeravimus, simulque statuimus illum per procuratores, et sub conditione præstari posse,

quamvis id facere non liceat nisi forte gravissima causa intercedat, præsertim si matrimonio apponatur conditio *de futuro*.—Unum adhuc inquirendum superest, nempe, utrum *ad valorem* matrimonii filiorumfamilias consensus parentum sit necessarius? Diximus "*ad valorem*," quia a nemine revocatur in dubium filiorum conjugia inconsultis, et *a fortiori* invitis parentibus, plerumque graviter esse illicita.

Novatores sæculi XVI. irritum naturali ac divino jure dixerunt matrimonium quod filiifamilias contrahunt parentibus insciis vel invitis: ex Gallia Doctores nonnulli putaverunt illud esse nullum humano jure.

Contra hos omnes, statuitur

THESIS VI.

Matrimonia sine consensu parentum a filiisfamilias aut a filiabus inita nec jure naturali, nec divino positivo, nec humano jure irrita sunt.

Prob. thesis *quoad* 1. *partem*.

1. Consensus contrahentium, non parentum eorum, est causa efficiens matrimonii;—ergo matrimonium ex consensu contrahentium, etiamsi consensus parentum eorum non adsit, validum erit.

2. Omnes homines, ut adnotat S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 5., natura sunt pares in his quæ pertinent ad prolis generationem.—Ergo contrahentes in ordine ad usum conjugalem, sine parentum consensu, valide possunt tradere et acceptare jus in corpora; ac proinde inire connubium.

3. Matrimonium, ob gravissima onera ei adnexa, est veluti perpetua quædam servitus, a qua naturaliter homines nascuntur liberi.—Ergo jure naturæ, electio matrimonii non debet *necessario* pendere nisi a voluntate eorum qui illud ineunt.

4. Iniquum est filios ita parentum voluntati subjicere ut non possint valide sine eorum consensu contrahere matrimonium, cum

a) Filii parentibus interdum sint prudentiores. *b*) Non raro contingat parentes magno animarum damno, ne quid in nuptiis filiorum solvant aut ne eorum sive laboribus, sive assiduis curis priventur, recusare vel differre consensum. *c*) Aliquando parentes consensum negent donec filius sponsam acceptet quam ipsi elegerunt, licet eam filius aver-

setur. *d*) Quandoque filios aut filias quasi cogant ad vitam cœlibem in statu clericali aut religioso. *e*) Et præterea, emancipati, vidui, viduæ, absentes in remotis terris, aliique innumeri sint, qui evidenter non possent ea lege adstringi ut nonnisi ex consensu parentum contrahere valeant matrimonium.

Prob. thesis *quoad* 2. *partem,* nempe quoad jus divinum.—Nequit ullo pacto ostendi ex lege Dei positiva irrita fuisse matrimonia filiorum sine parentum consensu inita: quin ex Scriptura constat Jacobum patriarcham, Gen. XXIX., duxisse uxorem secundam Rachelem, et Gen. XXX., alias duas Balam et Selpham parentibus insciis; quod sane non fecisset patriarcha sanctissimus, si ad valorem matrimonii jure divino necessarius fuisset consensus parentum. Sed et Tobias junior, Tob. VII., uxorem duxit Saram, jam pridem existente lege mosaica, sine scitu parentum; nec eum dehortatur Angelus, viæ comes.—Apostolus vero, I. ad Cor. VII. 39., de vidua dicit: "Cui vult nubat, tantum in Domino;" et in eodem capite ait, vers. 8. 9.: "Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant."

Tertia pars thesis,—qua statuimus matrimonia a filiisfamilias, idem dicas de filiabus, inita absque parentum consensu, neque humano jure esse invalida—constat non solum ex Decreto Nicolai I. Causa 27. q. 2. cap. 2.: "Sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur;" sed etiam, immo præsertim, ex Decreto Concilii Tridentini in sessione 24. *de reform.* edito, ubi aperte legimus: "eos Sancta Synodus anathemate damnat . . . . . . qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse."

Illud vero quod Doctores quidam Galliæ excogitaverunt ad eludendam vim hujus Decreti, asserendo Concilium verbis citatis nonnisi errorem Novatorum damnasse asserentium conjugia absque consensu parentum facta esse *jure naturali ac divino positivo* nulla; nec attigisse *jus humanum,* quod aiunt quibusdam saltem in locis extitisse ad irritanda hæc conjugia; nec condidisse legem disciplinæ universalis statuentis validitatem illorum conjugiorum; illud, inquam, nullo pacto defendi potest.

Et revera, si Concilium voluisset hac in re definire solummodo dogma contra Novatorum errorem, cur definitionem suam non posuit inter canones de sacramento matrimonii?

Insuper Concilium non distinguendo inter jus naturale aut divinum et jus humanum, pronuntiat *indefinite,* ac proinde *universaliter,* hæc matrimonia non esse irrita, nec a parentibus irritari posse; — ergo dicit ea non tantum jure naturæ aut divino positivo, sed etiam humano non esse irrita.

Et notetur forma locutionis a Concilio adhibitæ, evidenter excludens interpretationem Doctorum quos refutamus.—Concilium "eos damnat . . . qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, *et parentes ea rata vel irrita facere posse:*"— at si Concilium spectaret solum jus naturale aut divinum positivum, quin attingeret jus humanum, potuissent profecto parentes, hoc jure, facere matrimonia filiorum suorum rata vel irrita; quod Concilium negat: ergo.

Præterea ex historia illius Concilii patet (Vid. Pallav. libr. 22. et 23.) duplicem decisionem circa matrimonia filiorumfamilias a Synodo fuisse ferendam, unam circa dogma fidei, damnando errorem Novatorum, qui dicebant ea esse *jure naturali* et *divino* invalida;—alteram de disciplina, scilicet, statuendo vel non legem specialem quæ irritaret in posterum illa conjugia; Cardinalis enim Lotharingius ceterique oratores Galli, regis Christianissimi nomine, novum Decretum efflagitabant "ut *redderentur* irrita matrimonia contracta a filiis absque parentum consensu, utpote plerumque noxia, familiis indecora, et odiorum potius, quam amoris fomes inter conjuges."

In schemate autem canonum de matrimonio, pro discussione exhibito Patribus Tridentinis die 20. Julii anni 1563, inter canones de sacramento matrimonii propositos, hic erat sub numero 3. positus: "Si quis dixerit, clandestina matrimonia, quæ libero contrahentium consensu fiunt, non esse vera et rata matrimonia; ac proinde esse in potestate parentum ea rata vel irrita facere; anathema sit:"—et in schemate Decreti "de clandestinis matrimoniis" hæc pro futuro tempore proposita lex fuit: "Insuper eadem Sancta Synodus ea quoque matrimonia quæ filiifamilias ante decimum octavum, filiæ vero ante decimum sextum suæ ætatis annum completum, sine parentum consensu, *de cetero*

contraxerint, præsenti decreto irritat et annullat." Vide Theiner, Acta Conc. t. 2. p. 313. et 314.

Porro Concilium, post maturam rei discussionem, inter canones de matrimonio non apposuit illum propositum quo matrimonia clandestina vera et rata declarabantur, et parentibus denegabatur potestas ea irritandi; sed in Decreto "Tametsi" *de reformatione*, in eadem sessione edito legem quæ postulabatur et proposita fuerat pro irritatione conjugiorum filiorumfamilias qui ante determinatam ætatem absque consensu parentum ea contraherent, prorsus rejecit; et declaravit: "Clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse."—Ergo Concilium Tridentinum maxima claritate statuit *a*) illa conjugia nullo jure ante Concilium irrita fuisse, *b*) eadem nolle in posterum per novam legem irrita reddere.

Contra thesim objicitur,

1. Ex jure naturali tenentur filii obedire parentibus; et Apostolus declarat, ad Col. III. 20.: "Filii, obedite parentibus per omnia."—Ergo.

Resp.—A filiis obedientia præstanda est parentibus, sed juxta auctoritatem quam in præcipiendo habent parentes. Jam vero in iis quæ pertinent ad electionem status, cum filii sint sui juris, tenentur quidem monita et consilia parentum audire et sæpenumero sequi, si legitima causa non adsit recedendi a voluntate parentum; sed, etiamsi hæc legitima causa non adsit, si filii, parentibus sive insciis sive reluctantibus, conjugium ineant, jure utuntur suo; et matrimonium eo quod desit consensus parentum nequit esse nullum.

2. In Epistola 1. ad Cor. VII. 38., Paulus ait: "Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit:"—requirit ergo ad matrimonium valide contrahendum consensum parentum.

Resp. *N. cons.*—Verba Pauli solum indicant parentes filios et præsertim filias dirigere in electione status conjugalis; sed non significant

consensum parentum necessarium esse ut valide matrimonium a filiisfamilias contrahatur.

3. S. Basilius, Epist. 199. ad Amphilochium can. 42. dicit: "Matrimonia sine iis qui potestatem habent fornicationes sunt." Nec aliter loquuntur S. Ambrosius, S. Leo Magnus, aliique.

Resp.—S. Basilius et alii Patres illicita, non invalida, dicunt illa connubia, quæ sensu lato appellant fornicationes;—nisi cum quibusdam theologis dicere velis, matrimonia absque parentum consensu a filiisfamilias contracta fuisse *olim* juxta *nonnullarum Ecclesiarum particularium* disciplinam irrita.

4. Leges et edicta plurium Regum Galliæ matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum declarant invalida, "*non* valablement contractés." Ita fert edictum Henrici III. in comitiis Blesensibus an. 1579. annis sexdecim post Concilium Tridentinum. Hoc autem edictum confirmatum fuit edicto Henrici IV. an. 1606. et Ludovici XIII. an. 1629. et 1639. "Volumus," inquit, in priori edicto, "omnia matrimonia contra dicti statuti [Blesensis] tenorem contracta, declarari invalide contracta, obligabunturque Judices ecclesiastici, causas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare."—Ergo.

Resp.—His edictis matrimonia sine consensu parentum a filiisfamilias contracta declarantur irrita quoad effectus civiles conjugii, non quoad ipsum contractum matrimonialem et ad vinculum ab illo firmatum. Ita respondit Ludovicus XIII. postulationi Cleri Gallicani in comitiis generalibus Parisiis congregatis anno 1629.—Postulationis enim hæc erant verba: "Rex humillime supplicatur, ut considerare non pigeat quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est, ut non aliter intelligantur hæ voces *valide* aut *invalide* contractum matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem sacramenti. Secunda, ut non adstringantur ecclesiastici ad judicandum secundum hujus edicti simulque Blesensis articulos, sed juxta sacros canones et ecclesiastica Decreta, quæ sunt unica regula et norma judicii ecclesiasticorum. Hi enim nec possunt, nec debent jurisdictionem, quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuare. Quapropter necesse est ex ipso articulo resecare hæc verba: 'Et obligabuntur ecclesiastici judices in causis istiusmodi, matrimonium

judicare ad hujus articuli normam.' "—Et respondit Rex: "Commonitio cleri quod spectat ad priorem difficultatem sic resoluta fuit,—valide, aut invalide contracta matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices:—altera pariter difficultas, justa et rationi congrua visa est."

5. Matrimonium quod Princeps Gasto Dux Aurelianensis ac frater Ludovici XIII. Regis Christianissimi contraxit, invito rege ac fratre suo an. 1633. cum Margarita Lotharingia sorore Caroli Ducis, nullum et irritum declaratum fuit a supremo senatu Parisiensi an. 1634.; immo et a Clero Gallicano, multisque sacræ facultatis Parisiensis, qui consulti fuerant, Doctoribus anno 1635. Non alia autem de causa irritum declaratum fuit istud conjugium, quam quod Regis consensus non accessisset.

Resp. — Hanc difficultatem, quam Tournelius sibi proponit, ipse solvit sequenti pacto: "Respondeo, hanc esse Regum nostrorum singularem prærogativam, ipsa Ecclesia probante, ut sine eorum consensu non valeant matrimonia filiorum suorum et aliorum regii sanguinis Principum; eorum præsertim, qui jure nativitatis ad solium proxime vocantur. De hoc famoso negotio consultus Clerus Gallicanus in comitiis generalibus Parisiis congregatus an. 1635. 7. Julii, respondit: 'Attenta consuetudine gallicani imperii antiqua, rationi consentanea, legitime præscripta, et ecclesiastica auctoritate munita, dictum matrimonium Seren. Gastonis cum Principe Margarita Lotharingia, nullum esse, ac invalidum;' cui judicio acquievit Seren. Princeps, qui tandem, Rege consentiente, rursus coram archiepiscopo Parisiensi septimo Kal. Junii an. 1643. cum eadem Principe contraxit in castro Meudonis."—Sed ea solutio multis non probatur, qui potius putant Clerum Gallicanum Regi illa occasione plus æquo favisse.

ARTICULUS SEPTIMUS

De unitate matrimonii.

Matrimonio competunt unitas et indissolubilitas: hic igitur de unitate loquemur et in sequenti articulo de indissolubilitate matrimonii sermo erit.

Unitas matrimonii in eo consistit ut conjugale fœdus ineatur inter

unum virum et unam mulierem: quod et duplici pacto intelligi potest, scilicet, vel quatenus nulli viro liceat simul plures habere uxores, et nulli mulieri plures simul viros; vel quatenus eis qui semel matrimonium inierunt numquam iterum liceat, neque dissoluto per mortem conjugis matrimonio, inire nuptias. Monogamia perfecta hoc secundum exigit; imperfecta vero unitatem conjugii priori sensu intellecta solum requirit, ac proinde habetur si inter virum unum et unam tantum mulierem societas conjugalis instituatur, licet alterutri conjugum concedatur, postquam per mortem unius partis conjugium dissolutum fuerit, ad novas nuptias convolare.

Monogamiæ opponitur polygamia, quæ dicit multiplicitatem conjugii, et dividi posset in polyandriam et polygyniam prout indicat conjunctionem vel unius mulieris cum pluribus viris, vel plurium uxorum cum uno viro. Hæc tamen polygamiæ species, quæ majore dictionis proprietate vocari deberet polygynia, appellari etiam communiter solet polygamia. Nos hanc vocem in communi significatione pariter usurpabimus.

De polyandria, qua una mulier pluribus simul viris jungeretur, vix aliquid hic dicendum esse videtur. Eam absolute prohiberi patet ex Apost. dicente (Rom. VII. 3.): "Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro;"—et natura sua abominandam fœditatem præseferre constat, cum fini matrimonii primario, procreationi nempe prolis ejusque rectæ institutioni tum physicæ tum morali omnino repugnet. Reapse procreationi prolis repugnat polyandria, quia mulieris fœcunditas per carnale commercium cum pluribus viris si non penitus destruitur, magna saltem ex parte imminuitur:—educationi vero tum physicæ tum morali prolis adversatur, quia incertum reddit filiorum patrem, et ideo incertam in patre obligationem eos educandi.—Præterea ipsa imperii maritalis natura repellit virorum multiplicitatem; et insuper illa omnia quæ contra polygamiam simultaneam postea dicemus, a fortiori valebunt ad polyandriam excludendam.

S. Augustinus, in libro "de bono conjugali," cap. 17. n. 20. paucis et concinne ostendit nullam paritatem admitti posse inter polygamiam simultaneam, quæ ut postea dicemus aliquando a Deo permissa fuit, et polyandriam, nec eodem modo eas fini matrimonii ac juri naturæ adversas esse.—"Ideoque," inquit, "non sicut uni viro etiam plures habere

licebat uxores, ita uni feminæ plures viros, nec prolis ipsius causa, si forte illa parere posset, ille generare non posset. Occulta enim lege naturæ amant singularitatem quæ principantur. . . . . Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus serviisse sanctarum; plures autem feminas uni viro legimus, cum gentis illius societas sinebat, et temporis ratio suadebat: neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim feminæ ab uno viro fetari possunt; una vero a pluribus non potest (hæc est principiorum vis): sicut multæ animæ uni Deo recte subduntur. Ideoque non est verus Deus animarum nisi unus; una vero anima per multos falsos deos fornicari potest, non fecundari."

Hæc de polyandria, seu multiviria.

Ad polygamiam vero successivam quod attinet, secundas nuptias, ceu divino jure illicitas atque irritas, damnaverunt olim hæretici Montanistæ. Tertullianus, postquam eis se sociavit, in libro de Monogamia, c. 1. hunc errorem, ita carpendo Catholicos proponebat: "Hæretici [Marcionitæ] nuptias auferunt. Psychici [Catholici] ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt. . . . . Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neque licentia defendenda, quia psychica est. Illa blasphemat; ista luxuriat."—Eumdem postea errorem Novatiani amplexi sunt.

Ecclesia vero catholica semper docuit neque secundas, neque ulteriores nuptias esse illicitas: minus tamen propensam se exhibuit erga eos qui post primas alias nuptias celebrabant, præsertim tertias et multo magis ulteriores. Pro Græcis a sæculo X., *ex jure ecclesiastico,* trigamia plerumque, tetragamia semper invalida est. Casus in quibus tertiæ nuptiæ contrahuntur valide sunt si bigami quadragesimum ætatis annum nondum attigerint, et prole careant ex priore matrimonio suscepta. Quod si annum illum attigerint, et prolem habeant ex priore matrimonio, sunt prorsus ad contrahendum inhabiles; si vero prole careant, licet eum annum attigerint, adhuc ad tertias nuptias admittuntur, sed imposita pœnitentia majore, quam subire trigami debent.

Quæ de disciplina Ecclesiæ Græcæ circa trigamiam et tetragamiam diximus constant ex Decreto edito a Nicolao I. Patriarcha Constantino-

politano in Synodo episcoporum sui patriarchatus anno 920., et a Joanne X. Summo Pontifice approbato.

Hæc sunt Decreti verba : "Decernimus sententia judicioque communi, ne ab hoc anno præsenti [920.] quartas nuptias ullus contrahat, sed et omnino eæ rejiciantur. Quod si quis ad ejusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni conventu ecclesiastico exclusus esto, et ab ipso in sacrosanctam Ædem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit. . . . Ceterum ut et illa, quæ ad alia matrimonia pertinent, honestius constituantur, et conciliationem vita christianorum non indignam habeant, de tertio quoque matrimonio definimus, ne simpliciter atque temere perficiatur." Tum regula in illo observanda statuitur :—"Ut si quis sit triginta annorum, et careat prole, mereatur veniam, et facile ipsi condonetur matrimonium, consueta nimirum imposita pœna; sin habeat prolem, permittatur etiam, sed graviore pœna mulctetur. Si autem ad annum quadragesimum provectus careat liberis a prioribus uxoribus relictis, tertiam ducere possit, diuturniore et austeriore imposita sibi pœnitentia. Sin extent liberi, tertium ei conjugium nulla ratione permittatur."

Superest ut de simultanea polygamia loquamur.—Martinus Lutherus eam esse licitam propugnavit; in propositionibus enim de bigamia, editis anno 1528., docuit: "Nota sunt jura Mosaica de fratris defuncti uxore, et de filia corrupta invito patre, quæ cogunt plurium esse uxorum virum : quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, id est, libera, nec prohibita, nec præcepta." Et in Commentariis in Genesim editis an. 1525., c. 16., quærens an christianis liceat exemplo Abrahæ plures simul habere uxores, respondit id neque esse præceptum neque prohibitum, sed liberum ; et se quidem nolle hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse. Ipse etiam, consentientibus Philippo Melancthone, Martino Bucero aliisque asseclis suis Philippo Hessiæ Landgravio asserenti non posse se ab impudica vita abstinere, nisi secunda uxor sibi concedatur, ut illum Protestanticæ factioni arctius devinciret, benigne indulsit per modum dispensationis, vivente adhuc legitima conjuge christiana Georgii Saxoniæ Ducis filia, matrimonium cum Margareta de Saal.

Anabaptistæ polygamiam simultaneam doctrina et praxi statuerunt; et eos novissime imitati sunt Mormones, qui originem ducunt ab anno 1830.

In alium errorem huic oppositum aberrando a veritatis tramite incidit Calvinus. Etenim, juxta ejus sententiam polygamia simultanea non modo in evangelica lege illicita est, sed numquam in Veteri Testamento licita fuit; ideoque veteres Patriarchæ habendo plures uxores fuerunt rei, juxta Calvinum, crimine adulterii, quod eis tamen, utpote prædestinatis, non imputabatur.

Ad hanc Calvini calumniam refutandam pauci quidam Theologi dixerunt polygamiam simultaneam per se neque jure naturali, neque jure divino positivo ante legem evangelicam fuisse vetitam. Hanc opinionem defendit Tostatus in Comment. super c. 19. Matth., qq. 33. et 34.; eamque amplexus est Perrone in Tractatu "de Matrimonio." Idem ex scholasticis antiquioribus Durandus docuit.

Verum communior theologorum sententia perpetuo fuit, polygamiam adversari juri naturæ; non ita tamen ut nulla divina dispensatione possit unquam licita fieri, sed ita ut si Deus permittat pluralitatem simultaneam uxorum unius viri, hæc careat culpa; quod et reapse evenit in casu Patriarcharum.

Quomodo autem fieri possit ut polygamia et naturali juri adversetur et simul admittat divinam dispensationem, qua licita efficiatur, explicat egregie S. Thomas.

Et imprimis Angelicus Doctor (in 4. distinct. 33. quæst. 1. art. 1.) clare ostendit polygamiam repugnare non primis legis naturalis præceptis, sed secundis quæ ex primis derivantur. — "Lex naturalis," ait S. Thomas, "nihil aliud est quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis, sive competant eis ex natura generis, ut generare, comedere, et hujusmodi; sive ex natura speciei, ut ratiocinari, et hujusmodi. Omne autem illud quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere operato intendit, contra legem naturæ esse dicitur. Potest autem actio esse non conveniens fini vel principali, vel secundario; et sive sic, sive sic, hoc contingit dupliciter. Uno modo ex aliquo quod omnino impedit finem, ut nimia superfluitas, aut defectus comestionis, impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, et bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius comestionis. Alio modo ex aliquo quod facit difficilem, aut minus decentem, perventionem ad finem principalem, vel secundarium; sicut inordinata come-

stio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturæ prohibetur primis præceptis legis naturæ, quæ sunt in operabilibus sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali ut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis derivantur; sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent: et sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur. Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem et educationem, qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis: unde et aliis animalibus est communis, ut dicitur in 8. Ethic., cap. 12. a med.; et sic bonum matrimonii assignatur *proles*. Sed pro fine secundario, ut dicit Philosophus, ibid., habet in hominibus solis communicationem operum, quæ sunt necessaria in vita, ut supra dictum est. q. 41. art. 1. Et secundum hoc *fidem* sibi invicem debent, quæ est unum de bonis matrimonii. . . . Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem: sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri."

Deinde S. Doctor declarat qua ratione polygamia, licet jure naturæ vetita, potuit aliquando fieri licita, sed nonnisi per divinam dispensationem; et ait (eod. quæst. a. 2.):—"Sicut ex dictis patet . . . . pluralitas uxorum esse dicitur contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones a primis præceptis derivantur. Sed quia actus humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum, et temporum, et aliarum circumstantiarum; ideo conclusiones prædictæ a primis legis naturæ præceptis non procedunt, ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte; talis est enim tota materia moralis, ut patet per Philosophum, in lib. 1. Ethic., cap. 3. in princ., et cap. 7. ad fin. Et ideo ubi eorum efficacia

deficit, licite ea prætermitti possunt. Sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis casibus ad quos legis efficacia non extendere se debet, et talis licentia *dispensatio* dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta; nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo *in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit* per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum, præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur, ut ex dictis patet, art. præced."

Ut autem mens sua clarius adhuc pateret, hanc sibi S. Thomas proposuit difficultatem: "Videtur quod habere plures uxores non potuerit esse aliquando licitum, quia secundum Philosophum, in 5. Ethic. c. 7. in princip., *jus naturale semper et ubique habet potestatem eamdem.* Sed jure naturali prohibetur pluralitas uxorum, ut ex dictis patet, art. præced. Ergo sicut modo non licet, ita nunquam licuit."—Et respondet: "Dicendum quod jus naturale semper et ubique, *quantum est de se*, habet eamdem potentiam; sed *per accidens, propter aliquod impedimentum*, quandoque et alicubi potest variari, sicut ibidem Philosophus exemplum ponit de aliis rebus naturalibus. Semper enim et ubique dextra est melior quam sinistra secundum naturam, sed per aliquod accidens contingit aliquem esse ambidextrum, quia natura nostra variabilis est; et similiter est etiam de naturali justo, ut ibidem Philosophus dicit."

His præmissis, statuitur

THESIS VII.

Secundæ et ulteriores nuptiæ, quæ fiunt soluto per mortem conjugis matrimonio prius inito, per se licitæ sunt; quamvis, vi præsentis disciplinæ, apud Græcos tertiæ nuptiæ nonnisi in quibusdam casibus, et quartæ numquam ob impedimentum ecclesiastico jure inductum, valide contrahantur. —Pluralitas vero uxorum simultanea, seu polygamia simultanea omnino in lege evangelica divino jure prohibita est; immo polygamia hæc præceptis legis naturæ secundariis repugnat, et nonnisi ex divina concessione post diluvium usque ad legem evangelicam licita fuit.

Prima pars thesis, qua secundas ulterioresque nuptias, post solutionem prioris conjugii per mortem unius conjugis initas, dicimus esse per se licitas, probatur

1. *Ex doctrina Pauli.*—In Epistola enim ad Corinth. VII. 8. 9. ait: "Dico autem non nuptis, et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri;"—et in eodem capite, ver. 39.: "Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino."—Quibus verbis Apostolus, licet optet ut viduæ in viduitate permaneant, nam hæc iteratis nuptiis præstat; nihilominus validum licitumque declarat novum conjugium. Ubi et illud adnotetur, Apostolum jus nubendi non coarctasse ad secundas tantum nuptias, sed indefinite idem jus pro aliis nuptiis asseruisse.

Quare S. Augustinus verba Pauli mox citata perpendens aiebat (de bono viduitatis c. 12.): "De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde et breviter respondeam, nec *ullas* nuptias audeo damnare. . . . Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse? Ait enim: 'Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit.' Non dixit, primus; aut, secundus; aut, tertius; aut, quartus: sed, 'Mulier,' inquit, 'alligata est, quamdiu vir ejus vivit: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit' (I. Cor. VII. 39. 40.). Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro."

Quin etiam Apostolus non solum jus nubendi statuit pro viduis, sed

ulterius quasi progrediens, illas quæ in periculo essent declinandi a via virtutis, hortatur potius ad nuptias, scribens (I. ad Timoth. v. 14.): "Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia."

Quod de nuptiis ulterioribus Paulus docet, loquens de mulieribus, viros etiam spectat; ratio enim pro utrisque eadem est.

2. *Ex Traditione Patrum* veritas, quam defendimus, confirmatur.—Audivimus S. Augustinum; quosdam saltem alios audiamus.

Et in primis ipse Tertullianus testimonium veritati reddat; ipse enim, cum adhuc esset catholicus, in libro 2. ad uxorem, c. 1., Montani errorem, quem postea professus est, refutavit statuens ex verbis Apostoli nuper citatis secundas nuptias esse licitas. "Apostolus," inquit, "de viduis et innuptis, ut ita permaneant *suadet*, cum dicit: 'Cupio autem omnes meo exemplo perseverare;' de nubendo vero *in Domino*, cum dicit, 'tantum in Domino,' *jam non suadet*, sed exerte jubet."

S. Ambrosius (de Viduis, c. 11.): "Non prohibemus," ait, "secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas."—Et ætate ipsa apostolica Hermas quoad rem nostram scripsit (In *Pastore*, l. 2. mand. 4. n. 4.): "Dic," inquit, "si vir vel mulier alicujus decesserit, et nupserit aliquis illorum, numquid peccat? Qui nubit non peccat."

S. Hieronymus Ageruchiam adolescentulam viduam a secundis nuptiis magna argumentorum copia dehortatur, sed ne contra mentem suam quæ scribit intelligantur sollicite monet (Ep. 123. al. 11. n. 9.): "Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? minime; sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? Absit; sed monogamos ad continentiam provocamus."

Et in Epistola ad Pammachium (48.), qua defendit libros suos adversus Jovinianum, disertissime dicit: "Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino."—Deinde, n. 9.: "Erubescat," inquit, "calumniator meus, dicens me prima damnare matrimonia, quando legit: Non damno digamos et trigamos, et si dici potest, octogamos. Aliud est non damnare, aliud prædicare; aliud est veniam concedere, aliud laudare virtutem."—Demum in eadem Epistola, num. 18. ait: "Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam; imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo, et secundo

marito nubere; sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ."

Nec desunt nobis testimonia ex Patribus Græcis.

Clemens Alexandrinus (lib. 3. strom. c. 12.) ait: "Si cui Apostolus propter intemperantiam et ustionem veniam secundi concedit matrimonii . . . hic quoque non peccat quidem ex Testamento (non est enim lege prohibitus); non implet autem summam illam vitæ perfectionem, quæ agitur ex Evangelio."—S. Basilius Epist. 199. ad Amphiloch., can. 41., scribit: "Quæ in viduitate sui habet potestatem, una cum viro habitare potest sine reprehensione, si nemo est qui conjugium divellat, cum Apostolus dicat: Si mortuus sit maritus, libera est ut nubat cui velit; tantum in Domino."—S. Gregorius Naz. (Or. 29. n. 18. etc.) Novatianum perstringens inquit: "Anne junioribus viduis propter ætatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis? . . . . . At Paulus hoc facere minime dubitavit, cujus te scilicet magistrum profiteris, perinde ac ad quartum cœlum aliumque paradisum perveneris. . . . . . At hæc minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes."—S. Epiphanius (Hær. 59. al. 48.) hæc habet: "Post conjugis obitum si quis alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, SS. Litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit."

Et hæc sufficiant ad exemplum. Ex his autem intelligere facile possumus sensum aliorum testimoniorum quæ ex Patribus afferuntur et prima facie videntur damnare secundas nuptias, præsertim vero ulteriores.—His in locis Patres repetitas nuptias non secundum se improbant, quasi vera conjugia et in se licita non essent, sed relate ad affectum illorum, qui non contenti primis atque etiam secundis nuptiis, non ex intentione prolem suscipiendi et susceptam christiane educandi, sed explendæ libidinis causa tertium aut quartum matrimonium inire præsumebant.—Certe Sanctus Basilius (Epist. 188. ad Amph. cap. 4.) trigamos et tetragamos post expletam pœnitentiam admitti jubet ad communionem, nec ullo pacto insinuat eos valida conjugia non contraxisse.—Pœnitentia vero imponebatur eis, immo, in Ecclesia Græca, etiam bigamis, propter incontinentiam quæ, ut plurimum saltem, incitabat eos ad repetendas nuptias.

Quod si Ecclesia in secundis nuptiis benedictionem solemnem non

concedit quæ in Missa peculiari continentur pro sponso et sponsa, id evenit tum quia benedictio semel collata perdurare intelligitur, ideoque iterari non debet; tum quia, ut jam adnotavimus, Ecclesia minus propensa se exhibet erga nuptias successivas.

3. *Ex Summorum Pontificum auctoritate* secundas et ulteriores nuptias licitas esse comprobamus.

Innocentius enim IV. in Ep. ad Ottonem Legatum in Regno Cypri, data anno 1254., prohibet ne Græci qui Romano Patriarchatui subdebantur, tertias ac ulteriores nuptias reprehenderent. "Quia vero," inquit, "secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem; secundas et tertias, ac ulteriores etiam nuptias, Græci non reprehendant aliquatenus, nec contemnant, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi possunt.

Et Eugenius IV., Decreto pro Jacobitis, ait: "Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab ejus lege soluta, et nubendi cui vult in Domino habeat potestatem, nec distinguat mortuo primo, vel secundo, vel tertio; declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas, atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint: quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito præferendam esse censemus."

4. Demum ipsa *praxis* universalis Ecclesiæ aperte ostendit nuptias de quibus loquimur esse licitas; et *ratio* in eis nullam per se malitiam deprehendit.—Nam ex una parte per mortem unius conjugis vinculum matrimonii solutum est; et ex alia parte, secundæ et ulteriores nuptiæ non repugnant, ut patet, sive primario fini matrimonii, sive secundariis.

Manet itaque demonstratum polygamiam successivam esse licitam. Trigamiam vero plerumque, et semper tetragamiam, esse in Ecclesia Græca, ex jure ecclesiastico, non solum illicitas sed invalidas a sæculo X., superius ostendimus in prænotatis p. 249.

Secunda pars thesis spectat polygamiam simultaneam, eamque dicit esse jure divino in lege evangelica omnino prohibitam.—Id definitum

fuit a Concilio Tridentino, sessione 24. de matrimonio, c. 2. his verbis: "Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit."

Hæc fidei veritas a Tridentina Synodo definita ad profligandam Lutheri et Anabaptistarum doctrinam, constat

1. *Ex verbis Christi.*—Christus enim, ut in Evangelio secundum Matthæum legimus, XIX. 2–9., matrimonium ad primam institutionem suam revocavit.

Sed prima institutio matrimonii jure divino excludit polygamiam simultaneam.—Ergo.

Major argumenti est apertissima; nam Dominus a Pharisæis interrogatus an liceret uxorem repudiare, respondet non licere, et hanc affert rationem (vv. 4–6.): "Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."—Instant Pharisæi, aiuntque Moysem permisisse libellum repudii; et Dominus iterum primam matrimonii institutionem appellans, eamque omnino deinceps servandam esse declarans, ait (ver. 8.): "Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic."

Quod autem in *minori* dicimus, matrimonium nempe ab initio institutum a Deo excludere polygamiam multarum uxorum simul, patet ex verbis Sacrarum Scripturarum, mox citatis;—illa enim verba "*masculum et feminam fecit eos,*" et "*adhærebit uxori suæ,*" et "*erunt duo in carne una*" clare indicant Deum in ipsa prima institutione conjugii voluisse matrimonium esse conjunctionem unius cum una, non unius cum multis.

Secundum pro re nostra argumentum desumitur etiam ex verbis Christi. Etenim Salvator, ut legitur apud Mattheum V. et XIX., Marc. X., et Luc. XVI. declarat eum mœchari, qui dimissa uxore aliam duxerit. Sed si mœchatur ille qui dimissa uxore aliam ducit, quia dimissa uxor a viro, etsi videatur non amplius esse uxor, manet tamen vere uxor; multo magis mœchabitur ille qui, uxore retenta, alteram ducit; cum multo evidentius constet eam esse uxorem quæ non fuit a viro dimissa.

2. *Ex perpetua ac evidentissima Traditione* veritas quam vindicamus confirmatur.

Ad antiquissimos Patres quod attinet, Athenagoras, in *legatione pro Christianis,* num. 33. ita dicit institutos esse Christifideles: "Ut quisque vel qualis natus est, maneat, vel *unicis in nuptiis*. . . . Quicumque enim dimiserit, inquit [Christus], uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur, nec eam dimitti sinens, cujus virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci."

S. Theophilus Antiochenus (ad Autolycum, libr. 3. n. 15.) ait apud christianos "temperantia adest, continentia exercetur, *monogamia servatur,* custoditur castitas."

Minutius Felix christianorum doctrinam exponens in *Octavio,* c. 31. dicit: "Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus. Cupiditatem procreandi, *aut unam scimus, aut nullam.*"

Clemens Alexandrinus, lib. 3. Stromat. c. 12. hæc habet: "Idem vir et Dominus, dum vetera renovat, non amplius concedit polygamiam (nam hanc quidem expetebat Deus, quando oportebat homines augeri et multiplicari), sed monogamiam introducit propter liberorum procreationem et domus curam, ad quam data est mulier adjutrix."

Tertullianus, adhuc catholicus, in Apologetico pro christianis, c. 46., scribit: "Christianus, *uxori suæ soli* masculus nascitur."

Quoad Patres sequioris ætatis, satis erit ad exemplum citasse sequentes.

S. Ambrosius, lib. 1. de Abraham, cap. 7. ait: "Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii."

S. Chromatius Aquileiensis (Tract. 10. in Ev. S. Matt. n. 1.): "Hoc non ignorent, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant qui per effrenatam libidinis voluptatem . . . dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia. Quod idcirco se credunt impune committere quia humanis et sæculi legibus id videtur permissum, nescientes in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis præferant, ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant quia ab homine sit libere permissum."

S. Joannes Chrysostomus (Hom. 56. in Genes.) de Jacobo patriarcha loquens, qui duas sorores sibi matrimonio copulavit, hæc habet: "Sed

audiens quod recepit majorem natu et postea minorem, ne turberis: neque juxta statum qui nunc est, opera quæ tunc facta sunt judices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc vero quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, gratia quoque incrementum accepit: adveniens enim Christus et virtutem in hominibus plantans, Angelos, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem abolevit."

S. Augustinus (de nuptiis et concup. lib. 1. cap. 10. n. 11.) hoc dicit esse præceptum "in Ecclesia Christi . . . . ut nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; . . . sed lege Evangelii reus est adulterii; sicut etiam illa si alteri nupserit. Usque adeo manent inter se viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent."

3. *Ex Decretis Romanorum Pontificum* demonstratio nostra iterum plenissime confirmatur. Nam ii legis christianæ vindices et traditionis catholicæ strenui adsertores, polygamiam inter christianos semper et ubique execrati sunt, eamque ut omnino proscriptam a Christo Domino damnaverunt.

Hinc, ut quosdam speciminis gratia citem, S. Innocentius I. sæc. V., scribens ad Exsuperium Episcopum (Ep. 6. c. 6.) ait: "De his requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri." In cujus rei confirmationem adducit verba Christi Domini ex Matth. XIX. 9. Et in alia epistola ad Probum (Epist. 36. in fine), dicit: "fide catholica suffragante . . . . . . conventum secundæ mulieris, priore superstite nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum."

S. Nicolaus I., sæculo IX. ad Consulta Bulgarorum, c. 51.: "Duas," inquit, "tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit."

Et hic præterire omnino non possum aliud ejusdem Nicolai documentum insigne. Imperatoris Lotharii filius et Caroli Calvi nepos, Lotharius Lotharingiæ rex, Teutperga uxore repudiata, Waldradam ducere in uxorem contendit. Id cum audivit Nicolaus Pontifex exhorruit, repudium improbavit, acta Concilii Metensis, quod Lothario faverat irrita fecit, episcopos prævaricatores deposuit, et his verbis gravissimis episcopos Lotharii ditioni obnoxios, ut virili animo adultero regi resisterent, adhortatus est (Ep. 80.): "Quapropter, obsecro vos per adventum D. N. I. C. ante cujus conspectum vel pro legitimis certaminibus coronam, vel pro desidia, quod absit, pœnam percipietis; ut tandem aliquando recogitetis ministerium quod accepistis, projiciatis desidiam, pellatis a vobis servilem timorem, resumatis episcopalem libertatem, corripiatis speculatorum et pastorum officium, et precando, obsecrando, suadendo, modo caduca hujus mundi prospera exponendo, modo in æternum mansura gaudia prædicando, jam nominatum regem [Lotharium] frequentius adeatis, et tam ex auctoritate Dei, quam etiam ex nostri apostolatus injuncta vobis præceptione, quousque, si non obedierit, hanc quam nunc habet *adulteram mulierem* projiciens, finitivam permansoriamque demus super eum sententiam. . . . . . Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, qui trahitur ad interitum, liberare ne cessetis. Clamate, quasi tuba, exaltate voces vestras et annuntiate illi scelera sua, quibus peccat, et peccare facit Israel. Quod si ille non audierit, ipse in iniquitate sua morietur, sanguis ejus super caput ejus erit: vos autem animas vestras liberabitis."

Innoc. III., sæc. XIII., declarat (l. 4. Dec. tit. 19. c. 8. de divortiis) simul plures retinere uxores *absonum* esse *et inimicum fidei* christianæ, nam "veridica hæc sententia," inquit, "probatur etiam de testimonio Veritatis testantis in Evangelio: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem et aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam."—Idem jam declaraverat (cap. *licet, de sponsa duorum*) Alexander III. Innocentii prædecessor, decernens eum, qui postquam cum una contraxit per verba de præsenti, aliam duxit: "etiamsi cum ista copulam habuerit, ab illa tamen debere separari."

Hinc in Confessione fidei Michaelis Palæologi, a Clemente IV. ei

proposita anno 1267. et ab ipso in Concilio Œcumenico Lugdunensi II. an. 1274., Gregorio X. oblata, solemniter declarabatur: "Tenet etiam et docet eadem Sancta Romana Ecclesia . . . de matrimonio . . . quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros: soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat."

Responsum Gregorii II. ad S. Bonif. allegatum utique fuit a defensoribus polygamiæ, his verbis expressum: "Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præcedit, et non detestabilis culpa excludit."

Sed hoc Pontificis rescriptum, quod a Gratiano refertur causa 32. q. 6. cap. 18., alii genuinum esse negant, alii communiter censent non attingere rem præsentem, cum in ea de infirmitate perpetua, seu de impotentia antecedente perpetua agatur qua mulier illa laborabat, adeoque de impedimento dirimente, quod reddiderat nullum matrimonium ab ea contractum.

4. Demum *ex natura ipsa conjugii christiani* manifestum est polygamiam esse in lege christiana omnino prohibitam. Etenim matrimonium christianum, ut demonstravimus, unionem quæ inter Christum et Ecclesiam sponsam suam intercedit repræsentat.—Sed Christus nonnisi unicam sponsam habet, quam acquisivit sanguine suo.—Ergo matrimonium christianum nonnisi ab uno viro cum una simul muliere contrahi potest.

Tertia pars thesis, qua dicimus polygamiam repugnare præceptis legis naturæ secundariis, jam in prænotatis demonstrata fuit ex S. Thoma. Ab eodem tamen Sancto Doctore duo alia desumimus pro re præsenti, et hic subjungimus, argumenta, quæ ipse proposuit in "Summa contra Gentiles" lib. 3. c. 124.

"Amicitia," inquit, "in quadam æqualitate consistit. Si igitur mulieri non licet habere plures viros, quia hoc est contra certitudinem prolis, liceret autem viro habere plures uxores, non esset liberalis amicitia uxoris ad virum, sed quasi servilis. Et hæc etiam ratio experi-

mento comprobatur, quia, apud viros habentes plures uxores, uxores quasi ancillæ habentur."

"Præterea, amicitia intensa non habetur ad multos, ut patet per Philosophum (Ethicor., VIII. cap. 5.). Si igitur uxor habet unum virum tantum, vir autem plures uxores, non erit æqualis amicitia ex utraque parte. Non igitur erit amicitia liberalis, sed quodammodo servilis."

Insuper doctrinam quam tuemur, tradidisse Patres, ex disertis eorum testimoniis apertum est.

Et sane, S. Hier. in l. 1. contra Jovinianum, n. 14., ait: "Una costa a principio in unam uxorem versa est. 'Et erunt,' inquit, 'duo in carne una,' non tres, neque quatuor; alioquin jam non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius et homicida, unam carnem in duas divisit uxores; fratricidium et digamiam eadem cataclysmi pœna delevit. De altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est. Quantum distant in numero: tantum et in crimine."—Et Epist. 123. al. 11. ad Ageruchiam, n. 12.: "Unus Adam," inquit, "et una Eva, immo una ex eo costa separatur in feminam; rursumque quod divisum fuerat, nuptiis copulatur, dicente Scriptura: '*Erunt duo in carnem unam:*' non in duas, nec in tres. *Propter quod relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ;* certe non uxoribus. Quod testimonium Paulus edisserens, ad Christum refert et ad Ecclesiam, ut primus Adam in carne, et secundus in spiritu monogamus sit. Sit una Eva mater cunctorum viventium; et una Ecclesia parens omnium christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas divisit uxores; sic hanc hæretici in plures Ecclesias lacerant."—Et iterum Epist. 79. ad Salvinam, n. 10.: "Etiam de Paradiso," ait, "expulsus Adam unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas, et plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit."

Ven. Beda in Hexaemeron libr. 2. dicit: "Lamech et uxores legitur accepisse duas contra decretum ejus qui dixit: *erunt duo in carne una,* et prolem ex eis genuisse mundi actibus et illecebris deditam, ac sic patrato homicidio proprii oris maledictus esse sententia."

Theophilactus, enarr. in Evang. Matth. XIX. 3–6., perpendens verba Domini ad Pharisæos, inquit: "Quid igitur Christus? Ostendit opus et legislationem ejus qui nos a principio formavit esse monogamiam.

Ab initio enim unum conjunxit Deus uni; atque ita non oportet unum virum conjungi multis mulieribus, neque mulierem unam multis viris, sed eos sicut ab initio conjuncti fuerunt, manere."

Walafridus Strabo, seu Glossa ordinaria, in cap. 19. Genes. ver. 19. ait: "Notandum quod generationes ab Adam per Cain undenario terminantur, in quo trangressio signatur. . . . . . In hac progenie Lamech primus contra morem, *contra naturam*, per bigamiam adulterium commisit."

S. Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum, num. 51. eodem modo loquitur, dicens: "Adulterii flagitium, quod Lamech primus in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum fuit."

B. Gregorius IX. Ep. 6. ad Germanum archiepiscopum Græcorum: "Unus Adam," inquit, "collocatus ad opus et custodiam paradisi unam est sortitus uxorem, unum Dominum Jesum Christum in justitia et veritatis scientia creatum et unicam sponsam ejus Ecclesiam præfigurans. . . . Lamech, qui humiliatum sonat, dum uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est, et virum in suum vulnus occidit."

Et ante Gregorium IX., Innocentius III. (cap. *Gaudemus, de divortiis*) apertissime declarat: "*nulli umquam licuit* insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum: quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, sic et patriarchæ, et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur."

Quarta pars thesis spectat permissionem de pluralitate uxorum a Deo concessam post diluvium.—Id non solum Scriptura subindicat, quæ nusquam arguit Patriarchas ob multiplicata simul conjugia, et illustria illorum virorum sanctitati reddit testimonia; sed etiam clare testantur Patres tum Græci tum Latini, quos superius in hac thesi citavimus. —Verbis eorum addimus hæc pauca, quæ ex S. Augustino seligimus. In lib. 22. contra Faustum Manichæum c. 47. ait: "Quando mos erat, crimen non erat; et nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur.

Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege [ob concessam a Deo dispensationem] prohibebatur."—Et in libro de bono conjugali, c. 17 : "Sed neque hi," inquit, "si forte nunc inveniuntur, qui non quærunt in connubio nec appetunt, nisi propter quod institutæ sunt nuptiæ, coæquari possunt illis hominibus. In istis enim carnale est ipsum desiderium filiorum ; in illis autem spirituale erat, quia sacramento illius temporis congruebat. Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere nisi spiritualiter quærit: tunc vero ipsius pietatis erat operatio etiam carnaliter filios propagare ; quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, et ad dispensationem propheticam pertinebat."—Demum in eodem opere, cap. 18. : "Sicut ergo," inquit, "sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus ; sic sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate."

Nec aliquem movere debet quod in Scripturis aliæ, præter primam uxorem ductæ, *concubinæ* vocentur, quasi ex hoc deduci possit eas non fuisse vero matrimonio viris suis conjunctas, sed adulterii causa eis adhæsisse.—Etenim, ut notat Bellarminus, et per se patet, in Scriptura etiam veræ et legitimæ uxores aliquando dicuntur concubinæ, et ipsæ concubinæ dicuntur uxores. Siquidem Gen. XVI. Agar dicitur uxor, Genes. XXV. Cethura dicitur etiam uxor; et paulo post tam ipsa, quam Agar dicuntur concubinæ: et Judic. XIX. uxor vera, et legitima, immo et unica cujusdam Levitæ, nunc uxor, nunc concubina nominatur.—Erant igitur duo genera uxorum, tum apud Hebræos veteres, cum etiam apud gentiles. Quædam, quæ ducebantur non solum ad procreandos liberos, sed etiam ad societatem omnium bonorum, et totius domus gubernationem ; atque harum tantum filii erant hæredes ; et hæ proprie dicebantur *matresfamilias.* Quædam erant legitimæ etiam uxores, sed non admissæ ad societatem bonorum, et domus gubernationem ; et hæ neque *matresfamilias* dicebantur, neque earum filii hæredes erant ; et hæ tum uxores, tum concubinæ nominabantur.

Quod autem S. Leo M., Ep. 167. al. 92. ad Rusticum Narbonensem, c. 4., attulerit Saræ et Agar exemplum, cum distinguendo inter uxorem et concubinam, dixerit concubinam non esse veram uxorem, ac pro-

inde illum non duplicare conjugium qui habens concubinam ducat uxorem ;—id intelligi debet quatenus exemplum de Sara et Agar non adduxerat ad ostendendum Agar veram non fuisse uxorem Abrahami ; sed solum ad exhibendum exemplum unionis domini cum serva : quæ unio ætate S. Leonis M. non erat veri matrimonii, quia conjugium ingenui cum serva tunc temporis, vi *juris ecclesiastici* nullum erat.

Ut rem absolvamus, circa modum quo divina dispensatio pro pluralitate uxorum concessa fuit, dicimus cum communi sententia theologorum post S. Thomam (Suppl. qu. 65. art. 2. ad 3.) eam per internam inspirationem factam fuisse. Quam tamen non tenemus fuisse singulis immediate a Deo concessam, sed primis tantum Patribus, et fortasse, ut ait Bellarminus, soli Noe, qui deinceps alios docuit.

Præterea probabile est dispensationem concessam fuisse a Deo non Hebræis tantum, sed etiam omnibus gentibus.—Scriptura enim Gentes non reprehendit eo quod ante Christi adventum admitterent polygamiam simultaneam ; et Patres generalem concessionem videntur insinuare, cum eam expresse non dicant populo Dei tantum fuisse datam :—immo dicant, dum de pluralitate uxorum quæ vigebat inter gentes loquuntur, eam tunc temporis prohibitam non fuisse. Ita præsertim loquitur S. Augustinus.

At post Christi adventum, matrimonio ad primævam sui institutionem redacto, prorsus revocata fuit quoad pluralitatem uxorum quæcumque data fuerit dispensatio. Hinc post Christi adventum quicumque homines, etiam infideles, monogamiæ simultaneæ lege tenentur, et apud infideles etiam illicitum atque nullum est secundum matrimonium, quod vivente uxore contrahatur.

ARTICULUS OCTAVUS

De indissolubilitate matrimonii.

Dissolutio *proprie dicta* matrimonii locum habet cum conjuges ita ab invicem separantur ut, vinculo conjugali inter eos dissoluto, libertati quam ante matrimonium habebant restituantur. De hac dissolutione matrimonii agemus.—Præter eam, dissolutio *improprie dicta* conjugii

fieri potest, cum conjuges, manente inter eos conjugii vinculo, vel ab obligatione reddendi debitum fiunt immunes, et vocatur *dissolutio*, seu potius *separatio quoad thorum;* vel ab obligatione simul cohabitandi, et est *dissolutio*, seu *separatio quoad habitationem;* vel ab utraque obligatione, reddendi nempe debitum et simul cohabitandi; quo casu habetur *separatio a thoro et mensa.* Quæ spectant has conjugum separationes, speciatim tractant Doctores in Libris de Theologia Morali et Jure canonico.

Nos autem de indissolubilitate matrimonii *quoad vinculum* agentes, cum hæc pro quocumque matrimonio non sit eadem, triplex matrimonium distinguemus, scilicet *legitimum, ratum* et *consummatum;* unum, seu *legitimum*, quod in naturæ officium ab infidelibus contrahitur; alterum, seu *ratum*, quod a christianis celebratur et est sacramentum; tertium seu *consummatum*, quod per perfectam carnalem copulam completur:—et de his, ut perspicuitati consulamus, sejunctim distincteque loquemur tribus paragraphis insequentibus.

§ I.

De indissolubilitate matrimonii in se inspecti.

Matrimonii vinculum ex prima conjugii institutione, et ex jure naturæ perpetuum esse, adeoque divortium proprie dictum, quo conjuges non amplius ligamine connubii obstricti maneant, repugnare legi naturali, catholici Doctores communius docent; licet nonnullis visum fuerit ex solo jure naturæ non posse deduci matrimonii nexum esse tam arctum, ut numquam valeant conjuges illud abrumpere. Inter hos doctores adnumerantur Sanchez et Bellarminus:—qui tamen admodum a communiori sententia alieni videntur non esse. Etenim Sanchez ipse fatetur (de Matrim. l. 2. disp. 13.): "aliqualem inseparabilitatem esse *de natura* matrimonii, et ita competere etiam matrimonio rato de jure divino et *naturali;*" et Bellarminus (libr. 1. de Mat. c. 4.) idipsum non diffitetur.

Auctores autem primæ, et communioris sententiæ, dum eam propugnant, non intelligunt matrimonium ita natura sua esse indissolubile, ut neque a Deo auctore conjugii possit dissolvi. E contra, hanc sane potestatem in Deo agnoscunt; immo et profitentur dissolutionem ma-

trimonii fuisse permissam in lege Mosaica; et etiam nunc, post legis novæ promulgationem, ipsa consummata infidelium conjugia ex Dei voluntate quandoque dissolvi, cum matrimonium in infidelitate contractum et consummatum dissolvi quoad vinculum possit si alterutro conjuge ad fidem converso nolit alter cum eo vivere, vel cohabitare cum eo non consentiat nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo eum ad peccatum.

Hujus facultatis concessæ conjugi qui ex infidelitate ad fidem convertitur et baptizatur, meminit Paulus in Epistola ad Corinth. VII.; et ideo facultas hæc appellari solet a Canonistis *casus Apostoli*, vel *Privilegium Paulinum*.

De eo dubitatum non fuit usque ad sæculum anteactum, quando magna animorum concitatione illud Jansenianorum asseclæ impugnaverunt in celebri controversia anno 1758. mota occasione conversionis ad fidem cujusdam judæi Argentinensis, nomine Borach Levi, cui episcopus Suessionensis, quem Jansenianis favisse constat, injunxit ne aliud iniret matrimonium, quamvis uxor ejus judæa absolute renueret cum ipso vivere.—Attamen certam esse facultatem concessam conjugi ad fidem converso et baptizato in casibus superius commemoratis, ut novum conjugium inire valeat, dissoluto matrimonio in infidelitate cum infideli contracto, mox demonstrabimus.

Demum in Syllabo errorum edito a Pio Papa IX., hanc invenimus positam esse sub numero 67. propositionem: "Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest."

His in antecessum breviter indicatis, statuitur

THESIS VIII.

Matrimonium ex primitiva et naturali sua institutione est indissolubile: —illud vero quod a duobus infidelibus contractum fuit, etiamsi ab eis fuerit consummatum, divina auctoritate dissolvi potest, si alterutro conjuge ad fidem converso et baptizato, alter cum eo vivere renuat, vel cohabitare cum eo non consentiat nisi cum Creatoris contumelia, aut ut conjugem pertrahat ad peccatum.

Prob. *prima pars thesis*, quæ spectat indissolubilitatem conjugii attenta primitiva et naturali ejus institutione,

1. *Ex verbis Christi.*—Etenim apud Matth. XIX. 3–6., legimus: "Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."—Ex verbis igitur ab Adamo, divini Spiritus instinctu pronuntiatis, quæ primitivam et *naturalem* matrimonii institutionem referunt, nempe; "Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una;" Christus Dominus *infert* ejusdem matrimonii *indissolubilitatem*, dicens: "Quod *ergo* Deus conjunxit, homo non separet."

Hanc illationem indissolubilitatis conjugii deduxisse Christum ex verbis quæ spectant matrimonium prout est in officium naturæ contractus naturalis, clarius adhuc apparet si attendatur alia immediata illatio, quam Salvator mundi ex iisdem Adami verbis antea deduxit. Nam, relatis illis verbis: "Propter hoc etc." concludit: "*Itaque* jam non sunt duo, sed una caro:"—et deinde ex hoc infert: "Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."—Quasi dicat, si per unionem conjugii, cujus Deus ut conditor naturæ auctor est, duo sunt in carne una; jam illi duo, Deo naturam sic instituente per eamdem unionem conjugii, veluti una caro efficiuntur;—eam igitur separare homo non potest. Hinc non dicit Christus "*quos* Deus conjunxit, homo non separet," sed "*quod* Deus conjunxit;" ut non tamquam de duobus, sed tamquam de uno corpore ipse loquatur.

Et in hujus rei confirmationem attendantur etiam verba citata "et adhærebit uxori suæ." Illud "*adhærere*" non significat quoquo modo conjungi, sed tam arcte ut qui conjuncti sunt disjungi ab invicem jam non valeant:—hæc enim est vis vocis hoc loco adhibitæ, Græce κολληθῆναι, Hebraice דבק.

Præterea, audiamus Pharisæos Domino objicientes, vers. 7.: "Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere." Respondet eis Christus, ver. 8.: "Quoniam Moyses ad duritiam

cordis vestri *permisit* vobis dimittere uxores vestras: *ab initio* autem *non fuit sic.*"—Ergo Christus facultatem dimittendi uxores, *unice* repetit ex *permissione* Judæis facta ob eorum duritiam; ac proinde affirmat eos sine *hac permissione* per legem Mosaicam *concessa* non potuisse uxores dimittere, cum id esset contra primævam et naturalem institutionem matrimonii. Unde illam permissionem abrogans ad matrimonium prout ab initio institutum fuit in officium naturæ iterum appellat, et ait: "ab initio autem non fuit sic."

Argumentum ex verbis Christi desumptum, confirmare placet egregia S. Joannis Chrysostomi expositione, qui illa verba, Homilia 62. alias 63. in Matthæum, luculente ac clarissime ita declarat: "Si [Deus] voluisset," inquit, "hanc dimitti, aliam duci, cum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres. Nunc autem et *ex modo creationis*, et ex forma legis ostendit, unum debere semper cum una habitare, neque umquam separari. Et vide quomodo dicat: 'Qui fecit a principio, masculum et feminam fecit eos:' hoc est, ex una radice facti sunt, et in unum convenerunt. '*Erunt*,' enim inquit, '*duo in carne una.*' [1] . . . Ne disjungatis igitur, ne separetis: sed quid? '*Quod Deus conjunxit, homo non separet.*'. . . . . Nam Deus a principio masculum et feminam

(1) Aliud præclarissimum ejusdem S. Chrysostomi testimonium, naturam nuptiarum exponens, præterire omnino non possum. Illud referam hic ad calcem. In Epistola ad Colos. Homil. 12. ait: "Vidisti mysterium nuptiarum? Fecit ex uno unum, et rursus cum hos duos fecisset unum, sic facit unum. Quamobrem ex uno quoque nascitur homo. Mulier enim et vir non sunt duo homines, sed homo unus. . . . . Ex ipsa quoque corporis formatione videris esse unum: facta est enim ex latere, et tamquam duo ex dimidio dissecta sunt. Propterea eam quoque vocat adjutricem, ut ostendat eos esse unum. Ideo et patri et matri præfert conjunctionem et cohabitationem, ut ostendat quod sint unum. Et pater similiter lætatur et filia et filio junctis matrimonio, quod corpus properet ad suum membrum: fitque tantus sumptus et pecuniæ detrimentum, et tamen id ferre nequit, ut non conjugatum videat. Tamquam enim ipsa abscissa carne, uterque est imperfectus ad liberorum procreationem, uterque est imperfectus ad præsentis vitæ constitutionem. Propterea dicit etiam propheta, *Reliquum spiritus tui* (Malach. II. 12.). Quomodo autem sunt etiam in carne una? Ut si auro ademeris quod est purissimum, et alteri auro admiscueris: ita hic quoque, id quod est pinguissimum, tamquam fundente voluptate, suscipiens mulier alit et fovet, et cum ea quæ sunt sua contulerit, viro reddit. Et est infans instar pontis. Quamobrem tres fiunt una caro, infante utrimque utrosque conjungente. Sicut enim si cum duæ sint civitates, et fluvius eas omnino dividat, una fit civitas ponte utrimque conjungente: ita est hic quoque, et magis, quando ipse pons est ex utriusque essentia, ea ratione ut corpus et caput sint unum corpus: collo enim dividitur; sed non magis dividuntur quam conjunguntur: nam cum sit medium, utrumque conjungit. Et perinde fit ut si chorus distractus, una quidem ejus parte hinc accepta, altera autem a dextera, unum fecerit: aut sicut qui fuerint in unum

fecit eos (Gen. I. 27.): ac vetustissima lex est, licet videatur nunc a me primum induci, et accuratissime statuta fuit. Neque enim simpliciter mulierem ad virum adduxit, sed jussit et matrem et patrem relinquere. Neque mulierem accedere tantum jussit, sed et illi adhærere, ex modo dicendi disjungi non posse declarans. Neque id satis habuit, sed et aliam majorem conjunctionem exquisivit: *Erunt duo in carne una*, inquit. Deinde prisca recitata lege, *quæ et rebus et verbis inducta* fuit, postquam illam fide dignam ex Legislatore demonstravit, cum potestate illam interpretatur, et legem sancit dicens: 'Quapropter jam non sunt duo, sed una caro.' Sicut ergo carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere iniquum. Neque hic stetit, sed Deum quoque attulit dicens: 'Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;' ostendens illud *et contra naturam et contra legem esse:* contra naturam, quia una caro dissecatur; contra legem, quia cum Deus conjunxerit, et jusserit non separare, vos id facere tentatis."

Et paulo post, exponens verba Salvatoris quibus Pharisæorum audaciam retunderat, ait: "Deinde quia id quod dixerat onerosum erat, admodumque illos carpebat, ad veterem rursus legem sermonem cito transfert, repetens id quod supra dixit: 'A principio autem non fuit sic;' id est, ex rebus ipsis contraria Deus a principio statuit. Ne dicerent enim: Unde palam nobis erit ob duritiam nostram hoc dixisse Moysem? hinc illos rursum comprimit. Nam si hæc lex præcipua utilisque fuisset, non illa alia a principio data fuisset: nec sic efformasset Deus, neque talia diceret."

2. *Ex Doctrina Ecclesiæ* indissolubile esse vinculum matrimonii, secundum primitivam et naturalem conjugii institutionem, confirmamus.

Etenim Bonifacius VIII. aperte declaravit (in 6. Decr. l. 3. tit. 15. *de voto et voti redemptione*): "Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium Conditore, ipsum in paradiso et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem accepisse."

Et Concilium Tridentinum, sess. 24. in *proemio*, eamdem veritatem docens, dixit: "Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum pri-

contracti, etiam manus extendentes sunt unum: manus enim extensæ non sinunt esse duos. Propterea exacte et accurate dixit, non, Erunt una caro, sed, *In unam carnem*, nempe ab infante conjuncti. Quid vero, quando non fuerit infans, non erunt duo? Erunt; hoc enim facit coitus; confundit et commiscet amborum corpora, et sicut qui in oleum injecit unguentum, totum facit unum; ita hic quoque."

mus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata referens, dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro: statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet."

Quæ Concilii verba, Pius VI., in Epistola ad Carolum episcopum Agriensem, data anno 1789. die 11. Julii, postquam retulerit, continuo subjunxit: "Quo manifeste patet matrimonium *vel in ipso statu naturæ*, ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino jure matrimonio ita cohæret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur, ut reapse sit verum matrimonium, tumque adjunctum habebit perpetuum illum nexum divino jure omni vero matrimonio cohærentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque verum matrimonium non est, sed illicita conjunctio, divinæ legi ex objecto repugnans, quæ proinde nec iniri potest, nec retineri."

3. *Ex ratione* probatur indissolubilitas matrimonii secundum se inspecti et prout est in officium naturæ.

Nam, "matrimonium," ait S. Thomas (4. dist. 33. q. 2. a. 1. et seq.), "ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum hæredes sint; II. ad Cor. XII. Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturæ dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ."

Præterea, ut ait idem S. Doctor (Contra Gentiles, libr. 3. cap. 123.), contra naturalem æquitatem esset facultas vel viro tantum, vel tum viro

tum mulieri concessa ad dissolvendum conjugii vinculum. Etenim "femina indiget mare, non solum propter generationem, sicut in aliis animalibus, sed etiam propter gubernationem, quia mas est et ratione perfectior et virtute fortior. Mulier vero ad viri societatem assumitur propter necessitatem generationis; cessante igitur fecunditate mulieris et decore, impeditur ne ab alio assumatur. Si quis igitur, mulierem assumens tempore juventutis, quo et decor et fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem. Item, manifeste apparet inconveniens si mulier virum dimittere posset, quum mulier naturaliter viro subjecta sit tanquam gubernatori. Non est autem in potestate ejus qui alteri subjicitur ut ab ejus regimine discedat. Contra naturalem igitur ordinem esset si mulier virum deserere posset. Si ergo vir deserere posset mulierem, non esset æqua societas viri ad mulierem, sed servitus quædam ex parte mulieris."

Insuper ex natura matrimonii aliud etiam argumentum deducit Angelicus. "Amicitia," inquit (Contra Gentes, l. c.), "quanto major est, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et uxorem maxima amicitia esse videtur; adunantur enim, non solum in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quamdam suavem amicitiam facit, sed ad totius domesticæ conversationis consortium; unde, in signum hujus, homo propter uxorem et patrem et matrem dimittit, ut dicitur in Gen. (II. 24.). Inconveniens est igitur quod matrimonium sit omnino dissolubile."

Sed et felicitati unionis conjugalis alio ex capite repugnat matrimonii dissolubilitas: nam si hæc admitti posset non amplius ea maturitate quæ requiritur connubia fierent; et leves inter conjuges querelæ, illico jurgia evaderent, si ii agnoscere non deberent ut perpetuum illud jugum quod ipsi sibi per contractum matrimonialem imposuerunt, ideoque patienter ad invicem tolerandum.

Demum facultas dissolvendi conjugium repugnat *bono sociali*, cum repugnet *bonis moribus*, et *concordiæ civium*. Et re quidem vera *bonis moribus* repugnat, quia per eam laxatur habena cupiditatibus, et matrimonium convertitur in frequentes concubinatus, spectata passionum humanarum mutabilitate, quæ ad novas semper uniones quærendas

homines urget. Quamobrem quo nationes magis ad divortia proclives fuerunt, major apud eas corruptela morum fuit.—*Concordiæ* vero et *paci* facultatem dimittendi conjugem repugnare patet, nam sicut matrimoniis familiæ sociantur, et vinculis affinitatum atque amicitiarum colligantur cives, ita per dissolutionem conjugiorum odia, lites, privatæ vindictæ et alia innumera mala occurrunt in ruinam societatis civilis.

Quæ hucusque de matrimonii indissolubilitate diximus, eloquentissimis S. Ambrosii verbis confirmare placet.

In libro 8. Expositionis in Lucam, nn. 4–7. ita loquitur: "Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. . . . . Quo cum parvulis feta dimittitur? Quo titubanti vestigio grandæva detruditur? Durus, si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam caritatis, addas etiam pietatis injuriam; durus, si propter matrem etiam filios simul pellas; cum magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras! Quam impium, si ejus destituas senectutem, cujus defloraveris juventutem! Ergo inhonoratis stipendiis et veteranum imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat; et rusticum laboris sui effetum agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? . . . . Paterisne, oro, liberos tuos, vivente te, esse sub vitrico; aut incolumi matre, degere sub noverca? Pone, si repudiata non nubat. Et hæc viro tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat? Pone, si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est; et conjugium quod putas, adulterium est. . . . . . Sed fortasse dicit aliquis: Quomodo Moyses mandavit dari librum repudii, et dimittere uxorem (Ibid. 7.; Deut. XXIV. 1.)? 'Qui hoc dicit, judæus est; qui hoc dicit, Christianus non est. Et ideo quia hoc objicit, quod objectum est Domino, respondeat ei Dominus: 'Ad duritiam,' inquit, 'cordis vestri permisit vobis Moyses dare librum repudii, et dimittere uxores: ab initio autem non fuit sic' (Matth. XIX. 8.). Moyses permisit, inquit, non Deus jussit; ab initio autem Dei lex est. Quæ est lex Dei? 'Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt ambo in carne una' (Genes. II. 24.). Ergo qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus."

Secunda pars thesis spectat illum qui matrimonium adhuc infidelis cum infideli contraxit, et deinde conversus ad fidem et baptizatus fuit:

ei, dicimus, conceditur facultas solvendi matrimonium si conjux infidelis nolit cum eo vivere, vel nonnisi cum Creatoris contumelia aut pertrahendo eum ad peccatum.

Prob. 1.—*Ex verbis Apostoli,* I. ad Cor. VII. 12–15.: "Ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. . . . . . Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus."

Etenim his verbis Apostolus concedit facultatem solvendi *vinculum conjugale,* illamque pro casibus quos indicavimus.—Et *a*) *de solutione quoad vinculum* agitur, nam oppositionem statuit Apostolus inter matrimonium fidelium, et matrimonium contractum prius ab infidelibus, quorum tamen unus postea ad fidem conversus sit. Fidelibus denuntiat legem Domini, et ait, si unus conjugum discessit, seu ab alio se separavit, separationem hanc *vinculum* non attingere, cum debeat uxor quæ a viro discessit, "manere innupta;"—de illis vero qui in infidelitate contraxerant matrimonium statuit, conjugem qui conversus est ad fidem non debere dimittere uxorem infidelem, si ipsa consentiat cum viro suo cohabitare; sin autem "infidelis discedit, discedat." Hac igitur statuta oppositione inter unum et aliud conjugium quoad separationem conjugum; uxori fideli quæ discessit a viro fideli imposita lege a Domino lata ut *innupta* maneat ratione vinculi conjugalis inter eos indissolubilis, et uxori infideli hac lege non imposita; declarat Apostolus infidelem a fideli conjuge ita discedere, ut ea posita discessione conjux fidelis vinculum conjugii jam in infidelitate initi solvere possit.

Idipsum hæc alia Pauli verba clare confirmant: "non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi;" quæ cum sint indefinita, libertatem ab omni servitute per matrimonium contracta indicant, et præcipue ab illa quæ omnium prima et gravissima est, nempe a servitute vinculi conjugalis.—Ceterum *servitus* de qua Apostolus loquitur in hac materia, est ea quæ consistit in vinculo conjugali. Confer vv. 4. 10. 11. 27. 39.

Præterea ex contextu manifeste apparet, Apostolum velle privilegium quoddam concedere infideli converso, quod non conceditur

nuptis post baptismum: porro, ut merito adnotat Carrière (Prælect. de Matrimonio, p. 2. sect. 3. cap. 1.) 1. "nisi ageretur de dissolutione vinculi, privilegium non concederet; tum quia illius declaratione opus non erat, ut agnosceretur eum liberari a cohabitatione quæ fit ipsi impossibilis; tum quia, in adversariorum sententia, gravissimo potius oneri subjaceret, cum cogeretur vel invitus ac immeritus ab usu conjugii abstinere: quo ergo evaderet libertas illa, quam Dominum concessisse declarat Apostolus, ne scilicet infideles a christianæ religionis jugo deterrerentur? 2. Nihil peculiare concederet neophyto: nam profecto apud fideles, quando unus e conjugibus non vult cohabitare, alter non tenetur ad cohabitationem."

b) Constat autem Apostolum concedere facultatem dissolvendi conjugium non modo pro casu quo infidelis nolit cum conjuge converso ad fidem cohabitare, sed etiam pro casu in quo consentiat, sed cum Creatoris contumelia vel pertrahendo conjugem ad peccatum;—quia hi duo postremi casus in primo includuntur; et certe a fideli conjuge discedit, atque cum eo cohabitare non vult conjux infidelis qui nonnisi cum Creatoris injuria et pertrahendo conjugem fidelem ad peccandum vellet cohabitare.

Quod autem Apostolus de privilegio loquens concesso conjugi fideli illud statuat his verbis: "Ceteris ego dico, non Dominus," nullam facessit difficultatem. — Hac locutione ostendere vult Apostolus se non repetere sententiam jam a Domino pronuntiatam, prout fecerat in eodem contextu dicens (vers. 10.): "Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus." Ipse tamen Apostolus annuntians conjugi fideli facultatem solvendi conjugium si conjux infidelis discederet ab eo, sane non a seipso, sed ex spiritu Dei loquebatur. Hinc in casu de quo agimus non homo, sed ipse Deus, cujus interpretem habemus Apostolum, separat in favorem fidei matrimonium legitime jam initum ab infidelibus.

2. *Ex Summorum Pontificum declarationibus, et ex praxi Ecclesiæ,* quam defendimus doctrina patenter evincitur.

Innocentius enim III. (l. 4. Decr. tit. 19. c. 7. *Quanto*) eam expressis terminis proponit. "Si alter," inquit, "infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabi-

tare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: 'Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi:' et canonem etiam in quo dicitur: 'Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.'"

Deinde Romani Pontifices, qui Innocentium III. secuti sunt, eamdem doctrinam verbis et factis tradiderunt, præsertim Gregorius XIII., S. Pius V., et Benedictus XIV.—Quare ipse Benedictus XIV. in opere de Synodo Diœcesana, l. 6. c. 4. n. 3. absolute pronuntiavit: "Certum est, infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum Paulum, I. ad Cor. VII. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi et christianæ religionis despicientia."

NOTA 1.—*a*) Vinculum conjugale non solvitur ex eo solo quod alteruter conjugum infidelium ad fidem convertatur et baptizetur; nam "per sacramentum baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur" (Innoc. III. c. *Gaudemus* l. 4. Decr. tit. 19.).

b) Tunc solum vinculum conjugii solvitur, cum unus conjugum conversus ad fidem et baptizatus, renuente altero conjuge infideli pacifice et sine Creatoris contumelia cohabitare, novum iniit matrimonium.

c) Hinc matrimonium non solvitur si conjux infidelis pacifice cohabitare velit cum baptizato;—nec etiam, si pars infidelis cohabitare pacifice cum fideli noluerit, conjugium solvitur usque dum hic novas nuptias non celebraverit.

d) Hinc si conjux qui manserat infidelis, antequam alter conjux baptizatus matrimonium contrahat, baptizatur; hic ad illum recipiendum tamquam conjugem tenetur et ad cohabitandum cum eo compelli potest.—Ita declaravit Innocentius III. in c. *Gaudemus* superius citato; idque postea confirmatum non semel fuit a S. Congreg. Card. Conc. Trid. interpr. cum Pontificis approbatione, Vid., ex. gr., Decr. 1. Julii 1679. et 13. Aprilis 1680. *in Florentina.*

e) Si conjugium in infidelitate contractum per novum matrimonium

alterutrius conjugis conversi ad fidem solvitur, alter conjux sive convertatur, sive in infidelitate permaneat inire potest aliud conjugium.

f) Antequam ille qui matrimonium in infidelitate cum infideli contraxit et postea conversus ad fidem baptizatus fuit, novum valeat contrahere matrimonium, debet conjugem quæ in infidelitate permansit interpellare, ut de ejus repugnantia ad pacifice et sine injuria Creatoris cum fideli cohabitandum constare possit.

At quandoque evenit, conjugem infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare ut interpellari nequeat. Quid in his adjunctis faciendum est? potestne conversus ad fidem, interpellatione conjugis infidelis omissa, ad alias nuptias convolare?—Huic quæstioni, verbis Benedicti XIV. (de Synodo, lib. 6. c. 4. n. 3.) respondemus, quæ sic se habent:

"Affirmant plerique, quibus adstipulantur Sanchez cit. loc. num. 14. Genuensis in prax. Cur. Archiep. Neapolit. cap. 27. num. 20., Riccius in prax. part. 1. resolut. 241. Alii ex adverso, inter quos Pontius l. 7. de matrim. cap. 48. num. 22., in eo rerum statu necessariam putant dispensationem Summi Pontificis, cujus est declarare, in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum divinum, quo prædicta interpellatio, ante rescissionem matrimonii, videtur injuncta: atque huic posteriori sententiæ in quadam causa Florentina, discussa 17. Januarii 1722. adhæsit sacra Congregatio Concilii, cujus judicio nos omnia subjecimus rationum momenta, quæ a dissidentibus inter se Doctoribus in utramque partem afferuntur, uti legere est t. 2. Thesaur. Resolut. pag. 117. et seq. Nec Sedes Apostolica difficilem se præbet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet concedendam. Etenim, sicuti in præfata causa Florentina animadvertimus, Gregorius XIII. locorum Ordinariis, parochis, et presbyteris missionariis Societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, et Brasilia degentibus, potestatem fecit dispensandi cum quolibet conjuge, qui christianæ religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse, et nos ipsi, ad Petri Cathedram evecti, facultatem concessimus Apostolico Nuntio, Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos, existentes in loco pio catechumenorum ejusdem civitatis Venetiarum: quod habetur in Constit. 3. nostri Bullarii tom. 1."

NOTA 2.—Facultas dandi libellum repudii ad uxores dimittendas concessa legitur viris hebraicæ gentis in his verbis Deut. XXIV. 1–4. : "Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem ; quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino : ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam."

Verum, permissio repudii eratne talis quæ conjugii vinculum solveret; vel data erat quasi minus malum permissum, ad præcavenda majora mala, intacto semper manente vinculo conjugali? Non pauci gravissimi theologi hanc secundam sententiam tenent, inter quos sunt S. Bonaventura, Magister Sententiarum, Soto, Estius, Sylvius, aliique: contendunt tamen alii Deum concessisse hebræis per Moysen permissionem qua poterant in casu repudii conjugia solvere.

Rationes quæ ad hoc affirmandum inducunt, Pater Hurter in suis prælectionibus theologicis indicavit (Tractat. 9. numero 671.). Eæ sunt sequentes :—1. Christus diserte testatur: *Ab initio non fuit sic.* Quod ergo Moyses permisit, ab initio *non fuit permissum :* sed dimittere uxorem *manente vinculo*, gravi saltem de causa, ut in casu adulterii, certe permissum fuit etiam ante legem Mosaicam, permissum siquidem id est etiam in lege evangelica.—2. Vix credibile est vi hujus permissionis tam pejoris fuisse conditionis mulierem viro; cum hic potuerit aliam ducere uxorem, polygamia siquidem erat permissa : mulier vero citra adulterii crimen non potuerit aliud inire matrimonium.—3. Mulier obligata mansisset ad perpetuum cœlibatum; quem fuisse impositum tempore legis Mosaicæ, vix admitti potest.—4. Quod permissio dicatur concessa "ob duritiam cordis" judæorum non ostendit eam spectare non posse, vel non spectasse, dissolutionem conjugii.—5. Verba ipsa legis huic interpretationi favent, nam *a*) secundus vir, qui dimissam duxerit, vocatur æque *maritus* ac primus, qui eam dimisit: hic alter maritus *b*) pariter poterat dare libellum repudii, qui certe non erat dandus *adulteræ ;* *c*) mulier a secundo dimissa viro non poterat recipi iterum a priori viro ; quod vix credibile est, si *intactum* mansisset matrimonii *vinculum.*"

His rationibus addatur, legem Mosaicam non puniisse nuptias repu-

diatarum cum aliis viris, ut patet ex citato textu Deuteronomii: si ergo illæ nuptiæ licitæ non erant, quia vinculum matrimoniale solutum non fuerat per divortium, tot fuissent adulteria, et lex Mosaica publica et continua adulteria prorsus impunita tolerasset, illa eadem lex quæ jubebat lapidari mulierem semel in adulterio deprehensam.—Demum, mirum esset, neque Moysem, neque prophetas, qui vitia populi reprehendebant, umquam hæc publica adulteria damnasse quæ fiebant cum repudiatis.

S. Thomas duas sententias quas commemoravimus proponit (Suppl. q. 67. a. 3.), et quamvis dicat communiorem ætate sua fuisse sententiam negantem solutionem vinculi per libellum repudii; in affirmantem tamen propendere videtur, pro qua citat etiam verba S. Joan. Chrysostomi, in Matth. XIX. "a peccato abstulit culpam legislator, quando permisit repudium."

NOTA 3.—Quæstioni, an durante lege vetere repudium licuerit etiam gentibus, apud quas constat in usu fuisse, multi respondent negative, eo quod nihil de dispensatione facta a Deo pro gentibus extet in Sacris Litteris. Alii vero affirmant concessionem divortii fuisse extensam etiam gentibus, eodem fere modo quo dicitur eis extensa concessio quoad polygamiam simultaneam. Alii demum, ut Kugler, tenent divortium apud Gentiles fuisse in se illicitum, per accidens tamen licitum, ratione persuasionis quam gentes habebant illius liceitatis, tum propter permissionem legis civilis et consuetudinem, tum etiam propter exemplum populi Hebraici.

§ II.

De indissolubilitate matrimonii christianorum consummati.

Matrimonii christiani indissolubilitas, ratione sacramenti, tam perfecta et absoluta est, ut conjugium inter christianos initum, si usu consummatum fuerit, jam nullo pacto quoad conjugale vinculum, nisi per mortem alterutrius conjugum, solvi queat.

Hanc tamen perfectam atque absolutam indissolubilitatem conjugii christiani consummati, non agnoscunt Græci a pluribus retro sæculis; contendunt enim vinculum matrimonii dissolvi posse propter adulterium alterius conjugum: et quod asserunt in praxim deducunt; et ad

hanc eorum praxim cohonestandam citant verba Christi in Evangelio Matthæi relata, cap. 19. ver. 9.: "Dico autem vobis: Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur."

Quandonam id asserere ac facere Græci cœperunt, præcise determinari haud potest: sed certum est hujus praxis, seu abusus, originem repetendam esse ab legibus imperialibus. "Exploratum est penes eruditos" recte adnotat P. Perrone (de Matrimonio libro 3. sect. 2. cap. 4.) "legibus imperatorum ethnicorum viris præsertim indultam fuisse divortia faciendi facultatem. Imperatores christiani huic malo occurrere quidem sategerunt; attamen cum magna adhuc parte imperium romanum ethnicis constaret, nonnisi per gradus quosdam antiquas leges emendare potuerunt. Quum vero deinceps emendare possent ac deberent, potius divortiis magis faverunt. Quocirca imp. Constantinus M. legem tulit, qua causas divortii ad tres coarctavit in femina, nempe: 'Si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit:' in viris pariter: 'Si *mœcham*, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.' Hanc eamdem legem confirmarunt et extenderunt imperatores Honorius, Theodosius et Constantinus, '*De pœnis injusti repudii, justi contra præmiis.*' Plures aliæ leges eadem de re sancitæ sunt ab imperatoribus subsequentibus, quæque referuntur in codice Justiniani, quibus et alias ipse Justinianus adjecit. Nam ipse Anastasium imitatus, in legibus novellis ad Joannem et Theodotum prætorio præfectos, laxavit mali habenas repudiorum causas extendens, et de irrationabili repudio solam puniens mulierem quinquennali abstinentia a novis nuptiis."

Porro, usque dum in Ecclesia græca unita centro unitatis et cathedræ Petri recta disciplina viguit, vix harum legum ratio habita est, quibus Patres legem Christi opposuerunt. At pedetentim, et initio quidem timide ac raro, deinde audacter, præsertim post schisma Photii et Michaelis Cærularii, abusus invaluit, dissimulantibus prius, deinde probantibus Ecclesiæ illius pastoribus.

Ceterum, in professione fidei, quam Michael Paleologus obtulit Gregorio X. in Concilio Lugdunensi II. an. 1274., nulla alia affertur soluti conjugii causa, quam alterutrius conjugis mors;—et deinde sæculo XI. quando, absoluto Concilio Florentino, Latini de consuetudine solvendi

conjugium ob adulterium, Græcos Præsules interrogaverunt, his verbis: "Quare conjugium dirimitis, dicente Domino: 'Quos Deus conjunxit homo non separet?'" Græci non defenderunt morem apud eos introductum, asserendo Christum Dominum in casu adulterii separationem conjugii concessisse, non ad traditionem Patrum appellaverunt, sed solum conati sunt vitare omnem circa morem jamdiu apud eos inolitum inquisitionem.

Etenim in Historia Actuum illius Concilii a Binio edita, legitur, post alia inutiliter adhibita media ad obtinendum responsum a Græcis circa solutionem conjugiorum, "Papa Orientales omnes Præsules ad se convocavit: et cum aliquot ex iis profecti essent, talem habuit secreto cum illis sermonem. . . . . . . Propono vobis aliqua ut fratribus, ut membris, ut ecclesiarum doctoribus. Et primo dico, omnes conqueri de separatione matrimoniorum; idque correctione indiget. . . . . Præsules ita responderunt: æquissima et sapientissima sunt, quæ Beatitudo tua dixit; sed nos ad hæc dare perfectam responsionem non possumus; sunt enim et alii Præsules, et imperator noster: perfecte igitur respondebimus cum illorum consensu; privatim vero ex nobis respondemus ac dicimus: non esse hæc præsentis temporis, licet justa et necessaria sint; nam matrimonia dirimimus non sine justis causis."

Sæculo XVI. ulterius hac in re progressi sunt Novatores. Calvinus tyrannicam appellavit legem in Ecclesia Romana servatam, circa indissolubilitatem matrimonii inter christianos consummati, ob quam "viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere non liceat."—Lutherus vero docuit dissolvi posse matrimonium et novum iniri 1.—ex causa adulterii unius conjugum. 2.—Cum falsus christianus conjugem christianam deserit. 3.—Si conjux conjugem ad furtum vel aliud peccatum inducit. 4.—Si ob frequentes rixas molesta est ac gravis cohabitatio. 5.—Si unus conjux diu absit.—Et Martinus Bucerus, in cap. 19. Matt., contendit posse dissolvi matrimonium et aliud contrahi," "quoties uxor non se commodam viro, aut vir non se commodum uxori præbet."

Inter catholicos, Cajetanus et Catherinus a veritate quoad rem præsentem deflexerunt. Cajetanus enim cum expenderet verba Christi, quæ referuntur Matth. XIX. ausus est, quamvis timide, asserere licitum esse christiano, ex Christi lege, "dimittere uxorem ob for-

nicationem carnalem ipsius uxoris, et posse ducere aliam uxorem."—Catherinus vero in opusculo de matrimonio quæstione ultima et lib. 5. annot. contra Cajetanum, quæstionem de dissolutione conjugii propter adulterium in utramque partem cum ventilasset, conclusit "non ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi non licere in casu fornicationis aliud inire matrimonium;"—quod tamen, addidit, nonnisi accedente judicio et auctoritate Ecclesiæ esse faciendum, cum variis Ecclesiæ canonibus id sit prohibitum. Præterea soli viro, non uxori, secundum conjugium asseruit fuisse concessum.

Sed animadvertatur, Cajetanum obiisse antequam Concilium Tridentinum celebraretur; et Catherinum Tridentinæ Synodo interfuisse quidem, sed usque ad sessionem 24., in qua editi fuerunt canones de matrimonio, non supervixisse.

Hi autem sunt canones quos in ea sessione Concilium circa matrimonii christiani indissolubilitatem sancivit et promulgavit;

Can. 5. "Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit."

Can. 7. "Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit."

Hujus definitionis vim infringere Launojus incredibili audacia conatus est. Etenim in Tractatu quem scripsit de Regia in matrimonium potestate, contendit ex Christi verbis et juxta Ecclesiæ traditionem concessam esse dissolutionem vinculi conjugalis ob adulterium, cum potestate convolandi ad alias nuptias; et ait canon. 7. a Concilio Tridentino editum non esse dogmaticum, sed disciplinarem, id est, non ad doctrinam definiendam, eamque proponendam fidelibus, sed ad statuendam disciplinam, quæ, inquit, immutari poterat absque præjudicio contrariæ ad hoc usque tempus et traditionis et praxis.—Launojum hac in re secuti sunt J. A. Braun, Jo. Josephus Batz, aliique pauci.

Verum, nemo sincere catholicus umquam dicet, ut verbis utar P.

Perrone (de Mat. lib. 3. sect. 2. c. 4.), canonem 7. sessionis 24. Concilii Tridentini esse disciplinarem, seu habere pro objecto disciplinam mutationi obnoxiam.—Hæc assertio repugnat 1.—scopo quem Tridentina Synodus in edendis illis canonibus sibi proposuit, nimirum, "insigniores impiorum hominum *hæreses et errores* exterminandi," prout ipsa sacrosancta Synodus declaravit in *Proœmio* ante canones illius sess. 24. 2.—Repugnat apertissimis verbis ipsius canonis, quibus anathemate plectuntur ii *qui dixerint "Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonium non posse dissolvi."* An disciplinaris est canon qui spectat *doctrinam quam docuit et docet Ecclesia?* An disciplinam mutabilem spectat canon ille in quo agitur de eo quod Ecclesia *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam docet?*

Est igitur canon doctrinalis ille quem de indissolubilitate matrimonii Concilium Tridentinum edidit; et in eo definitur hoc dogma fidei ab omnibus fidelibus profitendum, nempe, *inerrantiam Ecclesiæ in docenda indissolubilitate vinculi conjugalis ob adulterium alterutrius conjugum.* Utrum vero illo ipso canone *definita* etiam sit, *ut dogma fidei, ipsa indissolubilitas vinculi in casu adulterii,* non omnino constat inter theologos. Alii cum Tournely affirmant; alii vero, inter quos Carrière, Perrone, Hurter, negant; et dicunt veritatem hanc de indissolubilitate conjugii in casu adulterii esse tantum *fidei proximam.*

In favorem mitioris hujus sententiæ, quæ tenet Concilium noluisse *definire,* ut veritatem *fide divina catholica* credendam, matrimonii Christiani etiam in casu adulterii indissolubilitatem, argumentum desumitur tum ex canonis forma, tum ex ejusdem canonis historia, quam ita refert Pallavicinus (Hist. Conc. Trid. l. 22. c. 4. nn. 27–30.):—

"Canon paratus fuerat cum anathemate, in eum qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi. Sed oratores veneti, die undecimo Augusti, cum ipsis posterior modulus ostensus est, solemniter exposuerunt conventui, veterem rempublicam semper conjunctissimam fuisse apostolicæ Sedi, et Conciliis Œcumenicis ejus auctoritate celebratis, pioque semper studio complexam ac veneratam decreta sanctionesque inde profecta, utpote divinam gloriam, animarum salutem, pacemque christianorum promoventia. Verum ab eo, quod septimo canone parabatur, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse

non modicam offensionem orientis Ecclesiæ, præsertim vero venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaleniæ, et aliis multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ catholicæ detrimento. Compertum esse patribus, tametsi græca Ecclesia a romana ex parte dissentiret, non tamen eo desperationis deventum esse, ut meliora sperari non possent; præsertim cum græci in subjectis reipublicæ locis degentes, quamvis ritu suo viverent, tamen præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientia, tum oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent ejusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque a Sede apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, in more positum apud græcos, ut uxorem adulteram deserant, et aliam ducant, veterrimam majorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti; non idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla Synodo Œcumenica, etiamsi Romanæ et catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset. Existimare igitur oratores sui esse muneris, quam efficacissime possent, postulare, ut voces illæ canonis adeo moderate lenirentur, ne græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate; quod dubium non erat confici posse, non solum nulla parta Ecclesiæ catholicæ indignitate, sed fortasse retenta plurimorum doctorum reverentia. Posse, quantum ipsi rebantur, et obtineri quod Synodus intendebat, et reipublicæ satisfieri, canone ejusmodi verbis conflato: 'Anathema sit, si quis dixerit, Sacrosanctam Romanam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, quæ mater et magistra aliarum est, errasse, vel errare cum docuit, et docet, propter adulterium alterius conjugum, matrimonium non posse dissolvi; nec utrumque, vel etiam innocentem conjugem, qui causam adulterio non dedit, debere novum matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit.' Propterea rogari patres ab oratoribus, ut vel ea, vel alia meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari serenissimæ reipublicæ, quæ semper sacrosanctæ Sedi apostolicæ obsecuta plene fuerat, et erat obsecutura."

"Hoc exemplar ab oratoribus propositum, videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum consiliariis, notam hæresis haud inusturum opinioni contrariæ; sed vim dumtaxat habiturum ad infligendum anathema temerariis in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ optimis nixa fundamen-

tis eam doctrinam, tametsi non tamquam fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab aliis considerabatur; nimirum, per eam sanctionem non damnari tamquam hæreticam sententiam oppositam, nisi posita Ecclesiæ auctoritate; et non quasi divinis litteris evidenter id repugnaret: adeoque parci . . . græcorum nomini, donec illis in comperto non esset, ab Ecclesia oppositum doceri; et donec ejus auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur."

"Postea cum super ea re sententiæ dicerentur, Andreas Cuesta, episcopus legionensis postulatum rejecit, affirmans, ab Ecclesia non usurpari eam damnandi formulam: *Si quis dixerit, Ecclesiam errasse.* Hanc veritatem esse certam ac firmatam in Synodo Milevitana cap. 13., in sexta Œcumenica, et in Florentina; adduxitque ex Patribus græcis Clementem Alexandrinum et Basilium: quod si quis ex aliis deerraverat, contrarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse, quod ille palam fecit eorum dictis expensis. Et sane creditum est, si Cuestæ locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conventu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem satis fuisset. Verum reipsa plura suffragia consenserant, ut oratoribus satisfieret."

Sed jam ad vindicandam doctrinam quam Ecclesia circa indissolubilitatem conjugii christiani consummati docet, accedamus.

THESIS IX.

Matrimonium christianorum consummatum dissolvi nunquam potest quoad vinculum.

I. Prob. thesis *ex Scripturis.* Et primo quidem ex ipsis locis, quæ prima fronte difficultatem exhibent, quæque ab adversariis nobis opponuntur.

In Evangelio Matth. v. 32. Christus ait: "Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat."—Jam vero, de qua dimissione uxoris loquitur Christus in verbis citatis? de illa per quam vinculum conjugale rumperetur, vel de alia per quam ma-

nente conjugali vinculo, separatio inter conjuges fieret quoad thorum et habitationem?— Si de hac dimissione agitur, nulla exceptio pro casu adulterii fit in textu citato, ad conjugium dissolvendum, et voce Salvatoris statutum manet matrimonium inter christianos dissolvi numquam posse quoad vinculum.

Porro, Christum Dominum de dimissione quoad thorum et habitationem, non de dimissione quoad solutionem vinculi conjugalis, loqui manifestum est.

Etenim in textu allato post verba: "Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari," sententia hæc additur: "Et qui dimissam duxerit, adulterat."—Hæc autem sententia vel *universaliter* accipitur vel *cum exceptione* pro casu '*fornicationis.*' Si *universaliter* accipitur; ergo ille etiam qui dimissam *ob fornicationem* ducit, adulterium committit: ergo illa quæ *ob fornicationem* dimissa fuit, non mansit a conjugali ligamine soluta; ergo dimissio, de qua sermo est in verbis Christi, non spectat matrimonii *vinculum*, sed *thorum et habitationem.*

Si vero sententia Salvatoris *cum exceptione* sumatur, et in ea non intelligatur inclusus casus dimissionis ob adulterium, quia, ut contendunt adversarii, dimissio uxoris ob adulterium solvit vinculum conjugale;—sensus ejusdem sententiæ erit, eum qui *fornicariam a viro dimissam* ducit, non mœchatur, sed validum et licitum cum illa contrahit matrimonium.—Hoc autem admisso, sequitur meliorem fore conditionem fornicariæ, quam innocentis et castæ uxoris; nam, juxta hanc interpretationem, fornicariæ dimissæ utpote a vinculo matrimonii solutæ, novum inire connubium concederetur, quod innocenti injuste dimissæ denegaretur: sequitur virum qui dimissam adulteram duceret non mœchari, mœchari tamen eum qui duceret pudicam uxorem dimissam.—Atqui Christum Dominum lege sua sanctissima hæc statuisse intelligi nequit.—Ergo concludendum est illam sententiam: "et qui dimissam duxit, mœchatur" non posse intelligi, excipiendo dimissionem ob adulterium.—Ergo dici debet sententiam illam esse universalem; et Christum Dominum in textu citato, de dimissione uxoris a viro *fornicationis causa* loquentem, eamque concedentem, non solutionem vinculi matrimonialis spectare; sed solum separationem a thoro et a cohabitatione.

Argumentum confirmatur ex toto verborum Christi contextu; cujus

hic est sensus: Omnis qui uxorem suam citra fornicationis causam dimittit, occasionem præbet, ut adultera fiat, si post suam dimissionem alteri nupserit, sicut illa, quæ ob causam fornicationis dimissa fuit, adultera est, quia omnis, qui dimissam duxerit, adulterium committit; et ideo vir uxorem suam absque fornicationis causa repellens, quodammodo inchoat adulterium, quod per initum cum dimissa novum matrimonium consummatur. Contra vero vir, qui uxorem suam ob causam fornicationis a se repudiat, separat quidem se ab illa tamquam ab infideli consorte; adulterii tamen ipsius causa et socius non efficitur, quippe justissimam causam dimittendi uxorem habet a thoro et cohabitatione; et ipsa adulterium perpetrando adulteram se fecit. At vir, qui ita dimissam ducit, adulterium ipsius continuat, cum non conjugalem societatem, sed adulterinum connubium cum eadem iniisse censendus sit, quia *omnis qui dimissam ducit, adulterat.*

Eodem pacto explicanda sunt verba Christi quæ leguntur apud Matth. XIX. 9.: "Dico autem vobis: Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur."—In his verbis exceptio "*nisi ob fornicationem,*" non respicit *sequens* incisum "*et aliam duxerit,*" quasi licitum esset aliam ducere si uxor commiserit adulterium, et ob hanc causam dimissa fuerit; sed respicit *præcedens* incisum, scilicet, "*quicumque dimiserit.*" Itaque horum Christi verborum sensus est: quicumque dimiserit uxorem quoad thorum et cohabitationem perpetuo,—quod non licet nisi ob fornicationem,—mœchatur, *mœchia aliena,* quia uxori dimissæ occasionem præbet mœchandi; adeo ut si ipsa cum alio viro deinde conjungatur, adulterium per hanc illicitam conjunctionem commissum, ei a quo sine juxta causa dimissa fuerat imputetur: ipse vero vir, si *aliam duxerit,* quacumque de causa, mœchatur, *mœchia propria,* quia cum non fuerit a vinculo conjugali solutus, etiamsi licite ob fornicationem uxorem dimiserit, alteri mulieri adhærendo, adulterii crimine se coinquinat.

Hanc genuinam esse verborum Christi significationem, ostendit contextus.—Etenim cum accessissent Pharisæi ad Jesum "tentantes eum et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa;" respondit eis Jesus declarando matrimonium ex naturali sua institutione esse indissolubile; ostendendo libellum repudii fuisse in lege

Mosaica permissum ob duritiam cordis Hebræorum; statuendo novam legem qua matrimonium ad primævam suam institutionem revocabat, eamque ita confirmabat ut jam dissolvi ab homine omnino non poterat. —Ergo, postquam hæc dixerit, non potuit his aliis verbis immediate sequentibus: "Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur," concedere pro casu fornicationis facultatem viro dimittendi uxorem et matrimonium dissolvendi et ad novas nuptias convolandi. Hac in hypothesi contrarium Christus se præbuisset illi firmitati quam Deus ab initio in conjugio instituerat, quamque ipse Christus esse instaurandam, immo majori firmitate stabiliendam in nova lege, declaraverat. — Permisit itaque Christus ob fornicationem uxorem dimittere, vinculo tamen conjugii permanente; ideoque permisit dimittere uxorem quoad thorum et cohabitationem.

Nec dicatur:—Si exceptio, *nisi ob fornicationem*, referri debet duntaxat ad primum membrum sententiæ,—*quicumque dimiserit*,—non etiam ad alterum,—*et aliam duxerit*,—et fornicatio est causa dimittendi quoad thorum, non vero quoad vinculum; ergo responsio Christi non congruit interrogationi Judæorum: interrogabant enim de dimissione quoad vinculum; quia agebatur de libello repudii, quo etiam vinculum solvebatur; et dimissio quoad thorum, si non erat eis prorsus incognita, saltem erat apud eos inusitata.

Objectioni respondetur negando sequelam; nam licet verba Christi, "*quicumque dimiserit* etc." de dimissione quoad thorum accipiantur, egregie tamen in contextu congruunt quæstioni propositæ.

Et sane Christus qui abrogare volebat repudium, et matrimonii indissolubilitatem firmare, opportune omnino quæstioni propositæ a Pharisæis respondebat dicendo in nullo casu dissolvi conjugium; et fornicationem, seu adulterium ex parte uxoris, præbere quidem marito jus eam dimittendi, sed ita ut per dimissionem vinculum conjugale non solvatur.

Neque instent adversarii nostri, et dicant: si exceptio quæ indicatur in verbis Christi respicit separationem a thoro, non dissolutionem vinculi matrimonii, admitti debet *solam* fornicationem esse causam dimittendi uxorem quoad thorum; — quod falsum est, aliæ enim causæ separationis dantur inter conjuges.

Respondemus, fornicationem uxoris esse causam dimittendi eam *absolute* et *perpetuo* quoad thorum et cohabitationem, ita ut emendata etiam et reconciliationem volens, adhuc jure repelli possit:—sola ergo fornicatio uxoris (sub qua veniunt graviora in eodem genere peccata per quæ fit divisio carnis) dat jus ad dimissionem *absolute* et antonomastice talem: et ideo Christus *hujus* dimissionis causam assignavit *solam* fornicationem.

Verum enimvero, quæ hucusque exposuimus et demonstravimus clarissime illustrantur ex aliis Evangelistis, Marco et Luca, et ex doctrina Pauli.

In Evangelio Marci, x. narratur, sicut legimus apud Matthæum evangelistam, Pharisæos ad Dominum accessisse interrogantes an liceret viro uxorem dimittere; narratur etiam Christum respondendo ostendisse matrimonium juxta primævam et naturalem suam institutionem indissolubile, solutionem vero conjugii permissam in lege propter duritiam Judæorum; et declarasse conjugium in nova lege fore indissolubile. Post hæc prosequitur Marcus x. 10–12.: "Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur."—Christus ergo discipulis suis iterum de indissolubilitate conjugii interrogantibus, universaliter, nullam excipiendo causam, declarat conjugium ob dimissionem uxoris non posse solvi.

Similiter apud Evangelistam Lucam, XVI. 18., legimus: "Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur:"—ubi universalis iterum est propositio Christi "*omnis qui dimittit*" et nullam admittit exceptionem.

Præterea, Paulus Apostolus in Epistola I. ad Cor. de matrimonii legibus tractans, ait VII. 39.: "Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino:"—quibus verbis *absolute* pronuntiat matrimonium christianorum consummatum nonnisi morte alterutrius conjugis solvi posse, quia illa lex "*Erunt duo in carne una*" et "*Quod Deus conjunxit homo non separet*" ligat conjuges ad invicem usque ad mortem.

Quocirca Apostolus in eodem capite, agens de casu justæ discessionis mulieris a viro, de illa nempe discessione quæ fit *ob adulterium* a viro

commissum—par enim est quoad hanc rem jus utriusque conjugis in alterutrum, ut docet ver. 4. ejusdem capitis—non concedit *novum* matrimonium ei qui discesserat; sed *ex parte Domini*, id est, repetens legem a Christo latam quæque refertur in Evangeliis, *præcipit* vel *reconciliationem* vel *continentiam.* "Iis qui matrimonio juncti sunt," inquit, "præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, *manere innuptam, aut viro* suo reconciliari."

Scripturæ igitur Novi Testamenti apertissime docent matrimonium inter Christianos contractum et consummatum numquam dissolvi posse, nisi per mortem.

II. *Ex doctrina Patrum* eamdem veritatem demonstramus. Cum autem impossibile sit omnia eorum testimonia hic referre, et ad trutinam revocare, quædam proferam ex insignioribus tum Græcis, tum Latinis selecta, quæ claritate sua summa circa omnimodam indissolubilitatem conjugii inter christianos consummati ostendant catholicam Traditionem.

Itaque Clemens Alexandrinus, lib. 2. Stromatum, c. 23. in fine ait: "Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec *a conjugio unquam permittit discedere,* legem aperte constituit: 'Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem.' *Adulterium* autem *existimat conjungi matrimonio, dum vivit alter ex separatis.* . . . 'Qui autem dimissam accipit uxorem, mœchatur,' inquit: 'Si quis' enim 'dimiserit uxorem, mœchatur ipsam,' hoc est cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit est ejus causa, sed etiam qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscipiat, revertetur ad virum."

S. Basilius, regula 73. scribit: "Non licet viro, uxore dimissa, aliam ducere; neque fas est repudiatam a marito, ab alio duci uxorem."

S. Ambrosius, l. 1. de Abraham, c. 7.: "Nulli licet scire mulierem," inquit, "præter uxorem. Ideoque conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas et cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori; noli quærere solutionem, quia *non licet* tibi, *uxore vivente*, uxorem ducere. Nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius quod putas peccato tuo auctoritatem lege [civili] quærendam. Tolerabilior est, si lateat culpa, quam si culpæ usurpetur auctoritas."

S. Joannes Chrysostomus, pluribus in locis evidens nobis offert testi-

monium: ex illis, brevitatis causa, solum referam quæ in sermone *de libello repudii* scripsit;—"Igitur quænam est lex illa, quam nobis Paulus posuit? 'Mulier,' inquit, 'alligata est legi:' oportet igitur ut minime separetur vivente viro, neque alium superinducat maritum, neque secundas nuptias adeat. Et vide quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit, cohabitet viro, quoad vixerit; sed, 'mulier alligata est legi, quanto tempore vixerit vir illius:' atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est. . . . . . Nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquant, catenam secum trahunt: ita et mulieres etiamsi viros relinquant, legem habent pro catena se persequentem et adulterii accusantem, accusantem etiam eum, qui duxerit, ac dicentem: adhuc superest maritus, et facinus hoc adulterium est. 'Mulier enim adstricta est legi, quoad vixerit maritus illius. Et omnis qui dimissam duxerit, mœchatur. Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? Tunc ubi a catena liberata fuerit, quando vir morietur. . . . . . . Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit."

Ad legem deinde Moysis accedens de libello repudii, subdit: "Quapropter et Christus Judæis rogantibus et dicentibus: 'Quomodo igitur Moyses permisit dare libellum repudii?' ostendens quod non contrariam suæ legem ferens ita scripserit, dixit: 'Moyses juxta duritiam cordis vestri loquutus est, ab initio autem non erat sic; sed qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit illos.' Si hoc bonum fuisset, inquit, non unum virum et unam mulierem fecisset, sed uno Adam condito duas fecisset mulieres; si quidem voluisset unam quidem ejici, alteram vero induci. Nunc vero ipso formationis modo legem induxit, quam ego nunc scribo. Et quænam est illa? Hæc utique. Eam sibi quisque uxorem servet semper, quam initio sortitus est. Hæc lex antiquior, quam illa de libello repudii, et tanto quanto Adam ipso Moyse. . . . . Nam et qui dimiserit absque causa stupri, et qui ejectam vivente viro duxerit, cum ejecta illa punientur. Propter quod oro, obsecro et supplico, ne viri mulieres ejiciant, neque mulieres viros relinquant, sed audiant Paulum dicentem: 'Mulier adstricta est legi, quanto tempore

vixerit vir ejus. Si autem dormierit vir, libera erit cui volet nubere, tantum in Domino.' Qualem enim habebunt veniam, qui Paulo etiam secundas permittente nuptias post mortem conjugis, et tantam concedente copiam, ante mortem audent talia facere?"

S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum (77.) non alia ratione excusat Fabiolam, quæ dimisso marito alteri, juxta facultatem a legibus Cæsarum factam nupserat, quam quod Evangelicæ legis vigorem ignoraverat. "Igitur et Fabiola," inquit, "quia persuaserat sibi, et putabat a se virum jure dimissum; nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis et antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus pœnitentiam ipsa confessa est?"

Et in Epistola 55. ad Amandum presbyterum, ait: "Reperi junctam epistolæ et commentariolo tuo brevem chartulam, in qua hæc indita ferebantur: Quærendum ab eo, id est a me, utrum mulier, relicto viró adultero et sodomita, et alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat. . . . . Responde itaque sorori, quæ a nobis super suo statu quærit, non nostram, sed Apostoli sententiam: 'An ignoratis fratres. . . . Ergo vivente viro, adultera erit, si duxerit alterum virum,' et in alio loco: 'Mulier alligata est' etc. Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba sequutus est, qui ait in Evangelio: 'Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; et qui dimissam acceperit, adulter est:' Animadverte quid dicat: 'qui dimissam accepit, adulter est.' Sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. . . . Ergo et ista soror, quæ, ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult corpus Christi accipere, et non adultera reputari, agat pœnitentiam: ita dumtaxat, ut

secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur."

S. Augustinus indissolubilitatem conjugii christiani ex professo tractat in libris "*de conjugiis adulterinis*," ubi Pollentio respondet qui de hac re interrogaverat et propensum se in hanc esse sententiam ostenderat, nimirum, posse conjugem innocentem, dimisso conjuge adultero, inire novas nuptias.

Itaque, libro 1. operis citati, c. 8. S. Augustinus ait: "Si par forma est in utroque [conjuge], uterque mœchatur, si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit. Parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus (quod sæpe commemorandum est), ubi cum dixisset, 'uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir;' adjecit atque ait, 'Similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.' "

Et continuo c. 9. præcipuam difficultatem a Pollentio contra hanc doctrinam propositam refert, eique respondet. Licet prolixam, subjiciam tamen hic S. Doctoris responsionem, quæ mirifice rem illustrat.— "Cur ergo, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, et non potius generaliter ait, 'Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur,' si et ille mœchus est, qui dimissa fornicante muliere alteram ducit? Credo, quia illud quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissa alteram ducere, quam si fornicantem quisque dimiserit, et tunc alteram duxerit? Non quia et hoc adulterium non est; sed quia minus est, ubi fornicante dimissa altera ducitur. Nam simili locutione usus etiam Apostolus Jacobus ait: 'Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi' (Jacobi IV.). Numquid ideo non peccatum est illi etiam qui nescit bonum facere, et ideo non facit? Utique peccatum est; sed hoc gravius, si etiam sciat et non faciat: nec illud ideo nullum, quia minus. Ut ergo eodem modo utrumque dicamus: sicut quicumque dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, et aliam duxerit, mœchatur; ita quicumque scit bonum facere, et non facit, peccat. Sed quemadmodum hic recte dici non potest, Ergo si nescit, non peccat; sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium: ita nec illic recte dici potest, Ergo si causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, non mœchatur; est enim

mœchatio eorum etiam, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; sed utique minor quam eorum qui non propter fornicationem dimittunt, et alteras ducunt. Potest quippe, sicut dictum est, 'Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi;' eodem modo et illud dici, dimittenti uxorem sine causa fornicationis, et aliam ducenti, mœchatio est illi. Quemadmodum igitur si dixerimus, quicumque mulierem a marito præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minime dubitamus: ita eum qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum qui propter causam fornicationis dimiserit, et alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, mœchos tamen esse cognoscimus. Neque enim quisquam ita est absurdus, ut mœchum neget esse qui duxerit eam quam maritus propter causam fornicationis abjecit, cum mœchum dicat eum qui duxerit eam quæ præter causam fornicationis abjecta est: sic ergo isti ambo sunt mœchi. Unde cum dicimus, Quicumque mulierem præter causam fornicationis a viro dimissam duxerit, mœchatur; de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus eum qui eam duxerit, quam propter causam fornicationis maritus dimiserit: ita cum ambo sint mœchi, et ille scilicet qui dimiserit uxorem suam præter causam fornicationis et aliam duxerit, et ille qui propter causam fornicationis uxore dimissa se alteri copulaverit; profecto quando de uno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quasi ex hoc alter mœchus negatus sit, quod alter expressus sit."

"Sed si hoc Evangelista Mathæus, quia expressa una specie alteram tacuit, facit ad intelligendum difficile; numquid non alii generaliter idipsum ita complexi sunt, ut de utroque posset intelligi? Nam secundum Marcum sic scriptum est: 'Quicumque dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur' (Marc. x. 11. 12.). Secundum Lucam sic: 'Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur' (Luc. xvi. 18.). Qui ergo nos sumus, ut dicamus, est qui mœchatur, uxore sua dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium

dicat omnem mœchari qui hoc facit? Proinde si quicumque hoc fecerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut uxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur; sine dubitatione ibi sunt ambo, et qui præter causam fornicationis, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, 'Quicumque dimiserit:' hoc est, 'Omnis qui dimittit.'"

III. *Concilia* doctrinam catholicam quam defendimus proclamant. Eliberitanum an. 313. can. 9. statuit: "Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, nisi, quem reliquerit, prius de sæculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit." Milev. II. seu potius Carthag. an. 418. c. 17. ait: "Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur." Arelatense I. an. 349. can. 10. inquit: "De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum possit, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant:" ideo autem Concilium dicit, exhortatione magis quam præcepto tales urgendos esse, quia tunc per leges civiles impune licebat eis alia inire conjugia. Idem, non tamen instar consilii fidelibus suadetur, sed velut lex certa injungitur in Conc. Herdfortiensi an. 672. in Anglia, can. 10.; in Foroiuliensi an. 791. c. 10.; Parisiensi VI. an. 829. l. 3. cap. 2.; Nannetensi an. 895. c. 12., et Bituricensi an. 1031. can. 16.

Quare juxta perpetuam Ecclesiæ traditionem Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, approbante Concilio Florentino, declaravit: "Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit."

IV. *Ratio* demum *a priori* omnimodæ indissolubilitatis matrimonii fidelium consummati est institutio Christi, qui per matrimonium contractum inter baptizatos et consummatum significari voluit sui per incarnationem cum Ecclesia conjunctionem, quæ omnino indissolubilis est; numquam enim Verbum dimittet humanitatem quam assumpsit.

Defensores solubilitatis matrimonii christiani, saltem in casu adulte-

rii, multa undique collecta congerunt ut ostendant hanc fuisse doctrinam in Ecclesia a Patribus traditam, et in praxim deductam.

Distinctim ea perpendere hic non vacat:—sufficit, ut difficultatibus respondeatur, tenere sequentia: 1.—Ex illis quæ objiciuntur, quædam sunt *spuria*, et quædam alia catholicæ veritati testimonium indubium reddunt, si rite perpendantur. 2.—Insuper et alia sunt quæ, nullatenus thesim a nobis propugnatam impugnant, cum nonnisi verba Salvatoris referant et inculcent, quin tamen dicant ea esse intelligenda ut adversarii nostri contendunt. 3.—Quidam Patres, quandoque loquentes de novo conjugio licite contracto post dimissionem conjugis ob adulterium, ad *leges civiles* tunc vigentes solum alludunt. 4.—Testimonia in quibus dicitur matrimonium adulterio *rumpi*, *dissociari* aut *divelli*, et in eo casu licere *divortium*, vel *repudium*, non impetere veritatem quam defendimus: eæ enim locutiones ambiguæ sunt, cum *necessario* dissolutionem vinculi conjugalis significare non debeant, et intelligi merito possint de separatione a thoro et cohabitatione, præsertim si de seperatione perpetua sermo sit. 5.—Si hæc omnia, ut fieri debet, seponantur, ex testimoniis omnibus ab adversariis coacervatis supererunt pauca tantum dubiæ significationis, et sequioris ætatis canones aliqui Conciliorum particularium, aut statuta quædam quæ ad summum probarent his vel illis in locis subinde hac de re abusus nonnullos irrepsisse.

§ III.

De indissolubilitate matrimonii rati, sed non consummati.

Matrimonium a christianis contractum et carnali copula consummatum omnimoda gaudet, ut demonstravimus, indissolubilitate. At non ita judicandum est de matrimonio quod ratum quidem est, sed nondum consummatum; hoc enim conjugium quandoque dissolvi potest, idque in thesi quam subjicimus, demonstrabitur.

THESIS X.

Matrimonium, quod ratum est tantum, solvitur quoad conjugale vinculum per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem, et etiam per dispensationem a Summo Romano Pontifice, gravi id exigente causa, concessam.

Prima pars thesis enuntiat veritatem *de fide* credendam, ut patet ex definitione lata in Concilio Tridentino, sessione 24. can. 6. his verbis: "Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit."

Idem vero multo ante Concilium Tridentinum tempore declaravit Alexander III. an. 1180. scribens Archiepiscopo Salernitano (Decr. l. 3. tit. 32. c. 2.): "Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: et alteri remanenti (si communitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in seculo remanere."

Et Innocentius III. anno 1210. in Epistola Decretali Archiepiscopo Lugdunensi missa (Decr. tit. cit. cap. 14.) statuit: "Nos nolentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, relicto inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consulimus observandum."

Quibus Decretis aperte dicitur doctrinam et praxim de solutione conjugii rati per solemnem professionem religiosam alterius conjugum ante sæculum XII. in Ecclesia extitisse; immo ab ipsa ætate apostolica, nam Pontifices quorum verba retulimus, absque ulla determinatione temporis, absolute dicunt se id quod tradunt a suis prædecessoribus accepisse.

Præterea hanc in Ecclesia viguisse fidem de solutione matrimonii rati exempla jam a primis christianæ religionis sæculis, quoad rem præsentem nobis exhibita, indubie ostendunt. Etenim apud ecclesiasticos scriptores citantur facta eorum qui prima nuptiarum nocte, quin matrimonio usi fuerint, conjugem deseruerunt, ut sese Deo penitus consecrarent; et hæc facta a Patribus summis laudibus commendantur. Commendari vero non potuissent si vinculum conjugale per professionem religiosam solutum non fuisset; nam in hac hypothesi *a*) derelictio conjugis fuisset læsio juris conjugis derelicti *b*) et Patres, si consummatum fuisset matrimonium, derelictionem illam non permisissent nisi comparte libere consentiente.

Hic autem notetur, matrimonium ratum et non consummatum, minime solvi per ingressum alterius conjugum in religionem, sed solum per ejus solemnem professionem, quæ in religione a Sancta Sede approbata fieri debet. Hinc matrimonium ratum non dirimitur per votum simplex castitatis, neque per susceptionem ordinis sacri, neque per vota emissa in Congregatione quæ non sit Religio a S. Sede approbata.—Conceditur a jure conjugibus bimestre ad deliberandum de ingressu religionis, quo tempore non tenentur reddere debitum.

Secunda pars thesis statuit conclusionem quæ licet controversa olim fuerit inter theologos, nunc tamen certa est. Quin etiam sæculo elapso Benedictus XIV. scribebat (Quæstion. canon. 479.): "Nullam de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi sit recepta, uti notorium est."

Potestas autem Summi Pontificis ad dispensandum, gravi occurrente causa, in matrimonio rato, probatur ex eo ipso quod hac potestate sæpe usi sint Romani Pontifices; nam si ita sæpe egerunt, indubium est eos ad id faciendum accepisse a Christo Domino potestatem. Nefas enim est dicere Summos Pontifices potestatem usurpasse quam eis Christus non concesserat, et sacramento matrimonii injuriam irrogasse, et adulteria sæpe permisisse.

Quod autem ab aliquot saltem sæculis in matrimoniis ratis Summi Pontifices dispensaverint, constat quoad Martinum V. et Eugenium IV. ex S. Antonino; quoad Paulum III. et Pium IV. ex auctoritate Navarri; quoad eorum successores ex auctoritate Benedicti XIV., necnon omnium recentiorum theologorum et canonistarum, inter quos P. Perrone, qui (de Mat. l. 3. sect. 2. c. 6. a. 4.) ait: "ego quoque certo novi plures ejusmodi dispensationes factas fuisse a Pontificibus Pio VII. Gregorio XVI., Pio IX., ut omittam non paucas resolutiones Congregationum Concilii et SS. Inquisitionis de petenda a Pontifice dispensatione illis in causis in quibus casus ita agitatus est."

Responsa quædam Alexandri III., et Innocentii III. fuerunt sane olim allata ab eis qui asserebant matrimonium ratum dispensatione Summi Pontificis non posse dissolvi; sed ea Decreta rem de qua agimus non attingunt. Ibi enim Pontifices commemorati non dicunt utrum

a Christo concessa eis fuerit potestas necne ad dissolvendum, gravi causa occurrente, matrimonium ratum ; sed solum statuunt—quod ultro fatemur— matrimonium ratum non posse *a conjugibus* dissolvi, si casus religiosæ professionis excipias ; nec admittendum esse id quod quibusdam aliquando visum fuerat, matrimonium nempe ratum per aliud subsequens matrimonium consummatum dirimi posse.

SCHOLION.—Circa *jus quo matrimonium ratum per solemnem religionis professionem dirimitur,* triplex adest sententia theologorum.

Prima quam, duce S. Thoma, Bellarminus et alii tenent, ex jure naturali repetit illam dissolutionem conjugii rati. Etenim jure naturæ licitum esse dicunt de statu minus perfecto ad perfectiorem transire, si id fieri possit absque alterius detrimento: jam vero statu conjugii perfectior est religionis status ; poterit ergo ab uno ad alium transitus fieri, quando id fiat sine ullius detrimento : porro nullum detrimentum pati qui derelictus est, matrimonio nondum consummato, patet ex eo quod nullum afferatur soboli damnum, quæ non existit ; nullum uxori, quæ virgo permanet, nec ullam hac de causa infamiam subit ; aliunde jus par est in utroque, proinde nulli fit hoc discessu injuria.—Præterea "ante carnalem copulam," ait S. Thomas (Suppl. q. 61. a. 2. in corp.), "est inter conjuges tantum vinculum spirituale ; sed post eam etiam est inter eos vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem ; ita per ingressum religionis, vinculum quod est ante carnalem copulam solvitur : quia religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis seculo moriens vivit Deo."

Verum, adversus hanc sententiam objicitur : 1.—Status religionis perfectior quoque est statu conjugali, etiam post matrimonii consummationem ; neque tamen dirimitur matrimonium consummatum per solemnem religionis professionem. Nec dicas discrimen esse, quod si solveretur conjugium post consummationem, fieret injuria vel proli, vel parti derelictæ : contingere quippe posset ut revera nulli fieret injuria, si nempe et nulla esset proles suscepta, et accederet mutuus consensus utriusque conjugis, volenti enim non fit injuria. 2.—Vinculum matrimonii non est incompatibile cum vinculo religionis, ut patet in eis qui post consummatum matrimonium religionem ingrediuntur et professionem solemnem emittunt, manente vinculo conjugali : ergo nulla ratio inveniri potest in professione solemni religiosa, sola et per se inspecta,

quæ ostendat matrimonium ratum per eam solvi. 3.— Si professio religiosa et matrimonium essent incompatibilia, potius professio subsequens irritari deberet ex matrimonio antecedenti, nam contractus prius initus impedit sequentem incompatibilem sibi. 4.—In voto simplici castitatis et a fortiori in nuncupatione votorum castitatis, paupertatis et obedientiæ in Congregatione, quæ non sit religio a S. Sede approbata, mors quædam spiritualis occurrit, nec tamen per eam dirimitur matrimonium ratum et non consummatum. 5.—Mors quæ in professione religiosa occurrit, vera non est, sed metaphorica: ideoque non apparet ratio cur dissolveret matrimonium, nisi id concessisset auctor ipse matrimonii et omnium rerum Dominus ac Dominator.

Secunda sententia, quam non pauci cum Suaresio amplexi sunt, tenet matrimonium ratum per solemnem religionis professionem dissolvi *ex jure ecclesiastico.*

At, contra eam arguitur 1. ex indissolubilitate quæ juxta *naturalem* matrimonii institutionem competit matrimonio non solum post sed etiam ante consummationem, 2. ex eo quod indissolubilitas competit matrimonio rato, ratione *sacramenti.* Utraque enim ratio indissolubilitatis requirit ut nonnisi *ex jure divino* professio religiosa solvat matrimonium ratum et nondum consummatum. 3. Præterea, si ex potestate Ecclesiæ constitutum fuit ut professio solemnis religionis hunc effectum produceret, nempe, solveret conjugium ratum et non consummatum, in ejusdem Ecclesiæ potestate erit hunc ipsum effectum professioni religiosæ amplius non attribuere. Id autem contrarium videtur definitioni latæ a Concilio Tridentino sess. 24. c. 6., cui subesse aliquando falsitas omnino repugnat. Canon 6., quem superius citavimus, ita se habet: "Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem religiosam alterius conjugum non dirimi; anathema sit."

Quapropter *tertia sententia*, quam Benedictus XIV. post Sanchez aliosque propugnavit, quam recentiores theologi communius sequuntur, quamque ut probabiliorem et nos seligimus, docet solutionem vinculi matrimonii rati ob professionem religiosam repetendam esse *ex jure divino.* —Nec objiciatur: solemnitas professionis religiosæ habetur *ex jure ecclesiastico;* ergo et ipsa vis quæ in solemni religionis professione habetur ad dirimendum matrimonium ratum, oritur *ex jure ecclesiastico.*—Negatur enim hæc illatio; potuit namque Christus statuere ut professio reli-

giosa dirimeret quidem matrimonium, sed nonnisi vestita conditionibus ab Ecclesia requisitis: ac proinde licet solemnitas professionis sit ab Ecclesia, prout ab ea determinatæ fuerunt conditiones quæ professionem religiosam solemnem redderent, non ideo sequitur Ecclesiam professioni religiosæ dedisse vim solvendi conjugium ratum. Dicimus itaque Christum, *ex jure divino*, statuisse matrimonium ratum dirimi, si fieret ab uno conjugum professio religiosa solemnis; et reliquisse Ecclesiæ determinandum quibus solemnitatibus fieri deberet hæc professio: Ecclesiam solemnis hujus professionis conditiones determinasse; et illis positis, ex ipsa Christi institutione, *ex jure divino*, dirimi matrimonium.

Concludamus ergo et teneamus matrimonium ratum esse quidem indissolubile tum ratione sui ab intrinseco, tum dispositione divina generali ab extrinseco; attamen dissolubile esse dispositione divina, nempe ab extrinseco, per solemnem alterius conjugis professionem religiosam, et per dispensationem pontificiam, extraordinaria ad id tributa a Deo auctoritate, qua utitur Pontifex, gravibus causis occurrentibus:—si hos casus excipias, in quibus non homo, sed Deus solvit conjugium, nec conjuges privata auctoritate, nec alius quispiam ulla de causa possunt matrimonium christianorum ratum solvere.

ARTICULUS NONUS

De potestate Ecclesiæ in matrimonium.

Contractum matrimonii a Christo Domino ad dignitatem sacramenti evectum subjici potestati Ecclesiæ, ex hucusque dictis plane deducitur. Hac potestate Ecclesia statuere potest non solum impedimenta *prohibentia*, seu quæ reddunt illicitam, quamvis valida sit, matrimonii celebrationem; id enim omnes facile concedunt:—sed etiam impedimenta matrimonium *dirimentia;* seu apponere contractui matrimonii conditiones quarum defectu contrahentes inhabiles fiant ad legitimum consensum præstandum, ideoque ad matrimonium *valide* contrahendum. Hac eadem potestate Ecclesia judicare debet de omnibus *causis,* quæ vel validitatem matrimonii et existentiam vinculi conjugalis spectant; vel matrimonium antecedunt et ad illud immediate ac per se disponunt, ut

sunt *sponsalia;* vel matrimonium subsequuntur et ab ejus existentia pendent, ut sunt *causæ de legitimitate prolis*, aut de *conjugum separatione.*

Quam indicavimus potestatem Ecclesiæ in matrimonium aperte Concilium Tridentinum sess. 24. declaravit cann. 3. 4. 12. his verbis:

Can. 3.—"Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit."

Can. 4.—"Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit."

Can. 12.—"Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit."

Hi canones damnabant Novatorum errorem, qui postquam matrimonio dignitatem sacramenti denegaverant, illud non esse jurisdictioni Ecclesiæ subjectum contendebant.

Eumdem errorem initio sæculi XVII. docuit Marcus Antonius de Dominis, insignis apostata, qui in lib. 5. de Republica Christiana c. 11., asseruit ad solos principes sæculares pertinere leges ferre quæ matrimonium dirimant, non vero ad Ecclesiam, nisi forte ex indulgentia principum.

Eodem sæculo Launojus, in opere de Regia in matrimonium potestate, sententiam illius apostatæ adoptavit atque defendit: canones vero 3. et 4. a Concilio Tridentino editos de matrimonii impedimentis esse *disciplinares* non *dogmaticos*, et in eis Ecclesiæ nomine designari sæculares principes, quorum dumtaxat auctoritate Ecclesia impedimenta matrimonium dirimentia statuere potest autumavit.

Hæc interpretatio canonum 3. 4. Tridentinæ Synodi statim ac in lucem prodiit ab omnibus vere catholicis refutata fuit:—et in omnibus Conciliis Provincialibus, quæ pene ubique locorum celebrata fuerunt, canones illi tamquam dogmatici habiti fuerunt, explosa etiam ut prorsus absurda significatione a Launojo attributa voci *Ecclesiæ*, quæ in eisdem canonibus adhibetur.

Profecto nomine *Ecclesiæ* significatam in eis fuisse ecclesiasticam

auctoritatem supremam ad regendos omnes Christifideles divinitus constitutam, nimirum Summum Romanum Pontificem vel cum eo Concilium Œcumenicum, nullus, nisi evidentissimæ veritati oculos claudat, negare unquam potest. Et re quidem vera ibi sermo est de Ecclesia *docente* quæ *errare* non potest:—de Ecclesia cujus potestas declarabatur ad statuenda impedimenta matrimonium dirimentia *contra Novatorum placita,* qui eam potestatem in Ecclesiæ Summis Pastoribus, seu in Romanis Pontificibus adesse negabant:—de Ecclesia, seu de ecclesiastica suprema auctoritate, quæ in ipso Tridentino Concilio *novum impedimentum* clandestinitatis constituit, quæque noluit principibus acquiescere postulantibus ut matrimonia filiorumfamilias contra parentum voluntatem inita irritaret.

Quod autem canones 3. et 4. sessionis 24. sint *dogmatici,* patet tum ex *forma* ipsa canonum, "*Si quis dixerit;*"—tum ex scopo Concilii, quod per illos voluit "*hæreses* et *errores* exterminare;"—tum ex distinctione facta in sessione 24. de qua agimus, inter *doctrinam de sacramento matrimonii,* cui adnectuntur *canones* citati, et *Decretum de reformatione matrimonii;* in quo Decreto impedimentum clandestinitatis statuitur, et quædam alia impedimenta coarctantur;—tum demum ex catholicorum theologorum consensu, et ex Conciliis particularibus post Tridentini ætatem celebratis, ut supra monuimus.

Perversam Novatorum doctrinam circa impedimenta dirimentia matrimonii et causas matrimoniales, ab apostata de Dominis et a Launojo ejus sectatore defensam, libentissime adoptaverunt atque in praxim quoad poterant deducere sæculo elapso curaverunt jurisperiti, canonistæ et theologi non pauci, præsertim in Austria in Galliis et in Italia.

Eam pariter Synodus Pistoriensis, sub Scipione de Riccis, anno 1786. congregata, palam profiteri non est verita, statuens ad supremam potestatem civilem *originarie* spectare jus constituendi impedimenta matrimonii dirimentia, et jus illud cum jure dispensandi esse connexum. Hinc eadem Synodus Leopoldum Magnum Etruriæ ducem rogavit, ut e numero impedimentorum tolleret cognationem spiritualem ac publicam honestatem, atque ad secundum gradum restringeret cognationem et affinitatem ex quacumque conjunctione provenientem. Præterea declaravit sponsalia legum civilium præscripto omnino esse subjecta.

Verum, Pius VI. tam perniciosos errores gladio apostolicæ auctoritatis

confodit in celeberrima Constitutione "Auctorem Fidei" data 28. Aug. 1794. In ea tres sequentes Synodi propositiones, quæ ad rem nostram pertinent, damnavit:

58. "Propositio, quæ statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ: falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans."

59. "Doctrina Synodi asserens, 'ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia;' quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, 'supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;' quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: canonum 3. 4. 9. 12. sessionis 24. Concilii Tridentini eversiva, hæretica."

60. "Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut 'e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem atque illud, quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniana;' tum ut 'restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;' quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis: libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta."

Summi Pastoris vocem utinam omnes fideliter audivissent! Sed non defuerunt rebelles, qui sæculo elapso et nostra etiam ætate sive doctri-

na, sive praxi Ecclesiæ auctoritatem in matrimonium vehementer impugnarent.

Eorum errores Pius IX. iterum damnavit in *Syllabo*, propositionibus quas subjungimus:

68. "Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt."

69. "Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat."

70. "Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt."

71. "Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere."

His igitur prænotatis, ad vindicationem catholicæ veritatis sit

THESIS XI.

Ecclesia ex potestate qua pollet in matrimonium, jus habet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et judicandi omnes causas matrimoniales quæ conjugii vinculum respiciunt. Hæc autem potestas Ecclesiæ competit jure proprio; immo tam propria ipsi est, ut ei soli competat, nullatenus vero supremæ auctoritati civili.

Prima pars thesis, quæ affirmat in Ecclesia potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, *de fide* est, ut constat ex can. 4. sess. 24. Concilii Tridentini, superius commemorato, et sic probatur:

1. Ecclesia potestatem habet ea omnia statuendi quæ pertinent ad rectam sacramentorum administrationem.—Sed statuere impedimenta matrimonium dirimentia pertinet ad rectam sacramenti administrationem.—Ergo Ecclesia hæc impedimenta statuendi potestatem habet.

Major ex Tractatibus *de Ecclesia* et *de Sacramentis in Genere* patet.

Minor constat: nam matrimonium Christianorum est sacramentum,

ideoque cum determinantur conditiones requisitæ ut valide matrimonium contrahi possit, determinantur conditiones requisitæ ad conficiendum et suscipiendum sacramentum juxta Christi Domini institutionem; quod sane pertinet ad rectam sacramenti administrationem.

Nec dicatur, Ecclesiæ sacramentorum administrationem esse commissam, sed ita ut non possit eorumdem sacramentorum *mutare substantiam:* mutaret autem sacramenti substantiam si impedimenta matrimonium dirimentia auctoritate sua statueret; nam efficeret, ut consensus qui ante constitutionem impedimenti validus erat, post inductum impedimentum invalidus fieret ad matrimonium constituendum.

Respondetur, substantiam sacramenti nullo pacto mutari per impedimenta quæ statuuntur ab Ecclesia; manent enim, post inductum impedimentum, materia et forma sacramenti matrimonii ut antea erant immutatæ, prout nempe consistunt in actibus contrahentium quibus sibi mutuo jus in corpora ad usum conjugalem tradunt et acceptant.

Sed hi actus, ut patet, supponunt personas habiles ad contrahendum: quocirca si hæ personæ non adsint, contractus matrimonialis sane non mutatur, nec mutantur materia et forma sacramenti quod in contractu consistit, attamen contractus celebrari nequit, adeoque sacramentum matrimonii confici nequit.—Porro impedimentum dirimens determinat conditiones, quarum defectu personæ habiles non sunt ad contrahendum, vel—quod in idem incidit—conditiones quæ cum verificantur reddunt personas inhabiles ad contrahendum:—non mutat ergo contractum matrimonii et sacramentum, sed quando adest, impedit quominus contractus perfici valeat, et sacramentum confici, ministrari et suscipi queat; facit enim ut in illis conditionibus, quando adest impedimentum, non adsint personæ habiles ad contrahendum.

2. Ecclesia illa potestate gaudet qua frequentissime in re gravissima usa est saltem, ut constat, a sæculo IV. Sed potestate statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, Ecclesia certo usa est saltem a sæculo IV.—Ergo.

Major est apertissima ex doctrina de infallibilitate, et sanctitate Ecclesiæ.

Minor ex plurimis documentis ecclesiasticis demonstratur. Quædam subjiciam ad exemplum.

Concilium Neocæsariense, an. 314. can. 2. statuit: "Femina, si duobus

fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit quod ubi convaluerit solvet matrimonium, habebit pœnitentiam."

S. Basilius, eodem sæculo IV. Ep. 199. ad Amphilochium, can. 22. de impedimento raptus loquens, ait: "Qui ex raptu mulieres habent, siquidem aliis jam desponsas abripuerint, ante admittendi non sunt, quam ab eis ablatæ sint et eorum quibus ab initio desponsæ erant potestati redditæ, utrum eas velint accipere, an desistere. Si quis autem vacantem acceperit, auferre quidem oportet, suisque restituere, et ipsorum voluntati permittere, sive sint parentes, sive fratres, sive quivis alii puellæ moderatores."

Et can. 23. S. Basilius affinitatis impedimentum attingens, irritum declarat esse matrimonium ejus qui viduam fratris sui ducit uxorem, nec non illorum qui duas sorores uxores ducunt, vel illarum quæ duobus fratribus nubunt; citatque epistolam, quam ipse S. Doctor ea de re scripserat ad Diodorum, cujus (Epist. 169.) hæc sunt verba: "Primum itaque, quod in ejusmodi rebus maximum est, morem nostrum objicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditæ sint regulæ. Mos autem ille est ejusmodi, ut si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum conjunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in Ecclesiæ cœtum admittantur, priusquam a se invicem dirimantur."

Concilium Carthaginense IV. sub finem ejusdem sæculi celebratum, can. 104., "Viduas quæ religiositatem mutaverunt," notari ait, "adulterii crimine, si devotionem, quam Deo sponte, non coactæ obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, atque ad secundas nuptias transitum fecerint."

S. Leo Magnus, sæculo V., Ep. 12. al. 84. ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, cap. 4.: "Nec subdiaconis quidem," inquit, "connubium carnale conceditur: ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares."

Et Epist. 67. alias 2. ad Rusticum Narbonensem episcopum, cap. 4. de conditionis impedimento scribit: "Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æquales." Et cap. 6.: "Ancillam a thoro abjicere, et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis."

S. Gregorius Magnus, sæculo VI., libri 6. Epist. 1. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, in causa impedimenti dirimentis sententiam pronuntiat, et mulierem quandam, quam maritus dimiserat ob conditionem servitutis tempore conjugii (ut objiciebat) dissimulatam, marito restitui, ab eoque conjugali affectu tractari decernit, quia probata fuerat illius libertas, nullaque servilis in ea macula inventa.

Idem S. Gregorius, Ep. 119. lib. 7. Virgilium et Syagrium Gallicanos episcopos arguit, quod Syagriæ, quæ vitam religiosam professa fuerat, posteaque marito violenter sociata, defensionem ut bonos Pastores decebat, non suscepissent. "Quid enim dicturi," inquit, "quamve rationem futuro estis judici reddituri, quos stupri solutio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam religiosi habitus excitavit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem sacerdotalis consideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpæ sollicite et officii vestri consideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne forte per tempus transisset in voluntatem necessitas, lingua illi vestra medela sit, atque admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori nostro cor pœnitens exhibeat, et castitatis damna, quam ei corpore servare non licuit, fletu resarciat." Duplex impedimentum dirimens in ea conjunctione intercessisse S. Gregorius significat, violentiæ scilicet atque voti.

Insuper Ep. 31. lib. 12. ad Augustinum Episcopum et Anglorum Apostolum, plura circa matrimonii impedimenta statuit, atque declarat, præsertim in responsione ad sextam et septimam interrogationem. "Quædam," inquit, "terrena lex in romana republica permittit, ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omni modo debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave est facinus. . . . . . Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quæ per conjunctionem priorem caro fratris facta est."

Sæculo VII. Ecclesia Græca in Concilio Trullano, can. 53. spiritualis affinitatis impedimentum adstruit. "Quoniam," inquit, "spiri-

tualis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est; in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto et salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, statuimus ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si qui autem post præsentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde et fornicatorum pœnis subjiciantur." Canone 54. irrita matrimonia declarat cum patrui filia, sive consobrina, vel patris et filii cum matre et filia, vel cum duabus sororibus, vel matris et filiæ cum duobus fratribus; vel duorum fratrum cum duabus sororibus.

S. Zacharias, sæculo VIII. impedimenta a præcedentibus Pontificum et Synodorum Decretis constituta confirmat Epist. 7. ad Pipinum Majorem Domus, et ad Episcopos, Abbates, Proceresque Francorum, capp. 18. 20. 21. 22. 26. 27.

Idem S. Zacharias, anno 743. in Concilio Romano I. c. 15. declarat archiepiscopos et reges Germaniæ epistolas misisse "petentes apostolica præcepta qualiter liceat eis conjugia copulare et quomodo debeant observare."

Demum sæculo IX. S. Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, cap. 2. spiritualis affinitatis impedimentum confirmat, et c. 39. consanguinitatis et affinitatis impedimenta ex sacris canonibus et præsertim ex S. Zachariæ Decretis judicanda esse præscribit: "Sacri vero canones, et præcipue Zachariæ Summi Præsulis Decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus."

Et hæc ad plenissimam demonstrationem potestatis ab Ecclesia exercitæ in statuendis impedimentis matrimonium dirimentibus abunde sufficiant.

Secunda pars thesis, *de fide* tenenda, declarat causas omnes matrimoniales quæ vinculum conjugale respiciunt tribunali Ecclesiæ subjectas esse et ab ejusdem Ecclesiæ auctoritate esse definiendas.

Prob. 1. Ex prima parte thesis, mox vindicata: etenim ille habet jus cognoscendi causas vinculum matrimonii spectantes, easque decidendi, ad quem pertinet statuere conditiones, quibus servatis validus est contractus matrimonialis.—Sed ex modo dictis ad Ecclesiam pertinet has statuere conditiones.—Ergo.

2. Ecclesia jus habet decidendi controversias quæ sacramenta spe-

ctant eorumque validam administrationem.—Sed causæ matrimoniales quæ respiciunt vinculum conjugale, sacramentum utique spectant, ejusque administrationem, nam vinculum conjugale inter christianos conjuges exurgere nequit nisi per validum contractum matrimonialem qui semper inter illos sacramentum est.—Ergo.

Hinc Pius VI. Epistola data 16. Sept. 1788. Episcopum Motulensem, qui tamquam delegatus regius pronuntiaverat in causa matrimoniali, gravissimis his verbis monet: "Accipe nunc, ven. frater, paternam illius vocem qui, ut probe nosti, cum miseratione divina in Cathedra Petri sedeat, jus habet suprema Christi ipsius auctoritate sibi collatum docendi et confirmandi; ita enim comparati animo sumus, ut et amanter tecum agere, teque benigne commonefacere velimus, quo errorem inspicias *in quem es misere prolapsus*, atque illum quamprimum corrigere in animum inducas. Tua itaque isthæc sententia hoc nomine indigna prorsus est, utpote quæ multis de causis irrita est atque inanis, et actum præ se fert scandali plenum, ecclesiasticæ jurisdictioni injuriosum, et a nemine forsan antehac tentatum unquam aut excogitatum."

Et continuo prosequitur: "Dogma etenim fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit *unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum*, quemadmodum adversus hæreticos et impios homines sæculi insanientes sacrum Concilium Tridentinum sub anathematis pœna definivit. Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui, ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium ferre; quod tam planum est atque perspicuum, ut sancta et universalis Synodus, cupiens *occurrere temeritati* eorum qui *scripto et verbo* asseruerunt, ut etiam nunc multi asserunt, *ab Ecclesiæ catholicæ sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena*, peculiarem alium canonem addendum sibi esse duxit, quo universum declararet atque sanciret ut, *si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.*"

Deinde commemorat quorumdam effugium qui "verba hujus canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt; ut, quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint: ad *solos judices*

ecclesiasticos, aut: *omnes causas matrimoniales,* potestatem reliquerint judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales quæ sunt *meri facti.*" Sed protinus addit: "scimus etiam hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita *generalia* sunt, *omnes ut causas* comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive *ratio* legis adeo late patet, ut *nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant:* si enim hæ causæ non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiæ judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie *unum* ex *septem* legis evangelicæ *sacramentis,* sicut hæc sacramenti ratio communis est *omnibus* causis matrimonialibus, ita *omnes* hæ causæ spectare *unice* debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis quos minime favere Ecclesiæ juribus satis superque eorum scripta demonstrant."

3. Jus judicandi causas omnes quæ matrimoniale vinculum spectant pertinere ad Ecclesiam constat ex ipso exercitio perpetuo juris. Quin loquar de Apostolo Paulo qui de quæstionibus ad matrimoniale vinculum pertinentibus tractat in Epist. I. ad Cor. VII.; jam a primis Ecclesiæ sæculis innumera documenta occurrunt quæ ad ejus tribunal matrimoniales causas fuisse delatas aperte demonstrant. Testimonia pro prima parte thesis citata valent etiam pro re præsenti;—quibus unum tantum addam, illud nempe Sancti Ignatii Martyris, qui obiit sæc. II., an. 107. Scribens enim ad S. Polycarpum, num. 5.: "Decet vero," inquit, "ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Dominum sint et non secundum cupiditatem."

Tertia pars thesis statuit potestatem quam hucusque vindicavimus competere Ecclesiæ *jure proprio,* ac *divinitus ei collato,* non ex concessione sive tacita sive expressa Principum:—et *de fide* tenenda est, prout declaravit Pius VI. in damnatione propositionis 59. Synodi Pistoriensis superius a nobis citata, p. 305. et significatum fuit in definitionibus Conc. Trid. sess. 24.

Probatur autem hæc pars thesis ex dictis. Etenim Ecclesia, ut demonstravimus, potestate de qua agimus gaudet quia jus habet statuendi ea quæ pertinent ad rectam sacramentorum dispensationem: jam vero Ecclesia hoc jus accepit non a potestate civili, sed a Christo Domino.—Ergo.

Præterea Ecclesia potestate statuendi conditiones ad valide et licite contrahendum conjugium, et avocandi ad se causas omnes matrimoniales, semper usa est tamquam sibi ex *jure divino* propria.—Ergo.

Antecedens constat, nam ea potestate usa est Ecclesia sub principibus infidelibus et hæreticis; quandoque contra Statuta et Constitutiones imperiales; declarando suum jus ad statuendas conditiones quibus conjugia christianorum legitime celebrentur; declarando nullius vigoris decisiones in causis quæ spectabant vinculum conjugale latas ex auctoritate potestatis civilis.—Demum Ecclesia potestate sua in matrimonium ita usa est, ut ipsi principes et imperatores agnoverint independentem ipsius Ecclesiæ auctoritatem, usquedum aperta rebellione eam non impugnaverint.

Quod autem a Concilio Tridentino definitum fuerit hanc potestatem Ecclesiæ *jure proprio* non ex concessione principum competere, patet; nam, ut arguit Pius Papa VI. in Epistola ad Archiepiscopum electorem Trevirensem, data 2. Feb. 1782. "notum est quod can. 3. sess. 24. definitum est, posse Ecclesiam constituere ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum fuisse potuerit aut esse possit, necesse est ut ab Ecclesiæ origine et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti ætate verum futurum sit, Ecclesiam ea quæ a Concilio asseritur potestate pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiæ temporibus, sub principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse illis in locis in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione; et si ob aliquam, ut vocant, rationem status, principes, revocata ea quæ obtenditur indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset ut verum esse desineret quod a Tridentino definitum est; idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus Œcumenicæ Synodi oraculo declaravit."

Quarta pars thesis statuitur contra nonnullos theologos et canonistas, ut Petrum Sotum, Thomam Sanchez, Drouinium, Tournely, Collet, aliosque qui utrique potestati, ecclesiasticæ nempe et politicæ, auctoritatem tribuerunt statuendi impedimenta christianorum conjugium dirimentia.

Probamus itaque adversus eos nulla sæculares principes, aut quamlibet supremam laicam potestatem, auctoritate pollere in matrimonium relate ad ea quæ vinculum conjugale attingunt.

1. Id primo evincimus ex *declarationibus Pontificiis et ex praxi Ecclesiæ.*—Audivimus Pium VI. hac de re scribentem ad episcopum Motulensem.

Similiter Benedictus XIV., in litteris datis 9. Feb. 1749. Henrico Cardinali Duci Eboracensi, declaravit legem a laico principe conditam nullam vim habere in matrimoniis. Idem Pontifex, in opere "de Synodo," l. 8. cap. 12. n. 6., citans legem Leonis Imperatoris, qua matrimonia sine benedictione sacerdotis contracta irritabantur, illico adnotavit: "Verum hæc Constitutio cum a principe laico prodierit, non potuit matrimonii validitatem, quoad forum conscientiæ, infringere."

Ipsa Tridentina Synodus in sessione 24. Decreto "*Tametsi*" solemniter hanc veritatem promulgavit cum dixit "clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.*"

Et ante Concilii Tridentini ætatem Ecclesia tum verbis, tum factis nullum jus in ea quæ matrimonii vinculum spectant sæculares potestates habere sæpe ostendit, cum leges ab ipsis hac de re latas correxit aut penitus abrogavit, ex. gr., circa matrimonium inter vitricum et uxorem privigni, aut inter novercam et maritum privignæ, circa matrimonium viduæ ante elapsum annum a morte mariti, circa matrimonium inter raptorem et raptam, etc.

2. *Ex consectariis doctrinæ oppositæ.* Si enim potestati civili tribuitur auctoritas in matrimonium relate ad ea quæ spectant vinculum, sequitur idem, nempe vinculum, regi posse legibus contrariis, ideoque posse simul, secundum idem, esse validum et non esse; sequitur posse potestatem laicam contradicere statutis ab Ecclesia circa impedimenta matrimonium dirimentia, quæ ex *jure divino* Ecclesia statuit et in quibus constituendis, ut definitum est can. 4. sess. Concil. Trid., errare non potuit.—Quæ profecto admitti nequeunt.

3. *Ex matrimonio ipso.* Nam matrimonium in lege nova est sacramentum: immo sacramenti ratio ita matrimonio inest in lege nova, ut inter christianos matrimonium verum, ex quo vinculum conjugale exurgat, non possit contrahi, quod non sit sacramentum.

Sed nulla prorsus auctoritas inest in principe laico, quicumque sit, circa sacramenta, et rectam eorum administrationem, ideoque nulla in eo inest auctoritas ad determinandas conditiones quibus personæ habiles sint ad matrimonium celebrandum necne, vel ad judicandas causas quæ validam sacramenti matrimonii administrationem spectant. —Ergo.

Nec dicant adversarii, matrimonium esse contractum et sacramentum ; ac proinde auctoritatem laicam, etsi potestatem non habeat circa sacramentum, posse nihilominus matrimonium attingere in iis quæ validitatem suam et vinculum spectant, cum possit circa conditiones requisitas ad valide contrahendum leges ferre.

Effugium istud arripi nequit ab adversariis, posita demonstratione superius facta de identitate reali inter contractum a christianis celebratum et sacramentum :— ex ea enim sequitur, validitatem sacramenti necessario iis attingi quæ validitatem contractus matrimonialis attingunt; ideoque illam solam potestatem jus habere ad statuendas conditiones spectantes validitatem contractus matrimonialis inter christianos celebrandi, quæ jus habeat ad statuendas conditiones ut a legitimis ministris recte et juxta Christi institutionem sacramentum matrimonii administretur.

Sed ulterius progredientes, ostendamus nullatenus prodesse adversariis matrimonium sub ratione contractus tantum considerare, nam, etiamsi a ratione sacramenti præscindamus—ab ea tamen præscindi non potest cum agitur de christianorum matrimonio—in contractum ipsum matrimonii, quod non sit sacramentum, nullam omnino *de se* principes sæculares, seu supremi societatis politicæ rectores, auctoritatem habent.

Id autem evidenter apparebit si discrimen maximum consideretur quod intercedit inter contractum matrimonii et alios contractus potestati civili subjectos.— Si *origo* spectetur, contractum matrimonialem ab ipso Deo auctore naturæ ante omnem politicam societatem institutum fuisse patebit ; — si *natura* hujus contractus inspiciatur, constabit eum esse ab aliis contractibus humanis omnino diversum ; cum pro objecto habeat ipsam personam humanam a natura veluti in duos sexus divisam quæ per matrimonium integratur; cum consensum requirat, qui a nulla humana auctoritate suppleri potest ; cum a volun-

tate contrahentium *in fieri* pendeat, ita ut ii qui contraxerant, numquam auctoritate propria illum dissolvere valeant:—si *relationes* hujus contractus *cum societate civili* animadvertantur, facile apparebit eum esse fundamentum societatis domesticæ, ideoque natura sua antecedere societatem civilem:—si demum *relationes* ejusdem contractus *cum Deo* scrutentur, manifestum erit, eum esse rem omnino sacram, quæ speciali quadam ratione Deo hominem conjungit; per matrimonium enim homo fit minister Dei in productionem alterius hominis, seu illius qui ad imaginem Dei creatus, ordinatur ad Deum adorandum et perpetuo in adeptione finis ultimi glorificandum.

Hinc matrimonium est utique *contractus naturalis*, et *contractus spiritualis*, ut eum appellat Angelicus; sed procul dubio non est contractus mere civilis.

Quod Pius Papa VI. in Epistola ad Carolum episcopum Agriensem data 11. Julii 1789. expressis verbis animadvertit: "Fallitur," inquit, "quisquis existimat . . . . . . matrimonium, dummodo absit ab eo ratio sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem, atque adeo civili potestate solubilem. Quod secus est; nam . . . . matrimonium non est contractus mere civilis, sed est contractus naturalis divino jure ante omnem civilem societatem institutus et firmatus; qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur: in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat."

Objicies:—Deus matrimonii naturam ac proprietates determinavit, at quædam etiam quæ vinculum conjugale attingere possunt indeterminata reliquit, idcirco hæc ab auctoritate publica sunt determinanda.

Respondemus: — Utique ex voluntate Dei hæc ab auctoritate publica sunt determinanda; sed a quanam auctoritate? Non ab auctoritate politica, propter rationes nuper expositas; verum ab auctoritate religiosa, quam Deus ipse ab initio societatis humanæ constituit, quæque sacrum ac religiosum contractum matrimonii nomine Dei moderare unice potest, ita ut omnis legislatio vinculum matrimoniale attingens, a Deo ipso sive immediate, sive mediate per sacram auctoritatem, proficiscatur.

Instabis:—ergone nulla prorsus auctoritas potestati politicæ relicta erit circa connubia, quæ cum bono ac prosperitate civitatis terrenæ

intime connexa sunt; a quibus pax et concordia inter cives maxime pendet?

Respondemus:—non hoc contendimus, sed ut quod Cæsaris est, Cæsari tribuatur, et quod est Dei Deo. Multa sunt *extrinseca* connubio quæ ei accidunt, et cum eo connectuntur, nimirum dos, hæreditates, jura successionis, legitimitas aut illegitimitas prolis *in foro civili*, admissio aut exclusio a publicis officiis et alia hujusmodi. Circa hæc legislator civilis statuat, debita cum subordinatione a supremo spirituali regimine; de his decernat ut bono et prosperitati societatis civilis consulatur; sed ea quæ vinculum conjugale spectant attingere non præsumat.

Hæc, non alia, doctrina fuit quam tradiderunt ab initio Patres, quamque Concilium Lateranense I. an. 1123. can. 5. sancivit, dicens: "Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas et divinæ et sæculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes, et eos qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed *maledictos* appellant; leges vero sæculi, *infames* tales eos vocant et ab *hæreditate* repellunt."

Eamdem doctrinam S. Thomas aperte proposuit et illustravit.

In Quodlibeto V. a. 15. Angelicus Doctor ait: "Ecclesia in his quæ ad matrimonium pertinent tripliciter se habet. Uno quidem modo per modum judicantis. . . . Alio modo se habet per modum prohibentis et punientis, et hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit jam contractum. . . . . . Tertio modo se habet per modum statuentis, quod fit *solum auctoritate Summi Pontificis*, et secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ ad contrahendum, ita quod si etiam contrahunt, matrimonium dirimitur."

Et in 4. sent. dist. 42. q. 2. a. 2. loquens de impedimento adoptionis ait: "Lex divina illas præcipue personas a matrimonio excludit quas necesse erat cohabitare; ne, ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus versatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; *et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata. Et inde habetur quod legalis cognatio matrimonium impediat.*"—In responsione autem ad 4. addit: "Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit."

Ex his planus fit sensus verborum quæ in eodem libro 4. dist. 34. q. 1. art. 1. ita leguntur: "Matrimonium in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima." S. Doctor, prout spectat legem civilem, loquitur ibi de illegitimitate *in facie societatis civilis*, non de illegitimitate ad ipsum vinculum conjugale contrahendum; lex enim civilis, ut declaravit postea, dist. 42. q. 2. a. 2. mox citato, non posset de se illam illegitimitatem constituere. Et eodem sensu in Summa Contra Gentes, lib. 4. c. 78., dixit: "Generatio humana . . . . *in quantum ordinatur ad bonum politicum* subjacet ordinationi legis civilis."

NOTA. — Impedimenta matrimonium impedientia, seu prohibentia quatuor sunt hoc versiculo comprehensa,

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Impedimenta vero dirimentia quindecim numerantur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Circa impedimenta tum impedientia, tum dirimentia, declarationes quæras in libris Theologiæ Moralis.

ARTICULUS DECIMUS

De præstantia cœlibatus.

Magnum equidem sacramentum est matrimonium, quod ab initio Deus ut naturæ auctor instituit, et Christus Dominus in nova lege fecit signum collativum gratiæ sanctificantis; sed statu conjugali præstantior est cœlibatus qui suscipitur virtutis amore et ad spiritualia bona unice consectanda.

Hanc veritatem, de fide tenendam, Concilium Tridentinum definivit contra Novatores, sessione 24. can. 10., his verbis: "Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus,

et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu quam jungi matrimonio; anathema sit."

Subjicitur ergo

THESIS XII.

Statu matrimoniali præstantior est virginitatis status, aut cœlibatus.

Prob. 1. *Ex Scripturis.*— Etenim Christus Dominus, ut legimus apud Matt. XIX. 12., postquam dixerat esse eunuchos qui ex utero matris ita nati sunt, aliosque qui facti sunt tales ab hominibus, addidit: "et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat." Quibus verbis manifeste significavit, cœlibatum amore virtutis susceptum esse conjugio præferendum, quamvis ad illum suscipiendum non detur præceptum, sed consilium.

Paulus Apostolus hac de re scribens I. ad Corinth. VII. 25–28. ait: "De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem [ex parte ipsius Domini] do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo, hoc bonum esse propter instantem necessitatem, ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. . . . . . Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. . . . . . Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit." Et iterum statim: "Mulier . . . . . . si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam."—Paulus ergo, Spiritu Dei plenus, docet virginitatem matrimonii statui esse anteponendam, et cœlibatum conjugio esse meliorem ac beatiorem "propter instantem necessitatem;"—id est, non propter illius tantum ætatis necessitatem et peculiares illius temporis politicas circumstantias,

sed propter necessitatem quæ omnes conjugatos premit, et impedit quominus divino servitio unice se devoveant.

Quare et in Apocalypsi XIV. 3. 4. præmium singulare promittitur eis qui virginitatem coluerunt: "Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno."

Prob. 2. *Ex unanimi doctrina Patrum*, qui maximis laudibus virginitatis statum cumulaverunt.—Ex innumeris pene testimoniis, quæ citari possent, pauca, in quasdam veluti classes collecta, hic depromam.

a) Patres docent virgines præ conjugatis gloriosius nomen habere et excellentius in cœlo præmium.

Ita S. Clemens I. Romanus, Epistola 1. ad Virgines, cap. 4. ait: "Cujuscumque sexus virginibus asseritur nomen multo clarius quam honor ex filiis et filiabus procedens, eisque promittitur sublimior habitationis locus; nec ipsis comparandi sunt conjuges, licet sanctitate eximii, et quorum thorus fuit immaculatus. Locus enim in quo habitabunt, non tantum electis omnibus commune regnum cœlorum est, sed pars ipsorum cum Sanctis Angelis est, ut nobilius et excellentius quod elegerunt vitæ genus remuneretur."

b) Patres docent virginitatis statum ad angelicam dignitatem evehere humanam naturam.

Ita S. Joannes Chrysostomus, de Virginitate cc. 10. 11.: "Bonum," inquit, "est virginitas; et ego consentio; ac matrimonio etiam melior, et hoc confiteor. Et si placet, quanto etiam melior sit addam; quanto cœlum terra, quanto hominibus angeli. Imo ut fortius aliquid dicam, etiam amplius. Nam angeli etsi nec ducunt uxores, nec ducuntur, at non sunt carne et sanguine coagmentati, non in terris commorantur, non libidinum æstus sentiunt, non cibi aut potus indigent, non suavi cantu deliniri, non liberali forma, aut alio ejus generis ullo flecti possunt; sed sicut summo meridie cœlum, nulla affectum nube purum spectatur, ita et illorum naturæ, a libidine quietæ, illustres ac perlucidæ maneant oportet. Humanum autem genus natura beatis illis concedens, vires suas urget, cum iisque pro virili æquari summa ope nititur.

Quo pacto? Nec ducunt uxores angeli, nec ducuntur. At nec virgo. Assistunt perpetuo ac ministrant Deo. Itidem et virgo. Quare etiam Paulus eas ab omni sollicitudine arcet, ut assiduæ sint et indivulsæ (I. Cor. VII. 34.). Quod si ut illi in cœlum hinc ascendere non possunt, carne eas deprimente, at hic quoque insignem habent consolationem, quæ ipsum cœli Dominum excipiant, si quidem sint corpore atque spiritu sanctæ. Viden' virginitatis decus? eorum qui in terris degunt cum cœlitibus vitæ similitudinem molitur, corpore vestitos vinci ab incorporeis Virtutibus non permittit, mortales angelorum æmulos reddit."

Et S. Augustinus, de Sancta Virginitate, cc. 12. 13.: "Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant. Hæc tamen omnia humani officii sunt munera: virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate: fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Profecto habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne."

c) Patres docent hominem qui cœlibem vitam ducit, virtutis amore, esse purissimum Dei templum et acceptissimum Deo holocaustum.

Ad exemplum, S. Hieronymus contra Jovinianum, lib. 1. n. 12. ait: "Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino; et juxta . . . . . Apostolum esse sanctum et corpore et spiritu, hi sunt eunuchi qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam (c. 56.) quod pro filiis et filiabus locum in cœlis habeant paratum."

d) Patres docent virgines a cœlesti sponso donari regno, auro ac pulchritudine.

Ita loquitur S. Ambrosius, de Virginibus libr. 1. cap. 7. n. 37.: "Et adverte," ait, "quantum tibi Spiritus Sanctus Scripturæ divinæ testificatione detulerit, regnum, aurum, pulchritudinem: regnum, vel quia

sponsa es Regis æterni, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiva haberis, sed quasi regina dominaris: aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est, ita corporis species virginalis spiritui consecrata divino, formæ suæ acquirit augmentum: pulchritudinem vero quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur a Rege, probatur a judice, dicatur Domino, consecratur Deo: semper sponsa, semper innupta; ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor."

e) Patres docent hominem virginitate anticipare gloriam resurrectionis.

Sic, e. g., S. Cyprianus, in opere "de habitu virginum," c. 22. dicit: "Servate, virgines, servate quod esse cœpistis . . . Domini vox est in illa dicentis: 'Filii sæculi hujus generant et generantur. Qui autem habuerint dignationem sæculi illius et resurrectionis a mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt. Neque enim incipient mori: æquales enim sunt angelis Dei, cum sint filii resurrectionis' (Luc. xx. 31–36.). Quod futuri sumus jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis, per sæculum sine sæculi contagione transitis."

f) Patres docent virginem quin reipublicæ terrenæ damnum afferat, eam potius augere; et suis exemplis, precibus atque operibus filios secundum spiritum Christo plurimos parere.

Ita S. Ambrosius, de Virginitate, cap. 7.: "Nonnullos," ait, "dixisse audivi quod periit mundus, defecit genus humanum, conjugia labefacta sunt. Quæro quis tandem quæsivit uxorem, qui non invenerit? Quando fuerint bella pro virgine? Quis unquam pro virgine sit peremptus? De conjugiis autem ista nascuntur, ut perimatur adulter uxoris, raptor præliis appetatur. Ista reipublicæ semper damno fuerunt. Pro virgine sacra nemo damnatus est: quia castitatem non pœna cohibet, sed religio auget, fidesque conservat. Si quis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines; ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, et Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu non inutilis virginitas existimatur,

præsertim cum per virginem salus venerit, orbem fecundatura Romanum."

Difficultates omnes præcipuas quæ moveri solent contra thesim S. Thomas mira perspicuitate proposuit et solvit in Summa contra Gentes, l. 3. c. 136., quod coronidis gratia integrum hic adjiciam.

Ex summa contra gentes, l. 3. c. 136.

De errore illorum qui perpetuam continentiam impugnant.

"Contra continentiæ bonum, quidam perversi sensus homines sunt locuti. Quod quidem bonum continentiæ his et similibus rationibus excludere nituntur:

Viri enim et mulieris conjunctio ad bonum speciei ordinatur. Divinius autem est bonum speciei quam bonum individui. Magis ergo peccat qui omnino abstinet ab actu quo conservatur species quam peccaret si abstineret ab actu quo conservatur individuum, sicut sunt comestio, potus et alia hujusmodi.

Adhuc, ex divina ordinatione dantur homini membra ad generationem apta, et etiam vis concupiscibilis incitans, et alia hujusmodi ad hoc ordinata. Videtur igitur contra divinam ordinationem agere qui omnino ab actu generationis abstinet.

Item, si bonum est quod unus contineat, melius est quod multi, et optimum quod omnes. Sed ex hoc sequitur quod genus humanum deficiat. Non igitur bonum est quod aliquis homo omnino contineat.

Amplius, castitas, sicut et aliæ virtutes, in medio consistit. Sicut igitur contra virtutem agit qui omnino concupiscentias insequitur et intemperatus est, ita contra virtutem agit qui omnino a concupiscentiis abstinet et insensibilis est.

Præterea, non est possibile quin in homine concupiscentiæ venereorum oriantur, quum naturales sint. Resistere autem omnino concupiscentiis et quasi continuam pugnam habere majorem inquietudinem animo tribuit quam si aliquis moderate concupiscentiis uteretur. Quum igitur inquietudo animi maxime perfectioni virtutis repugnet, videtur perfectioni virtutis adversari quod aliquis perpetuam continentiam servet.

Hæc igitur contra perpetuam continentiam objici videntur.

Quibus etiam adjungi potest præceptum Domini quod primis parentibus legitur esse datum : 'Crescite, et multiplicamini, et replete terram' (Gen. I. 28., et IX. 7.) ; quod non est remotum, sed magis videtur a Domino in Evangelio esse confirmatum, ubi dicit : 'Quod Deus conjunxit homo non separet' (Matth. XIX. 6.), de conjunctione matrimonii loquens. Contra autem hoc præceptum expresse facit qui perpetuam continentiam servat. Videtur igitur non esse licitum perpetuam continentiam servare.

Hoc autem non difficile est solvere secundum ea quæ præmissa sunt. Considerandum enim est quod alia ratio est habenda in his quæ ad necessitatem uniuscujusque hominis pertinent, atque alia in his quæ pertinent ad multitudinis necessitatem. In his enim quæ ad uniuscujusque necessitatem pertinent, oportet quod cuilibet provideatur ; hujusmodi autem sunt cibi et potus et alia quæ ad sustentationem individui pertinent ; unde necessarium est quod quilibet cibo et potu utatur. In his autem quæ necessaria sunt multitudini, non oportet quod cuilibet de multitudine attribuatur neque etiam est possibile ; patet enim multa esse necessaria multitudini hominum, ut sunt cibus, potus, indumentum, domus et alia hujusmodi, quæ impossibile est quod per unum procurentur ; et ideo diversorum oportet esse diversa officia, sicut etiam in corpore diversa membra ad actus ordinantur. Quia igitur generatio non est de necessitate individui, sed de necessitate totius speciei, non est necessarium quod omnes homines actibus generationis vacent, sed quidam ab his actibus abstinentes aliis officiis mancipentur, puta militiæ vel contemplationi.

Ex quo patet solutio ad secundum. Ex divina enim providentia dantur homini ea quæ sunt toti speciei necessaria ; nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur ; data est enim homini industria ædificandi et virtus ad pugnandum, nec tamen oportet quod omnes sint ædificatores aut milites. Similiter, licet sit homini divinitus provisa virtus generativa et ea quæ ad actum ejus ordinantur, non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat.

Unde etiam patet solutio ad tertium. Ab his enim quæ sunt necessaria, quamvis quantum ad singulos, melius sit quod ab eis abstineat qui est melioribus deditus, non tamen est bonum quod omnes abstineant, sicut et in ordine universi apparet ; quamvis enim substantia

spiritualis sit melior quam corporalis, non tamen esset melius universum in quo essent solum substantiæ spirituales, sed imperfectius; et, quamvis sit melius oculus pede in corpore animalis, non tamen esset perfectum animal nisi haberet oculum et pedem. Ita etiam nec multitudo humani generis haberet statum perfectum, nisi essent aliqui intendentes generationis actibus, et aliqui ab his abstinentes et contemplationi vacantes.

Quod autem quarto objicitur, quod necesse est virtutem in medio esse, solvitur per id quod supra jam de paupertate dictum est. Medium enim virtutis non accipitur semper secundum quantitatem rei quæ ordinatur ratione, sed secundum regulam rationis, quæ debitum finem attingit et circumstantias convenientes metitur. Et sic ab omnibus venereorum delectationibus abstinere, præter rationem, vitium insensibilitatis dicitur; si autem secundum rationem fiat, virtus est, quæ etiam communem hominis modum excedit; facit enim homines esse in divinæ quadam similitudinis participatione; unde virginitas Angelis dicitur esse cognata.

Ad quintum dicendum quod sollicitudo et occupatio quam habent hi qui conjugio utuntur de uxoribus, filiis et necessariis vitæ acquirendis, est continua; inquietatio autem quam homo patitur ex pugna concupiscentiarum est ad aliquam horam, quæ etiam minoratur per hoc quod eis aliquis non consentit; nam, quanto magis aliquis delectabilibus utitur, tanto magis crescit in eo delectabilis appetitus; debilitantur enim concupiscentiæ per abstinentiam et alia exercitia corporalia quæ conveniunt his qui continentiæ propositum habent. Usus etiam corporalium delectabilium magis abducit mentem a sua altitudine et impedit a contemplatione spiritualium quam inquietudo quæ provenit in resistendo concupiscentiis horum delectabilium; quia per usum delectabilium, et maxime venereorum, mens maxime carnalibus inhæret, quum delectatio faciat quiescere appetitum in re delectabili; et ideo his qui ad contemplationem divinorum et cujusque veritatis intendunt maxime nocivum est venereis deditos esse et maxime utile ab eis abstinere. Nihil autem prohibet, quamvis universaliter dicatur uni homini melius esse continentiam servare quam matrimonio uti, quin alicui illud melius sit. Unde et Dominus, facta de continentia mentione, dicit: 'Non

omnes capiunt verbum istud' (Matth. xix. 11.), sed 'qui potest capere capiat' (Ibid. 12.).

Ad id autem quod de præcepto primis parentibus dato ultimo positum est, patet responsio per ea quæ dicta sunt. Præceptum enim illud respicit inclinationem naturalem quæ est in hominibus ad conservandam speciem per actum generationis; quod tamen non est necessarium per omnes exequi, sed per aliquos, ut dictum est. Sicut autem non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare, ita nec expedit ab eo omni tempore abstinere, maxime quando necessaria erat multiplicatio generationis, vel propter hominum paucitatem, sicut in principio, quando humanum genus cœpit multiplicari, sive propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipsum per carnalem generationem multiplicari, ut fuit in veteri testamento. Et ideo consilium de continentia perpetua observanda reservatum est temporibus novi testamenti, quando spiritualis populus per spiritualem generationem multiplicatur."

REGI AUTEM SÆCULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO, HONOR ET GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM. AMEN.—I. ad Tim. I. 17.

APPENDIX.

Theses plurimæ in Tractatu de Matrimonio superius propugnatæ, Litteris Leonis Papæ XIII. datis nuperrime, die 1. *Junii* 1879., *Archiepiscopis et Episcopis Provinciarum Taurinen., Vercellen. et Genuen., quas subjungimus, confirmantur.*

LETTERA DI S. SANTITÀ

PAPA LEONE XIII.

AGLI ARCIVESCOVI E VESCOVI

DELL'ECCLESIASTICHE PROVINCIE

DI TORINO, VERCELLI E GENOVA

Venerabili Fratelli.

Ci siamo grandemente compiaciuti della vostra pastorale sollecitudine, o Venerabili Fratelli, nel prendere alacremente la difesa del matrimonio cristiano, or che viene minacciato da un nuovo sfregio con la promulgazione d'un penale interdetto contro la religiosa celebrazione del medesimo.—Ben ricordiamo come Voi stessi, e generalmente tutto l'Episcopato italiano, sentitamente protestaste, anche in passato, contro proposte di simil fatta, che andavano a ferire la dignità e la libertà del connubio cristiano. Ma ora Voi, raddoppiando gli sforzi per iscongiurare dalla cattolica Italia questa nuova sciagura, rinnovaste le vostre rimonstranze ed autorevoli richiami, e quantunque questi non abbiano avuto sin qui altro effetto ed altro onore che quello di un'arida menzione, condannati poi all'archivio senza lettura e senza esame; non è per questo men degna di essere da Noi commendata l'opera vostra per avere opportunamente proclamata la verità cattolica al cospetto anche di quelli, che, decisi di battere la via dell'errore ad ogni costo, schifano la voce amica che alla verità li richiama.

Del resto, ben a ragione, o Venerabili Fratelli, lamentavate come

funesta alla religione e alla morale una riforma di tal fatta, che, dopo aver tolto ogni valore giuridico al cristiano matrimonio, ne inceppa la celebrazione e la sottopone con penali sanzioni alle esigenze di un procedimento civile. Conviene sconoscere i principii fondamentali del Cristianesimo, e diremo anche le nozioni elementari del naturale diritto, per affermare che il matrimonio sia una creazione dello Stato, e niente più che un volgare contratto e un sociale consorzio, tutto di ragione civile. La connubiale unione non è ŏpera o invenzione dell'uomo: Iddio stesso, supremo Autore della natura, sin dalle prime, con detta unione ordinò la propagazione del genere umano e la constituzione della famiglia: e, nella legge di grazia, la volle di più nobilitare con imprimerle il divino suggello del Sacramento. Ondechè il matrimonio, per giure cristiano, in quanto concerne la sostanza e santità del vincolo, è un atto essenzialmente sacro e religioso, il cui ordinamento naturalmente appartiene alla potestà religiosa, non per delegazione dello Stato, o per assenso di Principi, ma per mandato del divin Fondatore del Cristianesimo e Autore dei Sacramenti.

Voi ben sapete peraltro, o Venerabili Fratelli, come, per coonestare le intrusioni del potere civile nella legislazione cristiana del matrimonio, pongasi in campo, qual portato del moderno progresso, il concetto della dissociazione del contratto dal sagramento; sicchè, consideratolo isolatamente come contratto, lo si vuole in tutto assoggettare alla signoria della Stato, lasciando alla Chiesa la sola ingerenza di una rituale benedizione. Ad accreditar poi simile teoria si ricorre all'autorità di codici stranieri, e al fatto di qualche nazione cattolica, presso cui il matrimonio é oggidi governato da una legislazione al tutto civile e laicale.

Ma, checchè dicano giuristi acattolici o ligii all'autocrazia dello Stato, egli è certo che la coscienza di quanti sono sinceramente cattolici non può accogliere questa dottrina come base d'una legislazione cristiana sul matrimonio, per la ragione che fondasi sopra un errore dommatico più volte condannato dalla Chiesa, quale è quello di ridurre il Sacramento ad una estrinseca ceremonia e alla condizione di un semplice rito; dottrina che sovverte l'essenziale concetto del matrimonio cristiano, nel quale il vincolo connubiale santificato dalla religione s'identifica col Sacramento e constituisce inseparabilmente con esso un solo sog-

getto ed una sola realità. Perlochè dissacrare il connubio in mezzo ad una società cristiana val quanto degradarlo, fare onta alla fede religiosa dei sudditi, ed ordire un funesto inganno alle loro coscienze, essendochè la sola legalità dell'atto civile senza il Sacramento non valga, nè possa valere, ad onestare le loro unioni e felicitare le loro famiglie.—Nè monta l'esempio di quelle nazioni cattoliche, che, travagliate già profondamente da fiere lotte e da sconvolgimenti sociali, si videro astrette a subire una riforma di tal tempra, o ispirata da dottrine ed influenze eterodosse, o stabilita dalla prepotenza degl'imperanti; la quale riforma peraltro, oltr'essere stata ivi feconda di amarissimi frutti, non ebbe mai pacifico possesso, ma fu costantemente disapprovata dalla coscienza degli onesti cattolici e dal legittimo magistero della Chiesa.

E qui mette bene notare quanto immeritamente viene incolpata la Chiesa di voler esercitare un'azione invasiva in fatto di legislazione matrimoniale a danno, come dicono, delle prerogative dello Stato e della politica autorità. La Chiesa interviene a tulelare solamente ciò che è sotto l'Impero del gius divino, e che a lei inalienabilmente fu commesso, cioè la santità del vincolo e le religiose attinenze che gli sono proprie.—Niuno poi contende allo Stato quelle parti che possono competergli per ordinare temporalmente il matrimonio al ben comune, e per regolare secondo giustizia gli effetti civili. Ma non cosi quando esso, entrando nel santuario della religione e della coscienza, si fa arbitro e riformatore delle intime attinenze d'un vincolo augusto, che Iddio da se stesso ordinò, e che le potestà del secolo, come non possono annodare, così non possono sciogliere nè immutare giammai.

Laonde ben comprendete, o Venerabili Fratelli, qual giudizio può farsi di uno Stato cattolico che, messi da banda i santi principii e le sapienti discipline del giure cristiano sul matrimonio, si pone nel triste impegno di creare una moralità connubiale tutta sua, d'indole affatto umana, sotto forme e guarentigie meramente forensi; e di poi, per quanto è da lui, coattivamente la impone alla coscienza dei sudditi, sostituendola a quella religiosa e sacramentale, senza la quale il conjugio fra cristiani non può essere nè lecito, nè onorato, nè stabile. Vi confessiamo, o Venerabili Fratelli, che non poco Ci accuora il vedere che questa è la sorte preparata dagli odierni reggitori alla cattolica

Italia, e che in questa Metropoli stessa del cattolicismo si va ora maturando l'ingiurioso e infausto disegno.

Riguardato difatti in se stesso e nelle sue conseguenze un tale disegno pur troppo s'appalesa ingiurioso ed infausto sia alla religione e al Sacerdozio, sia alla libertà delle coscienze ed alla publica morale. Imperocchè lo Stato invadendo audacemente il campo religioso, e disponendo di materia non sua, tien conto del Sacramento solamente per vincolarne l'esercizio, e sottoporlo all'impero del codice e alle esigenze d'un formalismo forense. Anzi dal Sacramento trae un titolo di reità per colpire il sacro Ministro e i contraenti con pene pecuniarie ed afflittive; riguarda come illegittima e di niun valore, quantunque benedetta da Dio, la unione sacramentale, se non è preceduta dalla formalità civile; volge ingiustamente a colpa della Chiesa e del Clero ciò che è effetto naturale dell'istituzione e delle religiose convinzioni del popolo italiano, l'infrequenza cioè delle civili celebrazioni e la noncuranza del legale procedimento. E per non dire altro, impedisce al sacro Ministro, anche quando il dovere glie lo impone, di provvedere prontamente ed opportunamente in supremi frangenti con la sacramentale celebrazione alla riconciliazione di angustiate coscienze, ed alla pace e all'onore compromesso delle famiglie.—E in riguardo poi ai sudditi, vincola indebitamente la loro fede e libertà religiosa col divieto di usare al Sacramento se non dipendentemente dallo Stato; impone alle loro coscienze pel conjugale consorzio e per la creazione della famiglia la sola moralità del Codice, che innanzi a Dio e alla religione non li giustifica; e nel medesimo tempo lascia libero il vizioso concubinato, sicchè possa impunemente dilatarsi e signoreggiare in mezzo al civile consorzio (come dimostrano le statistiche), eludendo i doveri cristiani e le prescrizioni stesse del Codice: e, quel che è sommamente periglioso, mette in mano un'arma ad uomini frodolenti per tradire la coscienza di timorate fanciulle e di onesti genitori con rifiutarsi dopo l'atto civile alla religiosa celebrazione.

Dal che, o Venerabili Fratelli, sorge naturale il dubbio, che l'odierna riforma contro il matrimonio religioso sia dettata, più che da sentimento di ordine e di rettitudine sociale, dal proposito di recare nuove tribolazioni alla Chiesa ed al Clero, e di accrescere incentivi di perversione al popolo italiano. E il dubbio pur troppo si avvalora, se si osservi

come la detta riforma vada a colpire di maggior pena il sacro Ministro, che non i principali trasgressori, lasciando pure a questi uno scampo per esimersi, entro un termine, dall'azione penale, ma non cosi al sacro Ministro: e se inoltre si ponga mente agli ignobili commenti e alle irreligiose declamazioni, onde si volle innanzi al publico accreditare la riforma stessa, non senza offesa e cordoglio d'ogni cuore cattolico. Poichè si osò dire senza ambagi:—Che la morale sociale non è la morale religiosa, ed il legislatore civile non deve farla da moralista: Che lo Stato non guarda a Sacramenti, nè si perita di punire anche un Sacramento per sostenere le sue istituzioni: Che la seguente riforma è una rappresaglia contro la Chiesa perchè condanna come iniqua la legge civile, che disconosce il carattere religioso del Sacramento: Che il Sacramento del matrimonio è una unione simulata, e un concubinato che offende la legge sociale.—Voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, dopo siffatte manifestazioni, da quali principii è ispirata, ed a qual termine intenda la proposta riforma!

Perghiamo perciò di tutto cuore l'Altissimo che Ci risparmi l'angoscia di vedere spargere nella vigna evangelica questa nuova semenza, la quale non può recare che frutti perniciosi alla fede ed alla domestica e publica morale, e sarà pure una sorgente di nuove offensioni e violenze a danno dei sacri Ministri.—In pari tempo non desistiamo, o Venerabili Fratelli, di premunire i fedeli, con opportune esortazioni, sulla grande verità cattolica, che l'origine e sanctificazione delle nozze è da Dio, e che fuori delle forme da Dio e dalla Chiesa stabilite non v'è onestà nè santità di vincolo, nè grazia di sacramento.—Ad ismentire poi le speciose accuse che oggi si vanno lanciando contro la Chiesa ed il Clero, facendoli credere sistematicamente ostili a quelli ordinamenti che regolano il matrimonio nelle sue civili attinenze, non abbiamo che a ricordare le sapienti istruzioni con cui la Chiesa stessa, posta in salvo l'integrità del domma e la dignità del Sacramento, lascia che i fedeli, di fronte a siffatte legislazioni, fruiscano dei sociali vantaggi che da quelle discendono. Queste istruzioni Voi ben le conoscete, o Venerabili Fratelli, da moltissimi atti della Sede Apostolica, e segnatamente dal Breve di Benedetto XIV. ai Vescovi di Olanda, *Redditæ sunt,* del 17. Settembre 1746; dal Breve di Pio VI. al Vescovo di Luçon, del 28. Maggio 1793.; dall'Enciclica di Pio VII. all'Episcopato francesse, del 17.

Febbraio 1809. ; e ai giorni nostri dalla generale Istruzione della S. Penitenzieria ai Vescovi d'Italia del 15. Gennaio 1866.

Quanto vi abbiamo esposto, o Venerabili Fratelli, potrebbe certo valere ad illuminare le menti e a scongiurare il temuto pericolo.—Che se ciò malgrado la malvagità degli uomini Ci astringesse a vedere con queste ed altre perniciose riforme sempre più compromesso il Sacramento, Noi con Voi ne saremmo per fermo profondamente addolorati : ma dall'invitto esempio degli Apostoli e dei Nostri Predecessori trarremmo le norme per tutelare mai sempre, secondo il divino mandato, la santa causa del matrimonio cristiano e la salute spirituale dei fedeli.

Intanto, a pegno della Nostra particolare benevolenza, a Voi, Venerabili Fratelli, a tutto il Clero e popolo alle vostre cure affidato impartiamo con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

Roma, dal Vaticano, il giorno di Pentecoste, 1. giugno 1879.

LEO PP. XIII.

INDEX ANALYTICUS

LIBER TERTIUS

TRACTATUS V.

DE POENITENTIA

NOTIONES PRÆVIÆ— Pœnitentiæ nomen detestationem includit præteritæ culpæ, et vindictam ob eam culpam sponte assumptam—Ita, contra Lutherum, et Erasmum, auctores tum profani, tum sacri— Hæc pœnitentia semper fuit peccatoribus necessaria—Post adventum Christi, præter rationem virtutis habet etiam rationem sacramenti—hinc agendum de pœnitentia—1) prout est virtus—2) prout est sacramentum...................... 11–12

PARS PRIMA

DE PŒNITENTIA PROUT EST VIRTUS

Art. Primus—*An et qualis virtus sit pœnitentia*

Pœnitentiam esse *virtutem generalem* docuit Antissiodorensis—Huic contradicit S. Thomas, quem DD. communiter sequuntur........................ 13

THESIS I.—Pœnitentia est virtus specialis, supernaturalis, a Deo voluntati infusa, non theologica, sed moralis... 14

Prob.—1) *Pœnitentia est virtus* (certum ex fide)—quia in Script. Deus præcipit actus ejus—quia est habitus electivus secundum rationem rectam—2) *est virtus specialis*—quia in ea invenitur specialis ratio actus laudabilis—quia modus loquendi PP. et CC. hoc importat—quia secus non posset homo pœnitens peccata virtutibus multis adversa, unico actu elicito retractare—3) *invenitur in voluntate*—patet ex consensu DD. et ex pœnitentiæ actibus, qui a voluntate eliciuntur—4) *est supernaturalis* et *per se infusa*—constat—*a*) *ex Script.* quæ docet *pœnitere* a solo Deo procedere—*b*) *ex Patribus* qui diserte docent hominem *non posse* resipiscere, nisi hoc illi a Deo detur: ita Chrys., Aug., Amb.—Idem deducitur ex CC. Arausicano, et Trident.—*c*) *ex ratione theologica:* quia de se perficit hominem secundum statum gratiæ, ideoque *per se* infunditur cum caritate—Dari posse pœnitentiam, quæ sit virtus naturalis tenet Richardus, negat vero Sotus, et quidem, ut videtur, merito—5) *virtus est moralis non theologica*—quia tres tantum sunt virtutes theologicæ: fides, spes, caritas—quia ejus *formale objectum* est quid creatum..... 14–20

Difficultatibus Satisfit 21–23

Scholion—Ex modo dictis tres solvuntur quæstiones—*a*) Quandonam pœnitentiæ virtus infundatur—*b*) in quibus inveniatur—*c*) quomodo amittatur 23–24

Art. Secundus—***De objecto formali pœnitentiæ***

Notiones Præviæ

Objectum formale cujuscumque virtutis est ratio propter quam fertur in objectum materiale—Theologi hac in re multum inter se discrepare videntur—discrimen tamen potius in verbis, quam in re est—omnes cum D. Thoma statuerunt pœnitentia attingi divinum jus peccato læsum, ut reparabile per aliquam compensationem—Virtus, quæ sit alterius virtutis pars, dupliciter nominatur—*a*) *pars subjectiva:* quæ totam rationem illius generis plene participat—*b*) *pars potentialis:* si secus 24–25

THESIS II.—Objectum formale pœnitentiæ est honestas, quæ reperitur in reparatione juris divini per peccatum læsi; ideoque pœnitentia, ut pars potentialis, reducitur ad justitiam commutativam 25

Prob. 1. p—quia pœnitentia est quædam justitia: ad eam enim pertinet emendatio offensæ, de cujus ratione est quædam recompensatio, et retributio—hinc *prob.* 2. *p.*—siquidem in pœnitentia habetur quædam commutatio—est autem *pars pœnitentialis* justitiæ commutativæ: quia non plene participat rationem hujus justitiæ, cum desit æqualitas—Pœnitentiam non esse justitiam vindicativam ostendit S. Thomas ex eo quod—*a*) pœnitentia est in ipso reo, qui voluntarie pœnam sustinet pro culpa—*b*) pœnitentia respicit non offensam communiter, sed offensam Dei 25–26

Art. Tertius—***De objecto materiali pœnitentiæ***

Notiones Præviæ

Peccatum aliud mortale, aliud veniale—actualis transgressio præcepti est peccatum actuale—hoc si mortale fuerit, et moraliter perseveret, peccatum habituale constituit—Duo in peccato consideranda: actus et malitia—hæc post se relinquit reatum pœnæ, et culpam habitualem, quæ complectitur maculam, offensam, et injuriam—Ex superius dictis constat objectum materiale pœnitentiæ esse—*a*) peccatum pœnitentis tum actuale, tum habituale—*b*) peccatum quod aliquando a pœnitente commissum fuit, et jam est remissum—*c*) peccatum omne quod committi adhuc potest—Item constat non esse, rigorose loquendo, ejusdem virtutis materiale objectum—*a*) peccatum originale—*b*) peccatum alterius—Hic proprie quæritur: utrum virtus hæc ad omnia omnino peccata sese extendat—Id inter alios negaverunt Montanistæ, ac Novatiani et quodammodo Radulphus, atque Morinus 27–29

THESIS III.—Omnia peccata, utut multa aut atrocia sint, expiari in hac vita possunt per pœnitentiam 29

Prob.—1) *ex Script.*—quæ sine exceptione pro numero et malitia peccatorum docent Deum hominibus peccata remittere si agunt pœnitentiam—ita Sap. (xi. 24.) *Misereris omnium . . . et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*—Item II. Petri (iii. 9.) *Nolens [Deus] aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*—Conf. ex aliis Script. locis—2) *ex perpetua Eccles. traditione:* ita docent Tertul. (in lib. de Pœnit.), Pacianus, Chrysost., Epiph., Paulinus, August., Lat. IV.—3) *ex ratione theologica:* homo in hac vita *semper* est in statu viæ 29–32

Difficultatibus Satisfit—In Prov. (I. 28.) *Invocabunt me et non exaudiam* sermo est de pœnitentia quam *post* hanc vitam impii acturi sunt: patet ex contextu—illud Psal. 18. *Clamaverunt . . . . . nec exaudivit eos* intelligitur de invocatione Dei ad arcendas calamitates temporales—Peccatum contra Sp. Sanctum *irremissibile* dicitur non quia *nunquam* remittitur; sed quia *difficillime* de eo pœnitentia habetur propter pessimam peccatoris dispositionem: ita Patres—Quod difficillimum est sæpe in Script. *impossibile* dicitur—Juxta communissimam Patrum interpretationem illud Pauli ad Heb. (IV. 4.) significat impossibile esse lapsos post baptismum renovari, *iterato* baptismo, et consequi remissionem culpæ et pœnæ eo modo, quo in baptismo habetur.—In verbis Joannis loquentis de illo, qui peccat ad mortem: "*non pro illo dico ut roget quis*," significatur non *quoscumque fideles* posse suis precibus conversionem hujus peccatoris impetrare. Patres difficultatem veniæ consequendæ pro gravioribus delictis urgent, ut ab illis committendis homines deterreant; at omnimodam impossibilitatem remissionis obtinendæ per pœnitentiam numquam adstruunt.................................... 32–37

Art. Quartus—***De actibus pœnitentiæ elicitis***

Notiones Præviæ

Pœnitentiæ, quæ pars est justitiæ, proprium est declinare a malo, et facere bonum—hinc duplex actuum genus—*a*) *tendendi in bonum:* simplex voluntas, desiderium, intentio, gaudium—*b*) *recedendi a malo:* odium, detestatio, dolor—detestationem actum esse *physice* a dolore distinctum Theologi communiter docent—Quomodo detestatio peccati sit absoluta, efficax et universalis in thesi declaratur.. 38–39

THESIS IV.—Detestatio prout respicit actum peccati commissi est efficax et absoluta ex parte sujecti, quamvis sit sub conditione afficiente objectum;—sed prout spectat habituale peccatum est efficax et absoluta tum ex parte subjecti, tum ex parte objecti. Si vero ratio detestandi omnibus peccatis mortalibus sit communis, tametsi detestatio formaliter et inspecto objecto materiali unius tantum peccati esset; virtualiter tamen universalis erit, et absolute ab affectu omnis peccati mortalis voluntatem avertet:—Quapropter actus virtutis pœnitentiæ, ut est quædam justitia ad Deum, si sit perfectus, absolutus, et efficax, est virtualis detestatio peccatorum mortalium, etiamsi circa unum tantum expresse versetur...... 39

Prob. 1. p—Quia per eam detestationem absolute et efficaciter avertitur voluntas ab affectu peccati, ita ut vellet *si posset* facere illud non fuisse—*Prob.* 2. *p.*—Quia pœnitens non tantum odit peccatum habituale, sed absolute illud retractat—*Prob.* 3. *p.*—Quia actus qui prorsus repugnat adhæsioni voluntatis cuicumque peccato est *virtualiter* detestatio absolute ab affectu omnis peccati mortalis avertens voluntatem—hoc autem verificatur in casu—*Prob.* 4. *p.*— Quia motivum hujus virtutis universale est, et respiciens omnia peccata gravia, cum omnia et singula eorum malitiam injuriæ Deo illatæ contineant—Ex dictis qnibusdam difficultatibus satisfit...... 39–42

SCHOLION—Pœnitentiam peccati venialis, ex eo præcise quod offensa Dei est, virtualiter pœnitentiam mortalium continere, docet Suarez............ 42

Art. Quintus—*De natura contritionis perfectæ*

Notiones Præviæ

Contritio *generice* significat "dolorem animi et detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero"—ita Trid.—duplex est: alia *perfecta*, quæ extra sacramentum, quamvis non *sine voto* sacramenti, disponit *ultimo* ad gratiam justificationis—alia imperfecta, quæ *attritio* dici solet—de hac infra—Contritionis perfectæ excellentiam, quæ ante sacramenti susceptionem reconciliat Deo pœnitentem, negaverunt Jansenius, Baius et alii—Votum ad contritionem requisitum est *implicitum*—constat ex dictis de Baptismo, et ex Conc. Trid.—Communis et certa sententia docet contritionem ad justificationem sufficientem oriri debere ex motivo caritatis—ab hac communi sententia non recessisse Suaresium, ex ejusdem doctoris verbis evidenter ostenditur 43–45

THESIS V.—Contritio perfecta, quæ et contritio simpliciter appellari consuevit, etiam extra casum necessitatis, Deo peccatorem pœnitentem reconciliat, ante usum sacramenti, sed non citra sacramenti votum, quod in contritione ipsa includitur.—Hæc autem contritio, qua extra sacramentum, quamvis non sine sacramenti voto, justificamur, concipi debet ex motivo caritatis, seu supernaturalis amoris Dei super omnia propter se dilecti 45

Prob. 1. p.—*a*) ex aperta declaratione Conc. Trid.—*b*) ex damnatione proposit. 71. Baii, in qua contradictoria doctrina enuntiatur—*c*) ex Script. juxta quas Deus remissionem peccatorum promittit peccatoribus perfecte contritis—ita Ezech. (XXXIII.) "Impietas impii non nocebit ei, *in quacumque die* conversus fuerit ab impietate sua—*d*) ex efficacitate contritionis perfectæ ante sacram. pœnit. institutionem—*e*) ex doctrina Patrum—*f*) ex Catechismo Conc. Trid. qui docet hanc doctrinam populo fideli esse tradendam—Quod autem id non fiat *citra votum* sacramenti—patet ex aliqua prop. Petri Oxumensis damnata a Sixto IV., ex natura sacram. pœnit., quod est medium necessarium ad remissionem consequendam peccatorum mortalium, quæ post Baptismum commissa fuerunt—*prob. 2. p.*—*a*) ex Script. quæ passim docet hominem sine caritate non justificari—contritionem hanc salutarem concipiendam esse *ex toto corde*—*b*) ex doctrina Patrum—*c*) ex Concil. Trid. quod docet contritionem perfectam perfectionem suam habere a caritate actuali, et per hoc ab attritione distingui, quod ex caritate concipiatur—*d*) ex ratione theologica—Sicut fides quæ per hæresim amittitur non restituitur nisi præcedat aliquis actus fidei; ita caritas, quæ per peccatum mortale expellitur, non debet restitui nisi præcedente exercitio ipsius dilectionis 45–55

Difficultatibus Satisfit—Illa verba "remittuntur ei peccata multa" non præsentem absolutionem significant, sed vel absolutionem jam factam esse declarant, vel simpliciter, et indefinite factum enuntiant, quod nempe peccata remittuntur propter dilectionem—Interpretatio, juxta quam absolutio multorum peccatorum esset ratio cur Magdalena multum dilexerit, et non viceversa, rejicienda est: repugnat enim—*a*) aliis Script. versionibus—*b*) communi Patrum interpretationi—*c*) contextui, nec—*d*) exigitur a parabola fœneratoris—Aliæ difficultates facile ex dictis solvuntur 55–60

Art. Sextus—*De quantitate contritionis*

Notiones Præviæ

Quantitas duplex: intensiva, et extensiva—hæc vel in duratione, vel in objecto consistit—Contritionem *appretiative*, non *intensive* summam esse necessariam communiter docent theologi, paucis id negantibus—Id ex doctrina S. Thomæ, et S. Bonaventuræ daclaratur—Item conveniunt Doctores contra Scotum, actum contritionis nulla temporis duratione indigere, ut sit contritio—Contritionem natura sua esse universalem, et ad eam requiri memoriam aliquam de peccatis commissis nemo negat—utrum vero requiratur *distincta* peccatorum recogitatio, disputatur—nos neganti sententiæ subscribimus. 61–64

THESIS VI.—Ad veram contritionem, extra sacramentum justificantem, nullus definitus intensionis gradus requiritur; sed sufficit substantia actus, quacumque intensitate fiat. Item, ut contritio perfecta eliciatur, nec determinata temporis duratio necessaria est, nec distincta omnium peccatorum recogitatio....... 64

Prob. 1. p.—*a*) ex Script.—*negative:* Nullibi in Script. certus ac determinatus gradus intensionis, tamquam necessarius, ut contritio sit perfecta, statuitur—Testimonia quæ objiciuntur totalitatem significant *ipsius conversionis*, non vero *intensionis*—declaratur ex S. Thoma—*b*) ex Script.—*positive:* Script. hoc unum exigit ut peccator justificetur, nempe ut se convertat ad Deum, et eum diligat—hoc autem verificatur in contritione etiam remissa —*c*) ex Patribus, et præsertim ex S. August.—*d*) ex declaratione Conc. Trid. —*e*) ex variis prop. damnatis a Pio V.—Idem confirmatur rationibus theologicis—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex Script. quæ pœnitenti, ratione conversionis suæ, absque ulla mora temporis, promittunt remissionem peccatorum, et justificationem—ita Ezech. (XXXIII.),—Isa. (XXX.)—*b*) ex Patribus—*c*) ex ratione theologica: peccator nullo jure tenetur, certa temporis mora, actum contritionis protrahere—Confirmatur ex illis, quæ de fide et spe in alio tractatu disputantur—Adversariorum effugiis ex propositis argumentis satisfit—*Prob.* 3. *p.*—non requitur distincta memoria peccatorum—*a*) *concomitans:* hoc enim sæpissime propter illorum multitudinem et varietatem est impossibile—*b*) *antecedens:* quia secus magnis peccatoribus impossibile esset *statim* converti ad Deum—quia si omnia in memoriam non redirent, non posset quis contritionis actu a peccato mundari—quia reapse virtualiter peccata sua singula detestatur—*c*) *subsequens:* quia contritio neque ex natura sua, neque ex positivo Dei præcepto hoc postulat—Hoc intelligitur de necessitate *per se:* quod enim *per accidens*, nempe ratione confessionis, hæc recogitatio requiratur, concedunt omnes............................... 64–72

Difficultatibus Satisfit—Script. et Patres in locis, quæ communiter objiciuntur docent—*a*) quid fieri *deceat*, non quid fieri *debeat*—*b*) peccatum appretiative deberi supra omnia mala detestari—*c*) ad hoc magnos conatus requiri —Contritio, utpote quæ est dispositio perfecta et ultima ad gratiam, hujus infusionem non tempore, sed natura antecedit........................ 72–73

Art. Septimus—*De remissione peccati per contritionem*

Notiones Præviæ

De modo quo contritio hominem Deo reconciliat variæ sunt theologorum sententiæ—Vasquez tenet contritionem esse posse *totalem* causam formalem

justificationis—alii docuerunt esse tantum causam *partialem*—Ripalda ex his duabus sententiis propriam conflavit—hujus doctrina paucis exponitur —communis et tenenda sententia statuit contritionem esse tantum causam *dispositivam*—Quædam de natura amicitiæ, quæ duplicem amorem necessario involvit, ex P. Coninck declarantur.......................... 74–77

THESIS VII.—Contritio nullo modo est formalis causa justificationis; sed hanc meretur, merito congruo, non condigno.............................. 77

Prob. 1. p.—Causa dispositiva nequit esse causa formalis respectu ejusdem effectus: atq. contritio in Scrip. exhibetur ut causa dispositiva respectu justificationis: Ergo—ita in Ps. L. et alibi—Idem probatur—*a*) ex PP. qui docent, post contritionem *novum beneficium* a Deo conferri, cum peccatori pœnitenti peccata remittit—*b*) ex Conc. Trid. c. 4. juxta quod contritio *impetrat* remissionem peccatorum—Concilium loqui etiam de contritione perfecta, ex ejusdem capitis contextu, contra Vasquez invicte ostenditur—Conf. ex ratione theol.: Formalis causa in omnibus et semper est eadem, et post actum transactum, eadem etiam perseverat—hoc autem non verificatur in actu contritionis—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex Script. quæ justificationem tanquam effectum contritioni adscribunt "Remittuntur ei peccata multa *quoniam* dilexit multum"—*b*) ex PP. qui passim docent nos per pœnitentiam veniam mereri—ita Tertul., Cyprian., et alii—*c*) ex Conc. Trid.—Quod hoc meritum sit *de congruo*, non vero *de condigno*; patet—*quia* hoc eruitur ex testimoniis Script. et PP. jam citatis; *quia* hæc est doctrina Conc. Trid.—*quia* ad meritum de condigno requiritur status gratiæ, quem contritio *natura* præcedit.. 77–84

Difficultatibus Satisfit—Verba S. Petri "Caritas operit multitudinem peccatorum" probabiliter intelliguntur de peccatis *alienis* — si vero de propriis intelligantur significant caritatem operire peccata *dispositive* et *meritorie*, non *formaliter*—PP. aliquando contritionem dicunt causam justificationis, sed nunquam *formalem*—potius de causa efficienti loqui videntur—Conc. Trid. non dicit: ipsam justitiam esse in adultis intrinsece et per se voluntariam, sed *susceptionem* ejus—In peccato habituali præter reatum sunt *macula*, quæ per ipsam gratiam tollitur, *offensa* et *injuria*, quæ a Deo remitti debent—Cetera facile ex dictis solvuntur........................ 85–87

Art. Octavus—***De attritione***

Notiones Præviæ

Attritionis nomen circa sæc. XIII. vulgari cœpit—eo contritio imperfecta designatur—Attritionis conditiones, fructus, et proprium motivum (*turpitudo peccati*, et *timor pœnæ*) a Conc. Trid. traduntur—Attritio ex turpitudine peccati elicita supernaturalis esse debet *quoad substantiam*: est enim actus salutaris—declaratur ex Suaresio— Attritionem ex gehennæ, et pœnarum metu conceptam rejecerunt—*a*) Lutherus uti violentam et prorsus noxiam —*b*) Baius, et alii uti vitiosam, et saltem omissionis peccatum—Timor est triplex: mundanus, filialis, servilis—hic vel est serviliter servilis, vel simpliciter servilis—Timor initialis, juxta S. Thomam, primario respicit offensam Dei, secundario pœnam—Omnes concedunt timorem filialem et initialem esse bonum—timorem mundanum et serviliter servilem esse malum—Controversia spectat timorem simpliciter servilem—de hoc in thesi. 87–90

THESIS VIII.—Bona et utilis est attritio concepta ex solo metu gehennæ et aliarum pœnarum, quibus peccatores a Deo plectuntur; illa nempe qua quis Deum vindicem ita timet ut solius pœnæ fugiendæ causa de peccatis admissis doleat, et imminentia aversetur 90

Prob.—1) ex Script. quæ hunc dolorem commendant—ita Prov. XIV. "Timor Dñi fons vitæ, ut declinent a ruina mortis"—quædam alia loca afferuntur, et breviter declarantur—2) ex Patribus qui diserte hoc docent—3) speciatim ex S. Augustino—4) ex Conc. Trid. quod, inter dispositiones ad justificationem, timorem simpliciter servilem adnumeravit—Idem conf. ex propositionibus damnatis ab Alex. VIII., et Clem. XI.—5) ex rationibus theologicis: timor alicujus mali honestatem suam desumit ex bono cui opponitur—timor, de quo sermo est, actualem voluntatem peccandi excludit—etc...... 90–95

Difficultatibus Satisfit—Caritas excludit timorem pœnarum serviliter servilem, simpliciter servilem vero excludit ut magis perfectum excludit minus perfectum, non autem ut malum sibi contrarium—Juxta Apost. opera sine caritate nihil prosunt in ratione *meriti* ad vitam æternam—non vero in ratione *dispositionis* ad justificationem—PP. timorem reprobant, sed non simpliciter servilem—si autem dicunt ea, quæ ex hoc timore fiunt non *bene* fieri, illud *bene* vel significat *perfecte*, vel *meritorie*—In actu detestationis peccati propter infernum (ut finem proximum) non excluditur aliud motivum magis detestandi peccatum quam infernum, a quo motivo vi actus fit præcisio —etc 96–99

Art. Nonus—*De remissione culparum venialium*

Hac in re quædam certo tenenda sunt, quædam libere disputantur—1) Remissio venialis culpæ, sine aliquo auxilio Dei, et solis naturæ viribus, obtineri non potest—id ex PP., et CC. loquendi modo colligitur—2) Ad remissionem peccati venialis consequendam necessaria est gratia sanctificans, sive antecedenter, sive concomitanter—id docent communiter theologi post D. Thomam—Quid de homine decedente in statu peccati mortalis, vel originalis cum veniali?—Puniturne hoc peccatum veniale pœna æterna, et quidem pœna sensus?—Variæ hac de re theologorum sententiæ—3) Fieri potest ut mortale peccatum remittatur, quin remissa sint venialia omnia: immo ut mortale remittatur, quin ullum peccatum veniale, ex multis, quæ homo habet, remissum maneat—id enim pendet ex peccatoris dispositione, qua justificationem obtinet—4) Peccata venialia justi remittuntur per contritionem perfectam; sed hac ratione, ut si contritio sit de omnibus, omnia tollat, secus illa tantum ad quæ se extendit—Similiter per actum caritatis, sine formali actu pœnitentiæ remittuntur—Probabile est peccatum veniale in homine justo remitti per solam attritionem, immo per contrarium propositum, vel per actus aliarum virtutum, qui peccatis illis aliquo modo repugnent, et virtualem illorum displicentiam includunt—hanc sententiam cum S. Thoma theologi merito defendunt—5) Ex opere operato per susceptionem sacramentorum peccata venialia remittuntur; si tamen in suscipiente obex ad illum effectum consequendum non inveniatur—6) Sacramentalibus remissio peccatorum attribui solet—utrum id ex opere operato præstent, disputatur —Hæc omnia auctoritate S. Thomæ confirmantur—Animam a corpore separari posse cum gratia et veniali culpa, docet S. Thomas—in hac senten-

tia culpam venialem post hanc vitam dimitti per ignem purgatorii nonnulli docent. Communius vero theologi tenent: omnia peccata venialia cum quibus homo justus decedit remitti, quoad culpam, in primo instanti separationis animæ a corpore.. 99–110

Art. Decimus—*De reviviscentia meritorum*

Notiones Præviæ

Opera supernaturalia ad meritum vitæ æternæ apta triplicis sunt generis: *viva*, *mortua*, et *mortificata*—de his quæritur—*a*) utrum, recuperata gratia a peccatore per pœnitentiam, vivificentur—*b*) utrum ita vivificata totam vim suam exerant—circa primam quæstionem unanimiter sentiunt theologi—non item quoad secundam—Merita integre redire quoad totum præmium, perinde ac si numquam mortificata essent, docent Mag. Sentent., Albert. M., Scotus, Suarez, et alii—his subscribimus......................... 111–112

THESIS IX.—Homini a peccata resurgenti per pœnitentiam merita pristina et omnia bona supernaturalia, perinde ac si numquam peccasset, restituuntur. 113

Prob. 1. p.—*a*) *Ex Script.* Apost. (ad Gal. III.) ait "Tanta passi estis sine causa? *si tamen sine causa*" quibus verbis significat Galatas, si convertantur, *non sine* causa, idest fructu, pro Christo passos fuisse—hoc autem importat illorum meritorum reviviscentiam quæ ante peccatum pro Christo patiendo lucrati fuerant—Hæc interpretatio auctoritate Patrum roboratur—Idem evincitur ex Joel. (II. 25.) et ex Epist. ad Hebr. (VI. 9. 10.)—Hujus testimonii interpretationem confirmat Conc. Trid.—*b*) *ex Patribus* quorum testimonia in tres classes divisa proponuntur—*c*) *ex rationibus theologicis* desumptis—ex conditionibus quæ in opere bono requiruntur, ut æternæ gloriæ meritorium sit—ex bonitate operum, quæ cum facta fuerint in gratia, etiamsi deinde per peccatum fuerint mortificata, in acceptatione tamen divina permanserunt—*Prob.* 2. *p.*—ex demonstratis in prima parte: ex his enim tum opiniones, quæ a sententia nostra differunt, refutantur; tum doctrina, quæ proponitur, stabilitur................................ 113–124

Difficultatibus Satisfit.. 124–126

Art. Undecimus—*De reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum*

Sententiam, quæ in thesi defenditur, communiter theologi post S. Thomam amplectuntur, contra veteres nonnullos, quos Mag. Sent. enumerat.

THESIS X.—Nullum peccatum semel remissum, novo peccato subsequente, redit nec quoad culpam, nec quoad pœnam................................ 127

Prob.—1) *ex Script.* quæ passim declarant peccata *absolute* dimitti a Deo: Ergo *si* novum peccatum committitur illa non redeunt—2) *ex doctrina Patrum*, qui aperte hoc tradunt; ita Origen., Ambros., Gelas., Theodor., Greg. M.—Quædam Sacrarum Scripturarum et Patrum loca, quæ prima facie contra thesim videntur esse, declarantur.................... 127–134

SCHOLION 1.—Peccatum semel dimissum per subsequens peccatum redire *lato sensu* dici potest, quia istud ob ingratitudinem gravius æstimatur—declaratur ex S. Thoma.. 134–135

SCHOLION 2.—Ingratitudo sequentis peccati non est speciale peccatum, nisi peccator *in contemptum* Dei et suscepti beneficii peccet 135–136

Art. Duodecimus—*De necessitate Pœnitentiæ*

Omnes necessitatem *medii* pœnitentiæ admittunt—sed Scotistæ actum virtualem—Thomistæ formalem omnino requirunt—Suaresii sententiam, quæ in thesi proponitur, nostram facimus.................................. 136

THESIS XI.—Actus formalis pœnitentiæ, per se loquendo, necessarius est ad consequendam remissionem peccati mortalis: sed aliquando, per accidens, potest remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pœnitentiæ, per actum caritatis, qui est pœnitentia virtualis et in voto eam continet................. 136

Prob. 1. p.—*a*) *ex Concil. Trident.* "Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius."—*b*) *ex Sacris Litteris*, in quibus remissio peccatorum nonnisi sub conditione pœnitentiæ a Deo promittitur—hoc intelligendum esse de actu formali patet—*quia* verba sumi debent sensu obvio, si nihil obstat—*quia* enumerantur actus, qui ad pœnitentiam formalem pertinent—*quia* eodem modo requiritur fides et caritas—*c*) *ex Patribus* qui passim id docent—*d*) *ex ratione theolog.*—Actus formalis pœnitentiæ maxime proportionatur ad veniam obtinendam—est medium aptissimum ad emendationem—per ipsum peccator perfectius convertitur ad Deum—*Prob.* 2. *p.*—ex supra dictis de actu caritatis, qui pœnitentiam virtualiter continet—Attamen, ut notat Suarez, extra casum oblivionis et inconsiderationis, pœnitentia formalis semper requiritur 136–140

Difficultatibus Satisfit—Aliquando PP. aliis bonis actibus tribuunt remissionem peccatorum tanquam dispositionibus non proximis, sed remotis, quatenus nempe peccatorem disponunt ad actum pœnitentiæ—Martyrio peccata remittuntur, sed non sine actu saltem attritionis............. 140

Art. Decimustertius—*De tempore pœnitendi*

Pœnitentiam necessariam esse etiam necessitate præcepti, ex ejus necessitate medii facile patet—Peccator tenetur aliquando *per accidens* actum pœnitentiæ elicere, ex fine aliquo pœnitentiæ extrinseco—Quandonam et quomodo *per se* ad hoc teneatur in thesi statuitur.......................... 140–141

THESIS XII.—Ex præcepto pœnitentiæ peccator ad pœnitentiam agendam statim post peccatum commissum non tenetur, etiamsi continuo id præstandi opportunitas adsit; sed obligatur ne pœnitentiam differat usque ad mortem. In articulo autem mortis ille, qui sacramentum pœnitentiæ suscepit cum attritione cognita, ad contritionem perfectam habendam obligari non videtur 141

Prob. 1. p.—*a*) *ex sensu fidelium*, qui hanc obligationem non agnoscunt—*b*) *ex consectariis* oppositæ sententiæ—quæ falsa esse ex dictis de attritione, et ex sensu Ecclesiæ patet—*c*) *ex natura præcepti pœnitentiæ*, quod cum sit *positivum* obligat tantum pro *debito*, et *determinato* tempore—hoc autem tempus non est illud quod post peccatum commissum statim sequitur—cum nec ex titulo justitiæ, nec caritatis vel Dei vel propriæ hæc obligatio oriatur—*Prob.* 2. *p.*—*a*) *ex Script.* quæ aperte hanc dilationem prohibent: ita Eccl. v. et Apost. ad Rom. II.—*b*) *ex Patribus* qui increpant illos, qui pœnitentiam differunt ad extremum vitæ tempus; ita August., Basil., et alii—*c*) hoc ipsum *ratio* suadet—agitur enim de medio ad finis assecutionem omnino necessario—*Prob.* 3. *p.*—Nullatenus valet ratio quam adversarii, ad inducendam obligationem eliciendi actum caritatis, desumunt ex incertitudine justificationis acceptæ a pœnitente qui sacramentum suscepit cum attritione cognita—Ex adversariorum sententia multæ inadmissibiles consecutiones sequuntur—Argumentum evolvitur ex P. de Lugo.......... 141–152

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

Art. Primus—*De existentia sacramenti pœnitentiæ*

Notiones Præviæ

Nomine sacramenti pœnitentiæ intelligitur ritus, quo christiani pœnitentes et peccata sua sacerdoti confitentes, ab eodem absolvuntur—Pœnitentiam esse verum et proprie dictum N. L. sacramentum primus omnium negavit Lutherus, licet timide, et titubanter—Nunc communiter Protestantes, Calvino assentientes, tenent pœnitentiam non esse sacramentum a baptismo distinctum—Hos errores Trid. Syn. damnavit sess. 14................. 153–154

THESIS XIII.—Pœnitentia, seu ritus ille quo Christiani pœnitentes, et peccata sua sacerdoti confitentes, ab eo absolvuntur, est verum et proprie dictum novæ legis sacramentum, a sacramento baptismi prorsus distinctum........... 155

Prob. 1. p.—Ex Script. "*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . . . Accipite Sp. Sanct., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*" *etc. Ex his verbis*—1) constat potestatem remittendi peccata concessam fuisse—*a*) Apostolis: id verba aperte testantur—*b*) Apostolorum in hac potestate successoribus: id *finis* hujus concessionis (ut nempe Christus per ministros suos missionem, quam habuit perpetuam, exerceret in terris) exigit—2) constat hanc potestatem per aliquod sensibile signum esse exercendam: id ostendit ritus externus tum peccatoris pœnitentis, tum sacerdotis absolventis, qui illis verbis indicatur—3) constat hoc signum ex opere operato gratiam conferre: dicitur enim: "quorum remiseritis peccata . . . *remittuntur;*" quod fit infusione gratiæ sanctificantis—Idem evincitur ex perpetua Ecclesiæ traditione —selecta quædam documenta afferuntur, et paucis elucidantur—*Prob. 2. p.* —1) ex Script. quæ clare distinguunt Baptismum inter et Pœnitentiam, ut inter ea, quæ *seorsim* a Christo instituta sunt, et præscripta—2) ex Patribus, qui idem passim testantur—Quibusdam Novatorum objectionibus in fine thesis satisfit.. 155–170

Art. Secundus—*De natura sacramenti pœnitentiæ*

Notiones Præviæ

Quæritur hic utrum potestas remittendi peccata, Apostolis et eorum successoribus a Christo collata, sit *potestas judicialis*—Si hoc ostenditur, consequens erit confessionem peccatorum a Christo fuisse præscriptam ad obtinendam eorum remissionem in sacramento—Confessionis definitio evolvitur—Confessio duplex: *publica*, et *secreta* seu *auricularis*—Ex Conc. Trid. hæc est de præcepto divino, illa non item—Wikleff confessionem necessariam non esse dixit in casu perfectæ contritionis—damnatur in Conc. Constant.—Lutherus confessionem privatam non esse a Deo præceptam asseruit—Idem statuit confessio Augustana—Calvinus addidit eam ab Innocentio III. inductam esse—Aberrationes Novatorum damnavit Conc. Trid....... 170–175

THESIS XIV.—Sacramentum pœnitentiæ institutum a Christo fuit ad modum judicii, quo fideles omnia peccata sua sacerdoti aperire teneantur, ut ab eo sententiam absolutionis excipere valeant.............................. 175

Prob.—1) *ex Script.* et quidem *a) ex metaphora clavium*—Christus suas claves cum Apostolis eorumque successoribus communicavit—claves autem Christi significant veram et proprie dictam, auctoritate judiciali, potestatem absolvendi homines a peccatis—*b) ex metaphora ligandi* et *solvendi;* hæc enim non significant *declarare* aliquem ligatum, aut solutum a vinculis, sed revera alligare aut solvere—*c) ex verbis quibus hæc potestas confertur:* ille enim vere *judex* in aliqua causa est constitutus, qui potestatem habet pronuntiandi absolutionem, aut condemnationem ejus cujus causa judicanda est —2) *ex Traditione*—Testimonia Patrum in quasdam classes redacta proferuntur— 3) *ex Conciliis*—ex antiquioribus quædam citantur—Idem—4) *facta quædam insignia* ostendunt — 5) *Libri pœnitentiales* confessionem omnium peccatorum esse sacerdoti faciendam demonstrant—Huc accedunt doctrina de divina confessionis institutione, ac necessitate, et confessionis usus apud Græcos, Armenos, Coptos, Æthiopes, ceterasque orientales sectas Nestorianorum et Monophysitarum, quæ a sæc. V. ab Eccles. Romana divisæ sunt 175–187

Difficultatibus satisfit—Etsi concederetur in libris N. T. descriptam praxim confessionis non inveniri (quod quidam innixi verbis Jacobi v. 16. negant) ex eo tamen nihil deduci posset, ut patet ex probatione facta—Apostolus præscripsit probationem, antequam Eucharistia sumatur, non qualemcumque, sed juxta mandatum Christi præceptam—Nectarii factum potius confessionis praxim ostendit, et ejusdem necessitatem confirmat—Chrysostomum nunquam negasse necessitatem confessionis *privatæ*, ex ejus verbis invicte ostenditur—Non tenemur nisi ad confitenda peccata, quæ post diligens examen cognoscimus nos commisisse: hinc nulla impossibilitas confessionis ex defectu memoriæ—Pericula, et abusus, quæ occurrere possent occasione confessionis, vitia essent hominum, non ipsius confessionis—et hæc etiam rarissima—Quot vero emolumenta ex confessione profluant eleganter docuit Catechismus Conc. Trid.—immo inter ipsos Protestantes multi confessionis fructus insignes laudibus celebraverunt. 187–192

Art. Tertius—***De amplitudine potestatis judicialis in sacramento pœnitentiæ***

Notiones Præviæ

Potestatem judicialem a Christo Ecclesiæ concessam exerceri posse circa *omnia* peccata post baptismum a fidelibus commissa, negaverunt—*a)* sæc. II. Mont—damnantur ab Episcopis Asiæ, et a Papa Zephyrino,—*b)* sæc. III. Novatiani—damnantur in Conc. Rom. et in Synod. Antioch. et Carthagin. —Eamdem doctrinam postea definiverunt Conc. Later. IV., et Trid. 192–193

THESIS XV.—Christus Ecclesiæ suæ auctoritatem concessit remittendi in sacramento pœnitentiæ omnia prorsus peccata, quantumcumque gravia, quæ post baptismum a fidelibus commissa fuerint.............................. 193

Prob.—1) *ex Script.* Christus nullo facto discrimine peccatorum levium et graviorum potestatem ligandi atque solvendi Petro et Apostolis promisit ac contulit—2) *ex Apostolorum exemplo:* Ita Joannes et Paulus pœnitentes reos a gravissimis criminibus absolverunt—3) *ex traditione:* Ecclesia tanquam hæreticos e sinu suo rejecit Montanistas et Novatianos qui hoc negabant—passim Patres doctrinam, quam defendimus, docuerunt—Si quando apud Patres legimus *unicam pœnitentiam* lapsis in peccatum post baptismum fuisse concessam, id *publicam* pœnitentiam spectat—4) *ex aliis de pœnitentia dogmatibus* ut de efficacitate virtutis pœnitentiæ; de contritione; de neces-

sitate hujus sacramenti—5) *ex paritate* cum sacramento baptismi, per quod omnia peccata dimittuntur—hoc argumento ad hominem sæpe contra Novatianos usi sunt Patres.. 193–196

Art. Quartus—*De necessitate sacramenti pœnitentiæ*

Sacramentum pœnitentiæ ita institutum fuisse a Christo ut esset *medium omnino necessarium*, eo modo quo in thesi explicatur, definitum est a Conc. Trid... 196–197

THESIS XVI. — *Sacramentum pœnitentiæ, omnibus post baptismum in grave peccatum lapsis, necessarium est necessitate medii, sive in re, sive in voto ; et necessitate præcepti*.. 197

Prob. 1. p.—1) *ex Script.*—*a*) quia Christus Apostolis et eorum successoribus dedit claves regni cœlorum : ergo nemo, cui ob mortale peccatum clausa est domus æternæ beatitudinis, ingredi eam poterit nisi portæ ejusdem domus aperiantur ei ab illis qui claves habent—*b*) quia secus, ut argumentatur S. August., frustra claves Apostolis fuissent traditæ—nec obstat quod per baptismum etiam illi, qui claves non habent, valeant homines introducere in regnum cœlorum : siquidem potestas clavium est potestas judiciaria, et ideo proprie erga eos *tantum* exercetur, qui *sunt* in Ecclesia—*c*) quia necesse est ut judicio Apostolorum, eorumque successorum causæ omnes peccatorum dirimantur : constituti enim earum *judices* fuerunt—*d*) quia nisi fideles non modo *possent*, sed etiam *tenerentur* uti hoc medio ad peccatorum remissionem, non posset minister sacramenti efficere ut absque ejus auctoritate peccata non remittantur ; id autem efficere debet juxta verba Christi "*quorum retinueritis* [*peccata*] *retenta sunt*"—2) *ex doctrina Patrum* idem evincitur : ita Tertul., Pacianus, Origenes, Basilius, etc.—3) *ex difficultate et constanti usu confessionis* necessitas ejus ad obtinendam in sacramento pœnitentiæ peccatorum veniam indubie eruitur—*Prob. 2. p.*—quia usus medii absolute necessarii ad finem præceptum consequendum est de præcepto—hoc divinum præceptum obligare potest *per se*, et *per accidens*—De præcepto Ecclesiastico patet ex Conc. Later. IV., et Trid........................ 197–202

Difficultatibus Satisfit—Nulli hominum interclusus est aditus ad Deum per sinceram cordis contritionem—Sed hæc contritio si vera sit et perfecta, supposita Christi institutione, includere debet votum sacramentum pœnitentiæ suscipiendi—Verbum *retinere* cum referatur immediate ad culpas, sicut verbum *remittere*, non indicat nisi negationem veniæ—Christus constituit sacerdotes judices peccatorum etiam venialium, ad hæc quidem remittenda, sed non simpliciter retinenda ; potestas enim retinendi peccata coactionem importat, quæ minor esse debet in minoribus offensis—S. Ambrosius asserens satisfactionem ad pœnitentiam necessariam non esse, nomine satisfactionis non confessionem delicti significat, sed excusationem —Gratianus duas dicit fuisse opiniones de confessionis necessitate non quoad ipsum præceptum confitendi ; sed quoad veniam consequendam : quidam enim doctores ita necessitatem confessionis urgebant, ut negarent remissionem peccatorum extra illam ullo modo obtineri posse—Id verbis ejusdem Gratiani declaratur ; et inductione sapientum, qui Gratiano coævi aut suppares erant demonstratur—Conc. Cabilonense II. confessionem Deo factam commendat ; sed non negat, immo docet, confessionis sacerdoti faciendæ necessitatem 202–209

Art. Quintus—***De ministro sacramenti pœnitentiæ***

Notiones Præviæ

Hac in re erraverunt—*a*) Waldenses existimantes bonum laicum, et non malum sacerdotem potestatem habere remittendi peccata — *b*) Novatores sæc. XVI. qui hanc potestatem omnibus et singulis christianis tribuebant—*c*) Quidam pauci putantes id concessum Diaconis olim fuisse—Hos errores Conc. Trid. profligavit, definiens *solos* sacerdotes esse hujus sacramenti ministros—Item docuit præter potestatem ordinis ad valide absolvendum requiri *jurisdictionem*—hæc vel est *ordinaria*, vel *delegata*—Hinc sacerdotes jurisdictione carentes valide absolvere nequeunt—Id Synodus Pistoriensis negavit—quod a Pio VI. damnatur.......................... 209–212

THESIS XVII.—Sacramenti pœnitentiæ soli Sacerdotes sunt ministri. In ipsis ad valide in sacro tribunali pœnitentiæ absolvendum, præter potestatem ordinis, potestas jurisdictionis est requisita.................................. 212

Prob. 1. p.—(*de fide*)—*a*) *ex verbis Christi*, qui non omnibus fidelibus sed Apostolis ac eorum successoribus hanc potestatem contulit—*b*) *ex traditione* quæ id diserte docet—ita Tertul., Basil., August., Greg. M., libri liturgici, Euchologia Græcorum, decreta antiquorum Conciliorum—*Prob. 2. p.*—(*proxima fidei*)—*a*) *ex Conc. Trid.* quod docet invalidam esse absolutionem "quam *sacerdos* in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem"—*b*) *ex monumentis ecclesiasticis*—ita CC. Remense, Leodiense, Ticinense, Later. IV., Regula Chrodegangi—*c*) *ex reservatione casuum*—potestatem casus reservandi Ecclesia sibi asseruit et usu perpetuo, et anathemate lato in eos qui contradicerent—*d*) *ex ratione theol.*—Sententia non fertur nisi in subditos: hi autem per jurisdictionem assignantur.. 212–216

Difficultatibus Satisfit—Nomine *exomologesis* non sola sacramentalis confessio significabatur apud antiquos, et apud S. Cyprianum; sed etiam vel integra pœnitentia publica et solemnis, vel hujus pœnitentiæ gradus qui *substratio* dicebatur— Canon Conc. Tiburiensis mendose legitur in decretalibus —Ad pœnitentiæ ostentationem laico fieri posse confessionem docuit S. Th. —numquam tamen dixit laicum esse hujus sacram. ministrum extraordinarium. Eodem modo loquuntur Mag. Sent., et S. Bonav.—Sacerdotes in sua ordinatione potestatem accipiunt absolvendi, sed incompletam ad hos vel illos fideles absolvendos—Cum in foro interno auctoritas absolvendi divina sit, et judicium sacerdotale in hoc foro omnibus christianis peccatoribus sit necessarium, Pontifex, dum eligit sibi confessarium, eo ipso confert illi in seipsum jurisdictionem.. 216–221

Art. Sextus — ***De materia sacramenti pœnitentiæ remota et proxima***

Notiones Præviæ

Materia *remota* pœnitentiæ sunt omnia peccata post baptismum commissa—ex his mortalia nondum confessa materiam constituunt necessariam; patet ex dictis de necessitate hujus sacram—venialia vero, et mortalia jam confessa et absoluta, materiam constituunt sufficientem et liberam—Id probatur *quoad venialia*—*a*) ex Bulla "auctorem fidei"—*b*) ex verbis, quibus Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi peccata—*c*) ex praxi Eccles., et PP. declarationibus—*quoad mortalia* jam confessa et absoluta probatur—*a*) ex auctoritate Benedict. XI.—*b*) ex consuetudine piorum fidelium—*c*) ex ipsa

sacramenti pœnitentiæ institutione—Verba formæ hunc præseferunt sensum, *ego confero tibi gratiam, quantum de se est, remissivam peccati*—hic sensus semper manet verus, etiamsi peccata jam in subjecto remissa inveniantur—Hæc ex S. Thoma confirmantur—Circa materiæ *proximæ* determinationem DD. diversimode opinati sunt—quidam dixerunt esse impositionem manuum sacerdotis verba absolutionis proferentis—rejicitur hæc sententia—Durandus contendit proximam sacramenti materiam esse pœnitentis confessionem—hæc opinio si rite intelligatur a communi non differt—Scotus, quem sequitur Maldonatus, docuit sacramenti pœnitentiæ essentiam in sacerdotis absolutione totam consistere—Communior inter theologos sententia illa est quæ in thesi vindicatur 221–227

THESIS XVIII.—Tres pœnitentis actus, contritio nempe, confessio et satisfactio sunt sacramenti pœnitentiæ materia proxima........................ 227

Prob.—1) *Auctoritate CC. Florent. et Trident.* quæ statuunt: "quasi materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem"—illa locutio *quasi materia* apponitur ad declarandum in hoc sacramento materiam non esse *sicut* in aliis sacramentis materia est—2) *auctoritate S. Thomæ,* quæ in re præsenti maxima est—3) *ex natura ipsa sacramenti,* quod enim institutum fuit ad modum judicii reconciliativi necessario includit actus pœnitentis........................... 227–232

Difficultatibus Satisfit—Concilia satisfactionem dicunt esse de essentia sacramenti, quatenus firmum propositum satisfactionem injunctam subeundi significant—Contritio sensibilis est prout a pœnitente signis externis, et ipsa confessione dolorosa manifestatur—Dolor et confessio rei licet non pertineant ad substantiam judicii forensis, pertinent tamen ad substantiam judicii reconciliativi, quod in hoc pœnitentiæ sacramento Christus instituit—Non est sacramenti minister, qui materiam ejus suppeditat; sed qui applicando formam materiæ conficit signum sacramentale—Sacramentum sanctificat ratione *totius* signi sacramentalis, in suo esse constituti.... 232–235

Art. Septimus—***De contritione ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum requisita***

Contritionem perfectam ad remissionem peccatorum mortalium *semper* requiri docuerunt Petrus Lomb., S. Bonav., etc.—ut hanc sententiam emollirent, quidam, inter quos Henricus, dixerunt contritionem *per se* necessariam semper esse, *quandoque* tamen attritionem sufficere—Communissima, et moraliter certa sententia docet contritionem, sive veram, sive existimatam, in sacramento pœnitentiæ non requiri, sed sufficere attritionem—utrum vero *amor initialis* requiratur, ut attritio in sacram. pœnit. ad gratiam consequendam disponere possit, disputatur—amor initialis, varia significatione, pro variis contendentium opinionibus sumitur—Decretum Alexandri VII. statuens ne censura ulla his opinionibus inuratur, non impedit, ut notat P. Viva, quominus aliqua ex iis dici possit improbabilis, et falsa—Quid hac in re teneri debeat in thesi statuitur.......................... 235–238

THESIS XIX.—Ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, perfecta contritio non requiritur; sed attritio, ut talis etiam cognita, sufficit. Hæc autem attritio, quæ ex parte finis et termini dilectionem Dei, seu caritatem, profecto respicit, nullum alium amorem erga Deum, ex parte subjecti et principii, comprehendere debet, ut proxima ad gratiam sacramenti dispositio sit, præter amorem spei, quo Deus diligitur ut nobis bonus.. 238

Prob. 1. p.—*a*) *ex institutione et natura sacramenti:* si enim ante hujus sacram. susceptionem contritio semper requireretur, pœnitens in sacramento, et per sacramentum Deo numquam reconciliari posset, nec a peccatis *vi clavium* absolvi — 2) *ex doctrina Patrum*, juxta quos morientium salus ita ab absolutione sacerdotis pendere potest, ut defectu hujus absolutionis quandoque damnentur— quod falsum esset si contritio ad absolutionem obtinendam requiretur—3) *ex Conc. Trid.*—quod (sess. 14. capit. 4.) docuit duplicem dari dispositionem ad consequendam gratiam justificationis: unam *extra sacramentum*, quæ est contritio; altera in sacramento, quæ est attritio—Quod Conc. loquatur de attritione prout est *dispositio proxima*, ex ejusdem capitis contextu ostenditur—4) *ex declarationibus post Conc. Trid. latis:* ita clerus gallicanus in Conciliis generalibus, an. 1700.; et Facultas Parisiensis, an. 1638.—5) *ex suavitate legis Evangelicæ*, quæ suavior et facilior non esset si contritio perfecta in pœnitentiæ sacramento requireretur—*Prob. 2. p.*—1) *attritio ex parte termini et finis respicit Dei dilectionem:* quia pœnitens ad sacramentum reconciliationis accedit, ut in Dei amicitiam iterum admittatur—2) *comprehendit amorem spei, quo Deus diligitur ut nobis bonus*—patet ex Conc. Trid., et ex ipsa natura attritionis—3) *non requiritur ut attritio alium amorem comprehendat* quia hic amor—*a*) nequit esse caritas perfecta licet remissa: patet ex dictis in prima parte—*b*) non potest esse dilectio Dei imperfecta: hæc enim neque cor hominis a rebus creatis inordinate amandis avertit—neque voluntatem ad Dei legem implendam inclinat—Mens Conc. Trid. hac de re fusius explicatur, et adversariorum exceptionibus satisfit.. 238–248

SCHOLION 1.—Cum PP., de sacerdotali potestate in sacram. pœnit. loquentes, afferunt exemplum Lazari, quem prius a morte Dominus suscitavit, deinde discipulis commisit a fascis solvendum, veram sacerdotum judicialem potestatem non negant; sed gratiæ excitantis et adjuvantis necessitatem adstruunt ad odium peccati, et ad sinceram peccatorum confessionem. 248–249

SCHOLION 2.—In sacramento homo ex attrito fit contritus, quoad æquivalentiam et quoad effectum.. 249

SCHOLION 3.—Licite ad sacramentum pœnitentiæ accedit peccator cum attritione supernaturali, quæ concepta ex timore gehennæ excludat voluntatem peccandi, et sit cum spe veniæ, quin insuper aliquis alius actus dilectionis Dei in eo requiratur.. 249–252

SCHOLION 4.—Circa "propositum non peccandi de cetero" quod in pœnitente requiritur, tres theologorum sententiæ referuntur—Merito, S. Alphonsus dixit sententiam, quæ exigit propositum formale et expressum, sua non carere probabilitate.. 252–257

Art. Octavus—***An sacramentum pœnitentiæ possit esse validum et informe***

Sacramentum est *validum*, quod a legitimo ministro conficitur rite applicando formam sacramenti materiæ—*informe*, quod impedimentum ad infusionem gratiæ invenit ex parte subjecti—Circa propositam quæstionem duplex datur sententia—communior est negativa—qui affirmativam sequuntur eam diversimode explicant—his relictis, duos tantum casus Suarez, et de Lugo commemorant in quibus admittunt sacramentum pœnitentiæ validum esse, et simul informe.. 257–258

THESIS XX.—Nequit pœnitentiæ sacramentum esse validum et informe.... 258

Prob.—1) Non datur in casu attritionis existimatæ: quia sacramentum nequit esse validum, si desit pars materialis, ex qua sacramentum essentialiter constare debet—talis autem est attritio, et deest in eo, qui habet attritionem existimatam—confirmatur a simili: sicut aqua existimata, etiam invincibiliter, non est materia baptismi sufficiens; ita et attritio existimata in sacram. pœnit.—Ratio præcipua adversariorum, petita ex anxietate quæ secus in pœnitente oriretur, nullius est momenti—2) sacramentum pœnitentiæ validum et informe esse nequit in casu a Suaresio, et de Lugo admisso—Agitur de homine, qui duo lethalia admisit, et unius invincibiliter est oblitus, de alio, *vera attritione*, dolet propter specialem ejus turpitudinem—In hoc casu sacramentum esse *validum* et *formatum* patet—quia ex parte pœnitentis concurrunt omnia, quæ materiam sacramenti exhibent, et eum proxime disponunt ad gratiam in sacramento recipiendam—CC. Florent. et Trident. numquam distinguunt inter attritionem, quæ sit *pars materialis constitutiva* sacramenti et attritionem quæ sit *dispositio* ad gratiam —Peccator, si *veram* habet attritionem, licet ex consideratione specialis turpitudinis alicujus peccati ad attritionem motus fuerit, de alio etiam peccato, cujus invincibiliter non recordatur, *implicite* dolet—id constat—*a*) ex natura ipsa attritionis—*b*) ex doctrina Conc. Trid.—3) Idem dicendum in casu P. de Lugo de peccatore qui accederet ad sacramentum pœnitentiæ cum dolore de aliquo peccato, sed non de omnibus, quia invincibiliter crederet id fieri posse: si pœnitens de aliquo habet *veram attritionem*, ceteris voluntate non adhæret—Hæc omnia auctoritate S. Thomæ confirmantur 260–265

Art. Nonus—*De confessione*

Notiones Præviæ

Confessio peccatorum *materialiter* integra dicitur illa in qua quis omnia omnino peccata mortalia a se commissa secundum speciem et numerum confiteatur—hæc *per se* ad sacram. pœnit. recipiendum requiritur—*formaliter* integra est illa in qua peccata mortalia accusantur, quæ hic et nunc a pœnitente in confessione accusari possunt—hanc quandoque sufficere ostenditur in thesi, in qua quædam alia attinguntur.......................... 265

THESIS XXI.—Ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum sufficit confessio formaliter integra, cum impotentia physica, vel moralis obstat quominus a pœnitente confessio materialiter integra perficiatur: sed sacerdoti absenti per litteras aut per internuncium confessio non potest fieri.—Porro ex omni et sola confessione sacramentali obligatio sigilli exurgit; qua ille, qui confessionem audivit, perpetuo arctissimeque tenetur nemini unquam ea quæ sibi pro confessione pœnitentis credita fuerunt, absque ipsius pœnitentis venia, revelare....... 266

Prob. 1. p.—*Si adsit impotentia physica*—*a*) quia Christus, cum confessionis legem instituit non voluit, ut supra id quod possent homines obligaret—*b*) quia ita declaraverunt Concilia et Romani Pontifices—*c*) quia Rituale Romanum id aperte asserit—*d*) quia hæc est universalis et perpetua praxis Ecclesiæ — *Si adsit impotentia moralis*—quia præceptum confessionis est *positivum*— ergo dari possunt casus in quibus ab hoc præcepto *totaliter* implendo pœnitens eximatur—hi vero casus in Theol. Moral. perpenduntur —*Prob.* 2. *p.*—ex celebri decreto Clementis VIII.—hoc decreto non tantum damnatur confessio absenti facta cum absolutione ab absente sacerdote post confessionem prolata (*copulative*); sed etiam ipsa confessio absenti

facta per litteras, vel per internuncium (*disjunctive*)—hoc *authentice* declaratum fuit ab eodem Pontifice, et a Paulo V. in Cong. S. O.—Hujusmodi confessionem non modo *illicitam* sed *invalidam* esse, communiter theologi docent—Licet confessio aliquando fieri possit a pœnitente nutibus aut scripto, aut per interpretem, *in absentia* tamen sacerdotis, qui confessionem suscipiat, non potest perfici—id etiam ex Ecclesiæ consuetudine constat: immo ex ipsa sacramenti institutione— *Prob.* 3. *p.*— Obligatio sigilli ex *omni* et *sola* confessione sacramentali oritur, quia nonnisi *sacramento* sigillum adnexum est—Et hæc obligatio oritur—*a*) ex eo quod tenemur jure naturali, et divino non revelare occulta proximi ne infametur—*b*) ex eo quod pœnitens silentium circa ea quæ revelat tacite condicit—*c*) potissimum ex injuria quæ sacramento fieret, si aliquando secretum confessionis revelaretur—Id optime declaratur a Suarez—Extat præterea hac de re præceptum ecclesiasticum—ita S. Greg. M. et Conc. Later. IV.................... 265–272

Art. Decimus—*De satisfactione*

Satisfactio alia est *extrasacramentalis*, quæ proprio arbitrio a peccatore assumitur—alia *sacramentalis*, quæ in sacro tribunali pœnitentiæ a sacerdote imponitur—hæc ad integritatem sacramenti pertinet—Protestantes omnem satisfactionis necessitatem rejicere conati sunt—Hæreticas eorum assertiones Conc. Trident. refutavit—Executionem satisfactionis sacramentalis absolutioni præmittendam esse docuerunt Petrus de Osma, Jansenistæ—Hunc errorem damnaverunt Sixtus IV., Alexander VIII., et Pius VI.—Catholica doctrina de sacramentali satisfactione in thesi vindicatur.......... 272–275

THESIS XXI.—Non semper simul cum culpa tota pœna peccatori a Deo remittitur; sed æterna pœna sublata, plerumque pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ remanent expiandæ; quæ tamen piis et laboriosis operibus in hac vita redimi queunt. Possunt igitur, immo debent, sacramenti pœnitentiæ ministri salutares ac convenientes satisfactiones pœnitentibus injungere;—quæ non necessario, sive ex præcepto Christi, sive ex natura sacramenti, ante absolutionem sacerdotis implendæ sunt, sed recte post absolutionem acceptam expleri possunt. 275

Prob. 1. p.—1) Tota pœna temporalis non semper simul cum culpa remittitur a Deo—id ex dogmate *de Purgatorio* deducitur—et directe demonstratur—*a*) *ex Script.* quæ passim exempla exhibet de illis, qui veniam de commisso peccato obtinuerunt, et qui nihilominus pœnas temporales subierunt: ita Adam, Moyses, David etc.—*b*) *ex Patrum doctrina*, quos habere adversos Calvinus ipse non diffitebatur—2) Pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ possunt in hac vita piis et laboriosis operibus redimi—id constat—*a*) *ex Scriptura* quæ id aperte ostendit—*b*) *ex usu Ecclesiæ*—*c*) *ex Patrum testimoniis:* ita Tertull., Cyprianus et alii—*Prob.* 2. *p.*—1) *ex perpetua et universali praxi Ecclesiæ*, quæ innotescit—*a*) ex antiqua pœnitentiæ publicæ disciplina—*b*) ex libris pœnitentialibus—*c*) ex Conciliis—*d*) ex Patrum documentis—2) *ex rationibus theologicis*, quas Trid. Synod. innuit sess. 14. cap. 8.—Casus, in quibus sacerdos potest pœnitentem absolvere non imposita pœnitentia, enumerat Card. De Lugo—*Prob.* 3. *p.*—1) *ex universalis Ecclesiæ praxi*, quæ jam a pluribus sæculis viget—2) *ex ipsa antiquissima Eccles. praxi*—Documenta ex CC. et PP. afferuntur—3) *ex ratione theologica*—quia satisfactio actu a pœnitente exhibita non pertinet ad essentiam sacramenti—quia fundamentum,

quo innituntur Janseniani, hoc contendentes, falsum est, et proscriptum a Conc. Trid.—quia injuria fieret pœnitentibus dispositis, si differretur absolutio—P. Viva 275–285

Difficultatibus satisfit—Patres, qui docent peccatorem absolvi non posse nisi satisfactionem Deo exhibuerit, non loquuntur de satisfactione imposita a sacerdote; sed de illa quæ Deo exhibetur per contritionem, et confessionem—Quæ objiciuntur ex S. Cypriano et Theodoreto ad rem non facere ex verbis eorumdem Patrum ostenditur 285–287

Art. Undecimus—*De forma sacramenti pœnitentiæ*

Quæstiones quæ hac de re agitari solent in thesi solvuntur.

THESIS XXIII.—1) *Licet, ex præscripto Ecclesiæ, forma hæc a sacerdote, dum pœnitentem absolvit, proferri debeat: "Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen;"*—2) *sola tamen verba "Absolvo te" essentialem sacramenti pœnitentiæ formam constituunt:—quæ*—3) *non significat, Ego te ostendo aut declaro a peccatis absolutum; nec*—4) *significat, Ego te absolvo ab obligatione subjiciendi peccata clavibus; nec*—5) *demum, Ego absolvo te a pœna peccatis debita;—sed*—6) *hanc præsefert significationem, Ego sacramentum absolutionis tibi impendo: ideoque significat: Ego tibi gratiam confero, quantum de se est, remissivam peccati.—Et*—7) *hæc pœnitentiæ forma non potest scriptura aut nutibus, intentionem sacerdotis absolventis manifestantibus, proferri; sed*—8) *verbis voce prolatis, et ad pœnitentem, qui ministro sacramenti præsens sit, directis, exprimi debet* 287

Prob. 1. p.—*a*) ex CC. Florent. et Trident.—*b*) ex Rituali Romano—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex communi doctorum sententia—*b*) ex Catech. Conc. Trid., qui id aperte tradit—*c*) ex paritate cum judicio forensi—*d*) ex refutatione aliarum opinionum—*Prob.* 3. *p.*—ex dictis de natura sacramenti pœnitentiæ; et confirmatur ex Richardo a S. Vict. qui sententiam, quam impugnamus, *frivolam*, et *ridendam* vocat—*Prob.* 4. *p.*—*a*) quia solvere quemdam *ab obligatione præcepti* non est *peccata remittere:* Christus autem hanc potestatem dedit sacerdotibus—*b*) quia secus absolvi non posset, qui peccata venialia, aut lethalia jam absoluta, confiteretur—*c*) quia quis absolvi potest, quin ab obligatione confitendi peccata solvatur—*d*) quia in hac hypothesi verba absolutionis gratiam non significarent—*Prob.* 5. *p.*—ex primis duabus rationibus pro præcedenti parte allatis—*Prob.* 6. *p.*—ex verbo *absolvo*, quod peccati remissionem significat; peccatum autem remitti non potest sine infusione gratiæ: hinc, juxta subjectam materiam, significat *primario* et *immediate* gratiam, quatenus remissiva est peccati—ex dictis evanescit difficultas quæ fieri solet contra veritatem formæ absolutionis, quandoque super hominem jam justificatum prolatæ.—*Prob.* 7. *p.*—*a*) ex doctr Conc. Flor. quod statuit sacramenta N. L. constare *verbis*—Conc. intelligere verba *voce expressa* patet ex illis, quæ addit "Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos *profert*, cum *dicit:* ego te absolvo etc."—idem constat ex illis quæ docet de sacramento matrimonii—*b*) ex ipsa Christi institutione—hanc fuisse Christi mentem eruitur ex sensu et traditione Ecclesiæ—Quæ adversarii objiciunt solvuntur—*Prob.* 8. *p.*—*a*) ex decreto Clem. VIII.—*b*) ex ipsa forma sacramenti: locutio enim humana ad alium directa ordinatur natura sua ad personam præsentem—*c*) ex Ecclesiæ praxi—Nulla datur paritas inter necessitatem integritatis materialis, et necessitatem præsentiæ pœnitentis—neque inter absolutionem a censuris, et absolutionem a peccatis—Exempla

quæ afferri solent non spectant sacramentalem absolutionem, sed ceremonialem 287–299

SCHOLION—*De forma sacramentalis absolutionis deprecativa*—Formam indicativam non esse adhibendam, sed potius formam deprecativam, docuit anonymus quidam sæculo XIII.—hanc sententiam Sanctus Thomas vocat *valde temerariam*—Eam tantisper emollivit, et sic innovatam, vindicavit Morinus, docens formam perinde exprimi *posse* verbis sive deprecatoriis, sive indicativis — immo *de facto* utroque modo *adhibitam fuisse* in Ecclesia — Morini sententiam secuti sunt quidam alii theologi; sed non omnes eodem pacto—De Lugo docet: formam valere non posse sub modo deprecativo—hancque testatur fuisse communem sententiam theologorum circa medium sæc. XVII.—huic nos subscribimus—Quod forma absolutionis *formaliter* deprecativa adhiberi non possit, nec potuerit, probatur—*a*) *ex sacramenti pœnitentiæ institutione ;* forma enim a sacerdote, qui *judex* est, ad modum sententiæ proferri debet, quæ nonnisi verbis indicativis judicialiter pronuntiatur — *b*) *ex verbis Christi :* "quorum *remiseritis* peccata" — *c*) *ex doctrina CC. Florent. et Trident.*—hoc argumentum ex objectionibus adversariorum vindicatur—*d*) *ex auctoritate S. Thomæ*—Testimonia S. Doctoris afferuntur—Argumenta, quibus sententia nobis adversa confirmatur, perpenduntur—Patres—præsertim S. Augustinus in causa Donatistarum—Gulielmus Parisiensis — Libri pœnitentiales, Sacramentalia, et Pontificalia Eccles. Occidentalis—Euchologia Græcorum—Instructio Clementis VIII.—Hæc fideliter referuntur, et pro singulis responsiones adduntur.... 299–315

APPENDIX

DE INDULGENTIIS

Ecclesia potestatem a Christo accepit, qua satisfactoriam pœnam pro peccatis jam remissis adhuc debitam, in totum vel in partem remittere potest—hæc remissio a Patribus antiquioribus vocatur *relaxatio, donatio*, aut *condonatio* —recentiori ætate in Ecclesia *indulgentia* dicitur—Indulgentia igitur definitur: "remissio pœnæ temporalis pro peccatis personalibus, quoad culpam et pœnam æternam remissis, adhuc debitæ, facta extra sacramentum, per applicationem thesauri Ecclesiæ a superiore legitimo"—Hæc definitio evolvitur, et variæ indulgentiæ divisiones indicantur—Ad indulgentiam plenariam et solemnem revocari debet *Jubilæum*—Circa genuinam Indulgentiarum rationem, et potestatem Ecclesiæ factam ad illas concedendas erraverunt Montanistæ ac Novatiani—Waldenses, quos secuti sunt Wicleffitæ et Hussitæ—Novatores et alii—Ecclesiæ documenta huc spectantia afferuntur, et quid in eis statuatur ut *de fide*, vel ut *fidei proximum* juxta communem theologorum sententiam, declaratur.......................... 316–320

THESIS UNICA—1) *Est in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, quæ*—2) *valeant non solum coram ipsa in foro externo, sed etiam in foro interno coram Deo ; ita*—3) *ut ex thesauro satisfactionum Christi atque Sanctorum superabundantium, per applicationem earum singulis factam, possint fideles a pœna*

temporali pro peccatis remissis adhuc divinæ justitiæ debita, sive totaliter, sive partialiter liberari, et—4) *animæ fidelium defunctorum adjuvari, Indulgentiis eisdem applicatis per modum suffragii*.. 321

Prob. 1. p.—*a*) *ex Scripturis:* verba quæ referuntur Matth. XVI. 19.; XVIII. 18. sine limitatione intelligenda esse ex Traditione, et ex ratione clare intelligimus—Aliud argumentum recte desumitur ex verbis, Joan. XX. 23., quibus Ecclesiæ potestas plenissima remittendi peccata collata fuit—Hac potestate usus fuit Apostolus, ut patet ex I. ad Cor. V.—*b*) *ex Traditione:* praxis fuit in Ecclesia relaxandi pœnitentiam in peccatorum satisfactionem adhuc solvendam, *intuitu intercessionis martyrum* seu *libellorum* — hujus praxis testes sunt Tertullianus et Cyprianus—Huc accedunt statuta Conc. Ancyrani, et Nicæni I.—Decreta Urbani II., et Eugenii III.—Conc. Later. IV.—*Prob.* 2. *p.*—*a*) *ex locis Script. jam citatis* "Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et *in cœlo*"—*b*) *ex documentis Traditionis superius allatis*—*c*) *ex Decreto Conc. Trid. de indulgentiis, et ex aliis Decretis*—*Prob.* 3. *p.*—Ante probationem quædam notantur—Sermo est de meritis quatenus hæc *satisfactoria* sunt—ad essentiam indulgentiæ merita Sanctorum non *necessario* requiruntur, sed se habent tantum ad instar *adminiculi*—thesaurus de quo agitur exurgit ex meritis Sanctorum tum in cœlis, tum in terra degentium—merita Sanctorum nobis ab Ecclesia applicantur eadem ratione, qua nobis applicantur extra sacramentum merita Christi—Hinc tria probantur—1) thesaurum dari constantem *potissime* ex superabundantibus Christi satisfactionibus, et *etiam* ex Sanctorum meritis satisfactoriis—2) hujus thesauri dispensationem auctoritati et ministerio Ecclesiæ Christum commisisse—3) ex hoc thesauro Ecclesiæ Indulgentias fuisse concessas—Hæc probantur ex Scriptura, ex Ecclesiæ documentis, et ex auctoritate Doctorum—*Prob.* 4. *p.*—*a*) ex Decretis Pontificum, qui oppositam doctrinam damnaverunt—*b*) ex concessionibus factis—*c*) ex argumentis, quibus catholici demonstrant suffragia hic oblata animabus in purgatorio detentis prodesse—*d*) ex dogmate de communione Sanctorum—*e*) ex natura thesauri, unde Indulgentiæ conceduntur—Hæc omnia confirmantur ex Decretali Leonis X.—Ex dictis Indulgentias maxime christiano populo esse proficuas ostenditur.............. 321–340

SCHOLION—Nonnulla adduntur, quæ spectant concessionem, usum et effectum Indulgentiarum—Indulgentias concedere possunt *Papa*, et *Episcopi* sed non eodem modo—*Legati apostolici* ex commissione S. P. in loco legationis—*Summus Pœnitentiarius* Romæ — *Cardinales* in Ecclesiis suis titularibus, licet ad sacerdotium non sint evecti—Id autem præstare non possunt *Abbates, Generales Ordinum Religiosorum*, et *Parochi*—Ad valorem Indulgentiarum requiri *justam causam* Doctores omnes docent—quæ hac in re videntur communius admissa, et admittenda, declarantur—Ad lucrandas indulgentias *pro vivis* concessas requiritur—*a*) intentio, saltem virtualis—*b*) ut ultimum saltem opus perficiatur in statu gratiæ—*c*) executio integra omnium operum —*d*) ad Indulgentiam plenariam requiritur ut quis omnia peccata etiam venialia detestetur—Quoad Indulgentias *defunctis applicandas* requiritur—*a*) auctoritas Apost. Sedis ad eas concedendas—*b*) justa causa particularis—*c*) ut ille, qui Indulgentiam defunctis applicare velit, habeat talem intentionem saltem virtualem, et adimpleat opus injunctum—Utrum in eo requiratur status gratiæ, saltem dum ultimum opus implet, disputatur inter theologos

—probabilius non requiritur—Item non conveniunt inter se theologi, utrum indulgentia per modum suffragii sit semper infallibilis—multi tenent semper illam pendere ex libera acceptatione et misericordia Dei: sed hæc sententia gravissimis aliis theologis non arridet, et quidem, ut videtur, merito. 340–346

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE

Sacramentum quod a sæculo XII. communiter *Extrema Unctio* appellatur inter Latinos, diversis aliis nominibus a scriptoribus ecclesiasticis designatur—Merito de eo agitur postquam de Pœnitentia actum fuerit; est enim quodammodo consummativum totius spiritualis curationis—et ultimum eorum, quæ ad perfectionem unius personæ ordinantur—Quæ respiciunt ejus existentiam, materiam etc. sequentibus articulis declarantur...... 347

Art. Primus—***De sacramenti Extremæ Unctionis existentia***

Notiones Præviæ

Veritatem sacramenti Extremæ Unctionis negaverunt Albigenses, Wicleffitæ, et Hussitæ—utrum Waldenses eam pariter rejecerint necne, non constat apud eruditos—Hunc errorem renovaverunt Luth. et Calvin. quos alii Novatores sequuti sunt—Catholica doctrina hac de re definita fuit a Conc. Trid. sess. 14.—Circa unctionem ab Apostolis adhibitam, de qua loquitur Marcus (vi. 13.) duplex datur sententia—una contendit fuisse ipsum N. L. sacramentum—altera contrarium tenet—hæc probabilior videtur...... 348–354

THESIS I.—Ex Ep. Jacobi, v. 14. 15., *et ex perpetua Traditione Ecclesiæ demonstratur Extremam Unctionem vere et proprie novæ legis sacramentum esse.* 354

Prob. 1.—In his verbis indicantur ea omnia, quæ ad verum et proprium N. L. sacramentum requiruntur—etenim indicatur—*a*) *signum sensibile*, olei unctio, et oratio presbyteri—*b*) signum *collativum gratiæ:* patet ex verbis "alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit remittentur ei" quod sine gratiæ sanctificantis collatione fieri nequit—*c*) *institutio Christi:* solus enim Christus, Deus et homo, institutor omnium sacramentorum, unctionem collativam gratiæ instituere potuit—*d*) institutio *permanens:* illa enim epistola ad omnes Ecclesias sine ulla locorum, aut temporum limitatione dirigitur—idem confirmatur ex contextu—Catholica hæc interpretatio textus S. Jacobi illustratur ex refutatione interpretationis confictæ ab adversariis —Apostolus non loquitur de unctione, quæ ex dono miraculorum sanaret corpus—id ex singulis textus vocibus deducitur—Particula hypothetica *si* non afficit verbum *remittentur*, sed verbum substantivum *sit:* ideoque conditio illa tota est ex parte hominis—Cum dicitur *oratio fidei*, non subjectiva fides ministri, sed fides objectiva significatur—Pluralis numerus (*presbyteros Ecclesiæ*) usurpatur pro quolibet e cœtu—id ex frequentato loquendi modo, etiam in Script. confirmatur—Verba *alleviabit eum Dominus*

non significant solam corporis sanitatem: hæc indicata fuit verbis præcedentibus.—*Prob.* 2.)—*Ex Traditione*—Loca Patrum, quæ clarius veritati catholicæ testimonium exhibent, referuntur: ita Origen., Chrys., Innoc.; Cæsarius Arelat., Petrus Dam., Goffridus Vindoc.—His adduntur *Liber Sacramentorum* S. Greg. M., et *Pontificale* S. Prudentii Trecensis, in quibus ritus Extremæ Unctionis describitur—Idem ostenditur ex Conciliis: ita Cabil. II., Aquisgran., Ticinen., Mogunt., Wormatien., Lugdunen. II., Florent.—Exempla Sanctorum demonstrationem confirmant—tria facta, brevitatis gratia, indicantur—Demum indicatur *argumentum præscriptionis.* 354–366

Art. Secundus—***De sacramenti Extremæ Unctionis materia remota, et proxima***

Notiones Præviæ

Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum ab episcopo benedictum: ita theologi omnes—sed controversia fuit circa *necessitatem* benedictionis episcopalis ad Extremæ Unctionis oleum consecrandum—quidam dixerunt necessitatem illius benedictionis oriri ex solo præcepto Ecclesiæ—alii ad sacramenti validitatem eam esse requisitam—Materia proxima consistit in *unctione*, qua corpora infirmorum linuntur oleo benedicto: hinc rejicitur sententia quorumdam qui, ut refert S. Thomas, contendebant materiam proximam esse *usum* sacramenti jam confecti—Quod autem numerum unctionum spectat, sententiam, quæ requirit unctionem quinque sensuum, S. Alphonsus communiorem, et tutiorem appellavit—Attamen, eodem testante, probabilis est sententia, quæ tenet quintuplicem unctionem fieri ex præcepto ecclesiastico, ideoque unicam unctionem sufficere ut valide Extremæ Unctionis sacramentum conficiatur—hanc sententiam recentiores communius tradunt.. 366–368

THESIS II.—Materia remota sacramenti Extremæ Unctionis est oleum ex olivis expressum, et benedictum ab episcopo, vel etiam a presbytero ex concessione sive expressa, sive tacita Romani Pontificis. Materia vero proxima, in actione ungendi oleo benedicto infirmum certe consistit; quæ pro sacramenti validitate ut videtur probabilius, non debet esse quintuplex ad quinque hominis infirmi sensus perungendos, sed etiamsi unica sit sufficit...................... 369

Prob. 1. p.—*a*) Ex verbis S. Jacobi "*ungentes oleo*"—*b*) ex perpetuo usu Ecclesiæ et traditione—*c*) ex Catechismo Conc. Trid.—*Prob.* 2. *p.*—Requiri oleum ab episcopo benedictum docent documenta ecclesiastica in I. thesi citata—Omnem dubitationem hac in re excludunt Decreta Pauli V. et Gregorii XVI.—*Prob.* 3. *p.*—Presbyteros posse ex delegatione apostolica oleum infirmorum benedicere constat—*a*) ex vetustissima praxi apud Græcos, Armenos, aliosque orientales—*b*) ex responso a Papa Pio VI. dato pro quibusdam Galliarum diœcesibus—*Prob.* 4. *p.*—*a*) materia proxima est ipsa *unctio:* constat ex supra dictis, et ex Conc. Trid.—*b*) Septem unctiones in diversis corporis partibus sunt præscriptæ pro sacramenti administratione: ita Conc. Florent., et Rit. Rom.—*c*) unctiones pedum, et renum non sunt necessariæ ad validam sacramenti administrationem; patet ex communi DD. sententia, et quoad renum unctionem ex Rit. Rom.—*d*) ut valide sacramentum conficiatur quintuplex unctio necessaria non videtur, sed unica esse potest: ita communior recentiorum theologorum sententia—et merito

—*quia* ex Scriptura talis necessitas non eruitur, sed potius erui videtur unam esse satis—*quia* hoc, teste Benedicto XIV., clare innuitur a diversa in unctionum numero disciplina—quæ diversitas variis documentis comprobatur—*quia* idem Ritualia et Pastorales quædam ordinationes aperte tradunt—*quia* Conc. Florent. eodem modo enumerat quinque unctiones corporis sensibus correspondentes ac unctiones renum et pedum...... 372–376

SCHOLION 1.—Controvertitur inter theologos utrum oleum debeat necessario esse benedictum *in ordine* ad Extr. Unct.—Si oleum benedictum deficiat, ei adjungi potest, etiam pluribus vicibus, oleum non benedictum, sed in minori quantitate quam oleum, cui hoc non benedictum additur.... 376–377

SCHOLION 2.—Episcopus in sua Synodo nihil debet circa numerum unctionum decernere: ita Benedictus XIV.................................... 377

Art. Tertius—***De forma sacramenti Extremæ Unctionis.***

Ad conficiendum sacramentum Extremæ Unctionis requiritur forma verbis expressa—hæc a Christo Domino *secundum sensum* determinata fuit—ita ex dictis in Tract. *de Sacr. in genere*—Hinc nulla difficultas oriri potest ex formarum varietate—hujusmodi differentiæ ipsam substantialem significationem non attingunt.. 378

THESIS III.—Forma sacramenti Extremæ Unctionis est precatio, quæ a sacerdote dum oleo benedicto infirmum ungit pronuntiatur, quæque indicat animam ægri per illum ritum invisibiliter gratia inungi.......................... 379

Prob.—1) ex verbis S. Jac. "*orent* super eum . . . et *oratio* fidei" etc.—2) ex auctoritate Conc. Florent. et Trident.—3) ex Rit. Romano—4) ex forma in Eccles. Græca adhibita—5) ex libro Sacram. S. Gregorii, ex codicibus Arremanensi et Ratoldi Abbatis, ex Pontificali S. Prudentii Trecensis, et ex Theodulpho Aurel.—6) Formæ, quæ appellantur *indicativæ* et *absolutæ* deprecationem continent, ac proinde per modum orationis proferuntur, et *quoad substantiam* ab aliis non differunt—Id intelligitur de *formis* ad conficiendum sacramentum essentialibus—hujus rei declaratio ex S. Bonaventura.. 379–383

SCHOLION 1.—Ratio cur Extremæ Unctionis forma sit deprecativa invenitur in ipsa institutione Christi—hujus institutionis rationes convenientiæ a S. Thoma proponuntur.. 383–384

SCHOLION 2.—Albertum Magnum nobiscum sentire, ex ejus scriptis invicte demonstratur.. 384–386

Art. Quartus—***De ministro sacramenti Extremæ Unctionis.***

Solum sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum definivit Conc. Trid.—et juxta catholicam doctrinam unus sacerdos ad hoc sacramentum conficiendum certe sufficit—Apud Græcos septem, vel saltem tres sacerdotes adhibentur—in ipsa Latina Eccles. plures sacerdotes fuisse olim adhibitos ex indubiis documentis historicis deducitur—hæc tamen praxis numquam fuit universalis.. 386–387

THESIS IV.—Soli sacerdotes sunt ministri sacramenti Extremæ Unctionis; quod licet a pluribus presbyteris aut episcopis administrari possit, semper tamen ab unico etiam sacerdote valide conficitur.................................. 387

Prob. 1. p.—1) ex verbis S. Jacobi "Inducat *presbyteros* Ecclesiæ"—nomine presbyterorum hic intelligi *sacerdotes* constat—ex aliis Script. N. T.—ex contextu verborum S. Jacobi—ex ipsa confessione quorumdam interpretum

protestantium—2) ex Traditione: Patres enim et Ritualia non alium hujus sacramenti ministrum designant, quam sacerdotes—3) ex ratione congruentiæ: potestas sanctificandi fideles est propria sacerdotum, hoc autem sacramentum ordinatur suo modo ad fideles sanctificandos—Innocentius I. permittens fidelibus laicis ut oleo Extr. Unct. uterentur, id permisit *devotionis causa*, non vero ut hi sibi, vel aliis sacramentum administrare valerent, vel, ut alii contendunt, Innocentius non de unctione *activa*, sed de *passiva* locutus fuit—*Prob.* 2. *p.*—1) Ex verbis Jacobi "inducat *presbyteros*" præceptum divinum de pluribus presbyteris adhibendis deduci nequit—numerus pluralis sæpissime pro quolibet de eodem cœtu usurpatur—2) Traditio hoc idem ostendit—verba Innoc. I. perpenduntur—exempla Extremæ Unctionis ab unico sacerdote administratæ, antiquis etiam temporibus, referuntur—3) Alexander III. hoc expresse declaravit—infertur ex CC. Flor. et Trident.—aperte constat ex Rit. Rom. et ex moderna Ecclesiæ Latinæ praxi. 387–391

SCHOLION—Ut sacramentum *validum* efficiat quilibet sacerdos est sufficiens minister—ad *licitam* tamen hujus sacramenti administrationem requiritur venia parochi. 392–393

Art. Quintus—*De effectibus sacramenti Extremæ Unctionis.*

Effectus hujus sacramenti enumerat Conc. Trid. sess. 14.—hos inter quinam sit primarius effectus, juxta communiorem magisque probatam sententiam, statuitur in thesi. 393

THESIS V.—Sacramentum Extremæ Unctionis institutum est primo ad confortandam animam hominis graviter ægrotantis; ideoque primarius hujus sacramenti effectus est augmentum gratiæ sanctificantis cum jure ad gratias actuales, quæ ad levandum et roborandum ægrum valeant; ita ut, spe firma, labores et infirmitatis molestias alacrius ferat, depositum suum, quandocumque illud Dominus repetere voluerit, libenter reddere sit paratus, et tentationes dæmonis, tunc ei vehementius insidiantis, facilius superet.—Finis autem secundarius ejusdem sacramenti est ultimo disponere animam ad introitum gloriæ; ac proinde effectus ejus secundarius est peccatorum, si quæ adhuc sunt, remissio, et reatus pœnæ, juxta dispositionem suscipientis, imminutio aut deletio.—Demum Extrema Unctio, ubi saluti animæ expedierit, sanitatem etiam corporis ægroto confert. 394

Prob. 1. p.—1) Ex ratione theologica: hoc requirit conditio ægrotantium eo tempore, quo vires corporis deficiunt, et dæmon omnes versutiæ suæ nervos contra eos intendit—2) ex CC. Florent., Colon., et Trident.—3) ex doctrina S. Thomæ—4) ex refutatione aliarum opinionum—quatuor sententiæ proponuntur, et refutantur—*Prob.* 2. *p.*—ex verbis Jacobi "et si in peccatis sit *remittentur* ei"—ex forma hujus sacramenti—ex Traditione—ex modo loquendi PP.—ex expressa definitione Concilii Tridentini—Per Extremam Unct. delentur tum peccata venialia, tum mortalia illius qui aliis mediis a Deo institutis ad peccata lethalia dimittenda adjuvari non valet—hæc autem Extr. Unct. delet vi institutionis suæ secundario, et non solum per accidens—circa modum, quo hoc fiat declarationes a Suaresio traditæ proponuntur—Vi ejusdem sacramenti remittitur etiam pœna temporalis, debita ex peccatis prius remissis quoad culpam—id ex fine hujus sacramenti merito infertur—*Prob.* 3. *p.*—ex verbis Jacobi—ex Traditione—ex Conc. Trid.—ex S. Thoma. 394–404

Art. Sextus—***De subjecto sacramenti Extremæ Unctionis***

THESIS VI.— Extremam Unctionem pueri ante usum rationis, aut perpetuo amentes, suscipere nequeunt: et ex adultis, nonnisi ægroti periculoso morbo laborantes recipere eam possunt 404

Prob. 1. p.—ex dictis in thesi præcedenti de effectibus hujus sacramenti—ex Rit. Rom.—*Prob.* 2. *p.*—1) ex verbis S. Jac. "*Infirmatur* quis"—ex contextu "oratio fidei *salvabit infirmum*"—2) ex Patrum testimoniis—3) ex CC. Florent. et Trident.—4) ex fine ejus institutionis—Facta quædam, quæ contra dicta referuntur, vel praxis Græcorum inungendi sanos, veritatem nostræ thesis non labefactant.. 404–407

Art. Septimus— ***De necessitate, et iteratione Extr. Unctionis***

Certum est hoc sacramentum non esse necessarium necessitate medii ad salutem—utrum vero necessarium sit necessitate præcepti, sive divini, sive ecclesiastici, inter theologos disputatur—Sententia affirmans, teste S. Alphonso, probabilis est, et omnino *suadenda*—Sententia communi usu approbata permittit hujus sacramenti iterationem, quotiescumque fidelis in novum incidit morbum, immo et in eadem infirmitate si, periculo proximo mortis semel superato, iterum in illud relabatur........................ 407–408

LIBER QUARTUS

TRACTATUS VII.

DE ORDINE

Notiones Præviæ

Sacramenti ordinis maxima dignitas—ab eo cetera sacramenta pendent vel quoad confectionem et administrationem, vel quoad solemnem ceremoniam et ritum—*Ordo* in Ecclesia sumitur—*a*) ad significandum statum illorum qui sacro et solemni ritu ad divinum ministerium assumpti sunt—*b*) ad significandos diversos gradus hujus ministerii—*c*) ad significandum ipsum ritum—hoc sensu Ordo idem est ac ordinatio—Dari in Ecclesia cœtum seu ordinem præsidum ac sacrorum ministrorum, qui Hierarchæ, et Clerici vocantur, ex alio tractatu hic supponitur—A divina institutione discrimen clericorum a laicis, et ordinem ministrorum hierarchicum ortum habuisse ex Script. ostenditur—Concilii Tridentini doctrina hac de re proponitur—Tractationis divisio indicatur.. 3–6

Art. Primus—***De existentia sacramenti Ordinis***

Hujus sacramenti existentiam negavit Lutherus—aliter aliquando visus est sentire Calvinus—nunc communiter Protestantes hoc sacramentum repudiant—Doctrina catholica quæ statuitur in thesi definita est a Concilio Tridentino.. 7

THESIS I.—Ordo, seu Ordinatio qua in Ecclesia quidam saltem ministrorum sacra munia obeundi potestatem accipiunt, vere et proprie novæ legis est sacramentum.. 7

Prob.—1) ex sacris Litteris, quæ requisita ad verum et proprie dictum sacramentum in ordinatione inveniri ostendunt—*a*) signum sensibile: *manuum impositio*—varia loca ad exemplum citantur—*b*) collativum gratiæ: patet ex verbis, quibus Paulus Timotheum adhortatur, ut gratiam acceptam *per sacram impositionem manuum* non relinquat otiosam, sed eam excitet, et ad munia obeunda bene utatur—Argumentum variis rationibus declaratur et comprobatur—2) *ex Traditione*—ex multis documentis, pauca selecta proponuntur—Greg. Nyss., Joan. Chrys., Cyril. Alex., Theodoretus etc.—3) *ex rationibus congruentiæ*.................................... 7–16

Art. Secundus—***De numero Ordinum ecclesiasticorum***

Notiones Præviæ

Ex Conc. Trid. constat de fide esse credendum: 1) dari in Eccles. ordines *majores* et *minores*—2) ex divina institutione esse *episcopos*, *presbyteros* et *ministros*—quot autem sint ministrorum *gradus*, Conc. de fide non *definivit*—indubie tamen *docuit septem ordines* in Ecclesia esse recensendos—idem traditur in catechismo ejusdem Concilii—Ordinis ecclesiastici nomen dupliciter accipitur: *strictiori* sensu est gradus in hierarchia eccles. certo ac solemni ritu collatus, quo minister Eccles. consecrationem quandam, et potestatem accipit ad exercendas actiones spectantes sacrificium et altaris ministerium—*latiori* sensu est status sive officium eorum, qui quomodocumque se devovent divinis obsequiis—hic de ordine strictiori sensu accepto agitur — Ministri Eccles. aliquando ob aliud officium eis commissum, præter functiones Ordinis communes, aliis nominibus vocabantur—Tonsura clericalis non est ordo—Potestas ecclesiastica duplex est: ordinis nempe et jurisdictionis—Sacerdotium est ministrorum Eccles. ordo supremus—duplex est: *summum* seu *primi ordinis*—quod dicitur *episcopatus*—*secundi ordinis*—quod simpliciter sacerdotium appellatur, et est *presbyteratus*—Ex dictis explicantur quædam locutiones, quæ non raro occurrunt apud Patres et antiquiores theologos—Ordinum distinctionem ex diversa ad Eucharistiam relatione optime explicat S. Thomas—Ordo diversimode *sacer* vocatur—qua ratione sacramentum ordinis, quod unum est, in septem ordines dividatur, ex S. Thoma, et Alb. M. declaratur..................... 16–22

THESIS II.—Septem in Ecclesia catholica sunt Ordines, scilicet ostiarii, lectoris, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, et sacerdotis. Sacerdotium tamen est Ordo bipartitus; nam episcopi, qui sunt sacerdotes primi ordinis, sacerdotibus secundi ordinis seu presbyteris, jure divino superiores sunt, potestate tum Ordinis tum jurisdictionis.. 22

Prob. 1. p.—De sacerdotio et diaconatu nulla hic requiritur probatio—enumerantur enim in Scriptura, et a nemine respuuntur—alii ordines qui recensentur admittendi sunt—quia semper in Ecclesia, uti tales, agniti fuerunt—id ex multis Traditionis monumentis certo eruitur—*a*) ex documentis Ecclesiæ Latinæ—*b*) ex documentis Ecclesiæ Græcæ—2. *pars*. Episcoporum præeminentiam sæc. IV. impugnavit Aërius—hunc errorem innovavit Calvinus—a quo toto cœlo differunt quidam inter antiquos scholasticos—qui

nolebant in episcopatu agnoscere ordinem diversum a presbyteratu—post Conc. Trid. theologi communiter doctrinam in thesi propositam tuentur—*prob.—a) quoad potestatem ordinis*—episcopi ordinare possunt presbyteros, presbyteri vero id nunquam *valide* facere possunt: ergo—antecedens probatur ex Traditione, quæ relucet—tum in perpetua Eccles. praxi—tum in manifestis Patrum declarationibus—*b) quoad potestatem juris lictionis*—ex typo veteris legis—Ex eo quod episcopi constituantur loco Apostolorum, qui jure divino omnibus in Eccles. potestate jurisdictionis antecellebant—Eamdem episcoporum excellentiam ex Paulo probat S. Epiphanius—Præeminentia episcoporum supra presbyteros quoad potestatem tum ordinis tum jurisdictionis confirmatur ex antiquorum Patrum testimoniis—et ex potestate, quam episcopi habent, vi ordinationis suæ, confirmandi, aliaque perficiendi, quæ a presbytero, virtute solius ordinationis, fieri non possunt—S. Thomas... 22–39

Difficultatibus Satisfit—S. Paulus presbyteros vocat episcopos et vicissim, quia episcopi et presbyteri *nomina* utrique ordini, Apostolorum ævo, fuerunt communia—non autem quasi *ordines* ipsos tunc distinctos non fuisse senserit—declaratur ex S. Chrysostomo—alia solutio, ex S. Epiphanio—Conc. Nicæn. presbyteris concedit jus ordinandi, idest *eligendi*, *promovendi* non vero *consecrandi*—S. Hieronymum non aliam tradidisse doctrinam aperta ejus testimonia ostendunt—Cum Patres affirmant sacerdotium præstantiorem esse gradum ad quem homo possit ascendere, de sacerdotio *adæquate* sumpto loquuntur..................................... 39–46

SCHOLION 1.—Sensus, quo episcopus dicitur *divino jure* presbyteris antecellere quoad potestatem jurisdictionis, breviter declaratur................ 46–48

SCHOLION 2.—Episcopatum suapte natura in se includere sacerdotium ex dictis infertur.. 48

Art. Tertius—***De Episcopatu***

Nomine episcopatus hic significatur consecratio episcopi—vel ritus quo presbyter ad superiorem gradum evehitur, et constituitur in gradu Præsulum—hunc ritum esse proprie dictum sacramentum, *certissimum* dixit Bellarminus—*certum de fide* Petrus Soto 48–49

THESIS III.—Episcopatus, seu consecratio qua potestas ordinis episcopalis confertur, est sacramentum.. 49

Prob.—1) *Ex Script.*—Ritus de quo Apostolus in Ep. 1. ad Tim. IV. loquitur est verum sacramentum—hic autem ritus est consecratio episcopalis.—2) *Ex Patribus*, qui *a*) aperte docent ordinationem episcopi esse sacramentum—*b*) tradunt gratiam sanctificantem conferri *in consecratione episcopi per impositionem manuum*—*c*) statuunt hanc ordinationem imprimere *characterem*—3) *ex Conc. Trid.*—4) *ex ratione theologica* desumpta ex eo quod diaconatus sit sacramentum—5) ex auctoritate S. Thomæ............... 49–52

Art. Quartus—***De Presbyteratu***

THESIS IV.—Presbyteratus est sacramentum............................ 52

Prob.—1) *Ex Conc. Trid.* quod docet—*a*) ordinationem esse sacramentum—et inter ordinationes sacras, ordinationem sacerdotalem esse præcipuam—*b*) per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum—*c*) per eam imprimi characterem, et eum qui semel sacerdos fuit, laicum rursus fieri non posse

—2) *Ex Conc. Florent.*—3) *Ex Patribus* pro 1. thesi commemoratis—4) Hoc idem ostendit Scriptura—et ratio confirmat 52–55

Art. Quintus—*De Diaconatu*

Diaconi nomen sensu *specifico* hic accipitur—Diaconatus est ordo per quem potestas confertur, ut quis solemniter ac proxime sacerdoti sacra operanti inserviat—Diaconatum esse sacramentum negaverunt Novatores, et pauci quidam catholici Doctores—ceteri tamquam *certam* tenent sententiam oppositam 55

THESIS V.—Diaconatus est sacramentum 56

Prob.—1) Ordinatio diaconi est signum sensibile, collativum gratiæ, permanenter in Ecclesia sua a Christo institutum—id ex Act. Apost. deducitur—Traditio idem evidenter ostendit—ita S. Cyprian., Conc. Carthag., Euseb. C., Chrysost., Arator, Beda, etc. — 2) Ritum quo diaconus ordinatur collativum esse gratiæ sanctificantis demonstratur—*a*) ex ipso ritu—*b*) ex doctrina Patrum—*c*) ex Pontif. Romano, et Euchologio Græcorum—*d*) ex dignitate, et arduitate ministerii—id breviter illustratur ex Augustino, Ambrosio, et Isidoro—Ex dictis infertur ritum, quo diaconus ordinatur, a Christo esse institutum 56–63

Difficultatibus Satisfit 63–68

Scholion—*De Diaconissis*—hoc nomine *speciatim* vocabantur mulieres quædam certis in Ecclesia ministeriis proprio officio addictæ—de his breviter nonnulla attinguntur 68–70

Art. Sextus— ***De Subdiaconatu, et quatuor Ordinibus minoribus***

Subdiaconatum, et minores ordines veram rationem sacramenti habere docuerunt S. Thomas, S. Bonav. et alii doctores antiquiores communiter—ex recentioribus quidam affirmant, alii negant 71

THESIS VI.—Probabilior videtur sententia affirmans subdiaconatum, et minores ordines esse vere et proprie sacramenta 71

Prob.—1) *Ex Conc. Florent.* quod sub appellatione sacramenti ordinis etiam subdiaconatum et minores ordines complectitur—id constat ex ipsis verbis Decreti pro Armenis—2) *Ex* verbis *Conc. Trident.* et ex actibus illius Concilii—3) *ex ratione theologica:* Deus in necessariis non deest, ac proinde iis quibus tribuit spirituale in Eccles. ministerium, dat gratiam necessariam ut idonei sint ministri—confirmatur ex monitionibus ex Pontificali Romano excerptis—Argumenta hucusque proposita ex decretis contra Simoniacos latis, et ex doctrina Patrum illustrantur—Quæ ab adversariis objiciuntur in fine theseos solvuntur 71–84

Art. Septimus—***De sacrarum ordinationum materia et forma***

Notiones Præviæ

Circa materiam et formam subdiaconatus et quatuor minorum ordinum fere nulla controversia est inter Doctores—at magna quoad episcopatum, presbyteratum et diaconatum—brevis descriptio rituum quibus tres hæ ordinationes peraguntur tum in Eccles. Latina, tum in Eccles. Græca—præter impositionem manuum, et traditionem sive instrumentorum ordinis sive libri Evangeliorum, communiter theologi tenent cetera materiam essentia-

lem ordinationum non constituere—ideoque verba quæ illis correspondent non exhibere formam essentialem—Variæ theologorum sententiæ proponuntur—nostra in thesi vindicatur.............................. 85–90

THESIS VII.—Sola manuum impositio videtur esse materia essentialis in ordinatione episcopi, presbyteri et diaconi; quæ impositio manus in ordinatione presbyteri ab episcopo fit ante Eucharistiæ consecrationem. Forma vero essentialis harum ordinationum videtur esse oratio, quam minister ordinationis fundit dum manum super ordinandi caput imponit.—Pro ceteris ordinibus, traditio instrumentorum videtur esse materia ordinationis essentialis; forma autem videntur esse ea verba quæ eidem traditioni correspondent................ 91

Prob.—quoad episcopatum, presbyteratum et diaconatum—1) ex Script., quæ cum de his ordinibus loquuntur nonnisi impositionem manus commemorant—2) ex Conciliis antiquioribus: ita Conc. Antioch., Carthag. IV., Hispalen. II., Tolet. IV.—3) ex doctrina Patrum—eorum testimonia afferuntur—4) ex pervetusto Rituali Pontificali Romano membranaceo—5) ex ordinationibus Græcorum, et ex praxi Romanæ Ecclesiæ—6) ex Conciliis Coloniensi I. et Moguntino—7) ex Conc. Trid.—*Prob.*—quoad subdiaconatum et minores ordines—*a*) ex Conc. Carth. IV.—*b*) ex libro sacramentorum S. Greg. M. et aliis antiquissimis codicibus—*c*) ex scriptoribus ecclesiasticis et Pontif. Romano—*d*) ex ipso Græcorum Euchologio............ 91–109

Difficultatibus Satisfit...................................... 109–113

SCHOLION 1.—Quænam hac in re fuerit S. Thomæ sententia declaratur 113–114

SCHOLION 2.—Ad praxim quod attinet quædam ex S. Alphonso de Liguori adnotantur... 114–115

Art. Octavus—***De ministro sacramenti Ordinis***

Notiones Præviæ

Totius sacræ ordinationis ministrum *ordinarium* esse episcopum, catholici *fide* tenent—at disputant inter se utrum consecratio episcopi peracta ab uno tantum episcopo sit solum illicita, vel etiam prorsus irrita—item omnes concedunt presbyterum ex delegatione Rom. Pontificis esse posse ministrum *extraordinarium* subdiaconatus et minorum ordinum—at nullo modo presbyteratus—utrum possit diaconatum conferre disputatur..... 115–116

THESIS VIII.—Sacramenti ordinis minister ordinarius est solus episcopus; ad consecrandum vero episcopum tres episcopi, ex præcepto saltem ecclesiastico, requiruntur; licet solus unus, accedente Pontificia dispensatione, immo et absque illa, ad validitatem ordinationis episcopalis, sufficere videatur.—Presbyter autem, quamvis a Summo Pontifice delegari non possit ad presbyteratum conferendum, certo tamen potest ad dandos minores ordines et subdiaconatum; nec absolute negandum esse videtur eum delegari etiam posse ad conferendum ordinem diaconatus.. 116

Prob. 1. p.—*a*) Ex Script. quæ non aliis quam Apostolis eorumque successoribus episcopis jus et auctoritatem conferunt ministros Ecclesiæ ordinandi—*b*) ex doctrina Patrum—*c*) ex Conc. Florent. et Trident.—*d*) ex ratione convenientiæ—*Prob. 2. p.*—ex Pontif. Rom. ubi hoc præscribitur—idem traditur in decretis antiquiorum Conciliorum—*Prob. 3. p.*—*a*) ex celebri responsione S. Greg. M. ad S. Augustinum Anglorum episcopum—*b*) ex

aliis concessionibus Pontificiis—*Prob.* 4. *p.*—argumentum desumptum ex dispensatione pontificia nihil probare videtur—id potius evincitur—*a*) ex nuper citata responsione S. Greg. M.—*b*) ex can. 2. Conc. Carth. IV.—*c*) ex Pont. Romano—*d*) ex ratione theologica—*e*) ex paritate cum aliis sacramentis—*f*) ex factis—varia exempla hic citantur—*Prob.* 5. *p.*—*quia* Script. et Trad. nullum alium presbyteratus ministrum indicant præter episcopum—*quia* Eccles. numquam est usa tali potestate—*quia* quædam Patrum locutiones id omnino excludunt— difficultates solvuntur—*Prob.* 6. *p.*— *a*) ex auctoritate Gelasii Papæ—*b*) ex variis privilegiis—*Prob.* 7. *p.*—ex documentis quibus constat aliquando concessum esse presbytero ut esset minister extraordinarius ordinis diaconatus.......................... 116–126

SCHOLION 1.—Cum ordinatio sit sacramentum ejus valor non pendet a sanctitate et fide ministri—ad solvendas vero difficultates, quæ fieri possent ex pluribus veterum sive dictis, sive factis, pauca adnotantur........ 126–127

SCHOLION 2.—Juxta ecclesiasticas præscriptiones unusquisque a *proprio* episcopo ordinari debet—quinam vocetur *proprius* episcopus declaratur 127–128

Art. Nonus—*De subjecto ordinationis*

Montanistæ feminas ordinare se posse arbitrabantur—infantes ordinis esse incapaces censuit Durandus—et invitum valide ordinari dixerunt Morinus et alii pauci.. 128

THESIS IX.—Subjectum ordinationis capax est solus et omnis masculini sexus homo baptizatus:—ordinatio tamen inviti est prorsus invalida........... 129

Prob. 1. p.—*a*) *Ex Script.* Apostolus (I. Cor. XIV.; I. Tim. II.) docet mulieres non debere in Ecclesia loqui, vel docere, vel præeminentiam habere—qui autem in gradu ecclesiastico per ordinationem constituuntur illa præstare debent—*b*) *Ex Traditione*—Ecclesia tamquam hæreticos habuit eos qui sacros ordines mulieribus conferre volebant—Tertull., S. Epiph.—*Prob.* 2. *p.* quæ spectat pueros—*a*) ex decretali Innoc. III.—*b*) ex testimonio Patrum—*c*) ex instructione Benedicti XIV.—*d*) ex ratione theologica: ordo non consistit in actu sed in potestate: ergo valide conferri potest sine suscipientis actu et consensu—*Prob.* 3. *p.*—Baptismus est janua sacramentorum—ergo cum ordo sit sacramentum præsupponit baptismum—*Prob.* 4. *p.* quæ spectat invitos—ex dictis in tract. de Sacr. in genere—ex Innocentio III. 128–134

SCHOLION—*De Subjecto episcopatus*—quæritur an ille qui presbyter non est, valide consecrari possit episcopus—negativa responsio ex dictis de natura episcopatus infertur—Quædam facta quæ citari solent contra conclusionem nostram, communiter a theologis admissam, elucidantur—S. Zosimus Papa—S. Cœlestinus—S. Ambrosius—Hincmarus—Epiphanius—ordinatio Cæciliani—Optatus Milev.—Criminatio Græcorum, tempore schismatis Photii adversus Latinos hac de re mota, falsa est—Nicolaus I.—Ratramnus—Episcopi Germaniæ in Synodo Wormatiæ—Quod ait Æneas episcopus Parisiensis vel a communi testimonio non differt, vel, si differt, non est attendendum... 134–142

Art. Decimus—*De cœlibatu ecclesiastico*

In Ecclesia Latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti tenentur perpetuam servare continentiam—Conc. Trid.—Alexander III.—Quænam sit hac de re disciplina in ecclesia Græca declaratur—Bened. XIV. 142–144

THESIS X.—Continentiæ lex, sacris ministris imposita, in antiquissima traditione fundatur, eisque est convenientissima 144

Prob. 1. p.—*a*) ex testimonio Patrum—Tertull., Eusebius Cæs., S. Epiph., S. Hieronymi etc.—*b*) ex testimonio SS. Pontificum—S. Siricii, S. Leonis—*c*) ex testimonio Conciliorum—Conc. Eliberitanum, Toletan., Arausic., Venetic., Aurelian., etc.—Duo hic animadvertenda—1) subdiaconi nec semper, nec universe lege continentiæ adstricti fuerunt—2) non semper eo tempore, quo prohibitum fuit sacris ministris convolare ad nuptias, irritum quoque fuit matrimonium, illa non obstante prohibitione, contractum—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex excellentia sacrificii L. N.—*b*) ex sublimiori, et sanctiori statu—*c*) ex facilitate, quam continentia confert ad officia obeunda statui majorum clericorum annexa—*d*) ex puritate Christi quem sacerdotes repræsentant 144–153

Difficultatibus Satisfit 153–160

TRACTATUS VIII.

DE MATRIMONIO

Notiones Præviæ

Pauca hic præmittenda, quæ matrimonium secundum se, et ut est in officium naturæ spectant—cur matrimonium ita vocetur, et cur aliquando aliis nominibus designetur—matrimonium duplici ratione sumitur *active* seu *in fieri*—et *passive* seu *in facto esse* — Definitiones matrimonii, utroque sensu accepti, ex veteribus et recentioribus theologis traditæ, secundum sensum, non differunt — ex his corollaria quædam deducuntur— Matrimonium jam a mundi exordio sacramentum fuisse dicunt Patres—sed nomen sacramenti *lato sensu* accipiunt—Mysticam matrimonii significationem declarare voluit Paulus in Ep. ad Eph. v.—ita inter Patres, Chrysost., et Hieronymus. 161–165

Art. Primus—***De existentia sacramenti Matrimonii***

Matrimonium sacramenti dignitatem habere negaverunt tum veteres hæretici Gnostici, Manichæi et alii—tum Novatores—catholica doctrina quæ in thesi statuitur a Conc. Trid. definita fuit 165

THESIS I.—Matrimonium est vere, et proprie legis evangelicæ sacramentum. 165

Prob.—1) Ex Epist. ad Eph. v. 22-32. ubi, juxta Conc. Trid., veritas quam defendimus *innuitur*—Apostolus enim—*a*) loquitur de conjugio christianorum—*b*) hoc unionem Christi cum Ecclesia perfecte repræsentare declarat—*c*) vi conjugii teneri conjuges docet ad mutuam supernaturalem dilectionem, et ad implenda munera quæ requirunt gratiæ auxilium—Matrimonium itaque christianorum, *in ratione signi*, conjugiis ante Christum legitime celebratis præstat—et non *speculative* tantum, sed *practice* unionem Christi cum

Ecclesia repræsentat, conferendo *vi signi* gratiam sanctificantem cum jure ad gratias actuales—2) Ex Joan. II. ubi de nuptiis in Cana Galilææ celebratis sermo est—hac occasione Christum ostendisse gratiam sanctificationis fore in nova lege per matrimonium conferendam passim docent Patres—3) ex perpetuæ Traditionis documentis—ita sacramentaria et Ritualia—Patres —Concilia—argumentum præscriptionis........................ 165–179

Difficultatibus Satisfit—Matrimonii sacramentum a Christo institutum fuit in ratione *signi practici*, seu *efficacis* ad conferendam gratiam—hinc est signum efficiens quod significat *practice*—qui nuptias propter Deum contemnit, plus invenit gratiæ apud Deum, quam sit illa quæ datur per sacramentum matrimonii—Sacramenta conferunt gratiam dum perficiuntur in suis essentialibus—copula vero ad essentiam matrimonii non pertinet—Magister sententiarum numquam negavit matrimonium esse proprie dictum sacramentum—idem dicendum de Durando a S. Porciano—S. Thomam doctrinam, quam tuemur, habuisse ex ejus scriptis evidenter infertur 180–184

Art. Secundus—***De natura sacramenti Matrimonii***

Varii hac in re errores recensentur—M. A. De Dominis matrimonii sacramentum a contractu conjugii tamquam *rem* a *re* distinxit—idem adstruit Launojus—hanc doctrinam sæc. XVIII. amplexi sunt doctores aulici non pauci—et inter recentiores J. N. Nuytz—ab hac doctrina non multum recessit sententia quorumdam theologorum—qui cum Estio, Tournely et aliis statuerunt matrimonii sacramentum ex contractu conjugali, et ex benedictione sacerdotis essentialiter constitui — alii admiserunt dari posse matrimonium quod esset tantum contractus, et non sacramentum, si contractus tantum intenderetur—Falsas has omnes opiniones non semel damnavit Pius IX... 184–187

THESIS II.—Matrimonium christianum ita est verum propriumque novæ legis sacramentum, ut nihil intersit inter contractum matrimonii christiani et sacramentum, nullumque verum inter christianos matrimonium sit, quod non sit pariter Ecclesiæ sacramentum... 187

Prob.—1) quia ex documentis in thesi præcedenti citatis constat in N. L. illud ipsum matrimonium factum fuisse a Christo sacramentum, quod Deus constituit ab initio—sed illud non fuit nisi contractus matrimonii—2) quia in contractu matrimonii legitime inter christianos inito, invenitur signum conjunctionis Christi cum Eccles.—3) quia hæc fuit omnium DD., qui ante sæc. XVI. floruerunt certissima sententia — S. Thomæ doctrina exponitur — 4) quia id docuit Conc. Florent. — confirmatur—5) ex Conc. Trid., et —6) ex aperta declaratione Pii VI.—Ex dictis patet non posse fideles matrimonium celebrare ut contractum, quo conjugali vinculo colligati maneant, quin simul illud celebrent ut contractum, qui habeat vim collativam gratiæ —exemplum de sacramento pœnitentiæ vel de aqua in baptismo, quod ab adversariis citatur, nihil eis prodest................................ 187–195

Art. Tertius—***De Ministro sacramenti Matrimonii***

Præsens quæstio cum præcedenti intime connectitur—sacramenti matrimonii ministrum esse sacerdotem nuptiis benedicentem docuit M. Canus—quem theologi, jurisque canonici doctores non pauci secuti sunt—Huic oppositam sententiam S. Alphonsus dixit communem et moraliter certam—item Bellarminus et alii—post declarationes RR. PP., et præsertim Pii IX., doctrinam, quam in thesi defendimus, catholicam esse dubitari non licet..... 196–197

THESIS III.—Sacramenti minister non est sacerdos; sed ipsi contrahentes mutuo sibi sacramentem hoc administrantes, ministri sunt.................... 197

Prob—1) ex Conc. Trid. quod declaravit matrimonia clandestina ante promulgationem decreti "*Tametsi*" *fuisse* vera et *rata*—et adhuc *esse* ubi illa lex promulgata non est—idem tradiderunt Innocentius III. et S. Thomas—2) ex eodem Concilio, quod ad sacramenti matrimonii validitatem non requirit ut sacerdos verba, quæ a Conc. præscribuntur, tanquam formam proferat—argumentum evolvitur, et confirmatur ex historia Conc. Trid. et ex decretis Cong. Conc.—hæc decreta optime declarat Bened. XIV.—3) Idem Concilium arbitrio sacerdotis reliquit ut *vel* ea verba diceret quæ in illo decreto indicantur, *vel* aliis uteretur—quod dici non posset si verba Concilii essentialem sacramenti formulam exprimerent — 4) hæc confirmantur ex Ecclesiæ praxi.. 197–208

Difficultatibus Satisfit—Verba Apostoli I. ad Cor. IV. non implicant sacerdotes constitutos esse ministros ad *omnia* sacramenta *valide* conficienda—absolute verum non est, in ceteris sacramentis alium esse sacramenti ministrum, alium suscipientem — hoc tamen quomodo etiam in matrimonio verificetur—in variis Ritualibus quæ citantur sermo est de sacerdote ut de ministro sacramentum matrimonii non *conficiente*, sed *confirmante*, eique *benedicente*—nullus ex Patribus vel Summis Pontificibus loquitur, vel quocumque modo alludit ad verba, in quibus adversarii formam conjugii reponunt—sed de alia *benedictione* loquuntur—hinc respondetur ad singula objecta—*a*) ex Patribus—*b*) ex Roman. Pontificibus—*c*) ex Conciliis—immerito ab adversariis, ut propriæ sententiæ patroni, citantur S. Thomas, G. Parisiensis, Scotus, et Paludanus—Alia quæ objiciuntur ex dictis de natura matrimonii facile solvuntur.................................. 208–221

Art. Quartus—***De sacramenti Matrimonii materia et forma***

Quæritur quo pacto contrahentes sacramentum matrimonii ad invicem sibi administrent—proinde quid in matrimonio considerari debeat tamquam sacramenti materia, quid tamquam forma—varia hac in re placita sunt Doctorum—communis sententia, tum aliarum opinionum refutatione, tum directa probatione vindicatur in thesi.............................. 222

THESIS IV.—Materia adæquata sacramenti matrimonii reponenda non est in consensu interno, nec forma in verbis, aut in signis quæ consensum exprimunt: corpora vero contrahentium, vel potius jus in corpora in ordine ad usum conjugalem materiam matrimonii remotam et circa quam, non proximam et ex qua constituunt. Materia autem proxima sacramenti hujus et forma sunt contrahentium actus quibus sibi mutuo jus seu dominium in corpora in ordine ad conjugalem usum tradunt, et traditionem acceptant; ita tamen ut materia sit traditio, et forma, ejus acceptatio, utraque dicens et consensum internum et externam significationem.. 222

Prob. 1. p.—consensus internus non potest dici—*a*) materia *remota:* quia hæc non dicitur nisi illa res circa quam versatur ipse consensus—*b*) materia *proxima:* quia consensus internus ex nulla parte sui est sensibilis—præterea hic consensus non est quid indifferens et determinabile in conjugiis—*Prob.* 2. *p.*—corpora contrahentium, vel jus in ea in ordine ad usum conjugalem non sunt materia *proxima* sacramenti, quia non componunt intrinsece contra-

ctum—sed sunt materia *remota*, quia circa ea contractus versatur—insuper hæc nec significant, nec causant gratiam—*Prob.* 3. *p.*—in ratione contractus matrimonium a ceteris contractibus non distinguitur—in his vero materia et forma sunt actus contrahentium, ita ut traditio habeat rationem materiæ; acceptatio, formæ.. 223–224

Art. Quintus—***An solum Matrimonium a duobus fidelibus contractum sit sacramentum***

Variæ hic agitantur quæstiones—in quibus solvendis Doctores inter se non conveniunt—sententiæ quæ probabiliores videntur in sequenti thesi proponuntur.. 225

THESIS V.—Matrimonium a non baptizatis contractum, postquam uterque conjux baptizatus fuerit, fit sacramentum si consensus matrimonialis explicite renovetur; immo etiam, ut videtur probabile, sine explicita consensus renovatione.—Matrimonium autem ex dispensatione Ecclesiæ contractum inter fidelem et infidelem verum et proprie dictum sacramentum non est, nequidem ex parte fidelis.. 225

Prob. 1. p.—*a*) Ex doctrina Apost. in Ep. ad Eph. ubi de omnibus fidelibus conjugatis qui erant in Eccles. Ephesina, sine ullo discrimine, docet, eos verum et proprie dictum sacramentum conjugii suscepisse—*b*) quia tale matrimonium majorem acquirit firmitatem—*c*) quia et ipsi infideles post eorum conversionem tenentur caritate supernaturali manere conjuncti, et munera christiani conjugii implere—*d*) quia nulla est ratio firma pro adversa sententia—Ab illis qui matrimonium inierunt ante susceptionem baptismi, fit post hujus sacramenti susceptionem *novus* contractus matrimonii *secundum quid* et *moraliter* diversus a contractu jam pridem, cum adhuc essent infideles, celebrato—*e*) confirmatur ex auctoritate S. Thomæ—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex S. Thoma—*b*) quia Matrimonium, *statim ac baptizantur* conjuges, qui illud contraxerant ante baptismum, repræsentat unionem Christi cum Ecclesia—*c*) quia eo ipso quod conjuges baptizantur novum *secundum quid* consensum in matrimonium exhibent—*d*) quia Ecclesia *expressam* renovationem consensus non requirit—*Prob.* 3. *p.*—*a*) quia ad sacramentum, quod consistit in contractu *sacramentali*, requiruntur duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter*—infidelis autem ad hoc inhabilis est—*b*) quia matrimonium fidelis cum infideli unionem, quæ inter Christum et Ecclesiam existit, non repræsentat.. 225–230

Difficultatibus Satisfit.. 230–232

Art. Sextus—***De consensu ad Matrimonium requisito***

Notiones Præviæ

Sacramenti matrimonii causa efficiens est mutuus contrahentium consensus—hic varias conditiones habere debet—quæ indicantur—metum gravem reddere conjugium nullum communiter docent theologi—utrum vero id fiat de *jure ecclesiastico*, vel de *jure naturæ* disputatur—Matrimonium inter absentes celebratum per procuratores, qui vices gerant contrahentium, est sacramentum—id probatur—*a*) ex praxi Ecclesiæ, quæ hæc matrimonia permittit—*b*) ex ipsa natura sacramenti matrimonii—objectiones solvuntur—Conditio quæ consensui matrimoniali adjici posset dividitur—*a*) in conditionem de *præterito*, de *præsenti*, de *futuro*—*b*) in conditionem *possibilem*, et *impossibilem*—*c*) in conditionem *necessariam*, et *contingentem*—Quando, et quomodo valeat matrimonium sub conditione initum declaratur—Ex illis quæ hucusque

dicta sunt patet, consensum explicitum in copulam nullo modo esse necessarium—id dilucide explicat S. Thomas—His positis, quæritur: utrum ad *valorem* matrimonii filiorumfamilias consensus parentum requiratur—contra Novatores, et quosdam ex Gallia Doctores sequens statuitur thesis. 232–242

THESIS VI.—Matrimonia sine consensu parentum a filiisfamilias aut a filiabus inita nec jure naturali, nec divino positivo, nec humano jure irrita sunt. . 242

Prob. 1. p.—*a*) quia consensus contrahentium est causa efficiens matrimonii—*b*) quia homines natura sunt pares in his quæ pertinent ad prolis generationem—*c*) quia, cum matrimonium sit veluti perpetua quædam servitus, ejus electio non debet *necessario* pendere nisi a voluntate eorum, qui illud ineunt—*d*) quia contrarium iniquum est—*Prob.* 2. *p.* quia nequit ostendi ex lege Dei positiva, irrita fuisse matrimonia filiorum sine parentum consensu inita—immo Script. contrarium innuere videtur—*Prob.* 3. *p.* ex decretis Nicolai I., et præsertim ex Conc. Trid. sess. 24.—effugium, quod quidam Galliæ DD. excogitaverunt, ex ipsis verbis Conc., et ex ejusdem historia præcluditur.. 242–245

Difficultatibus Satisfit—In iis quæ pertinent ad electionem status filii sunt sui juris—juxta Apostolum ad parentes hoc unum pertinet, dirigere nempe filios in electione status conjugalis—Immerito ab adversariis citantur S. Basilius et alii Patres—Edictis plurium Regum Galliæ matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur irrita *quoad effectus civiles conjugii*—quid sentiendum sit de sententia cleri Gallicani in causa Principis Gastonis fratris Ludovici XIII. breviter statuitur......................... 245–247

Art. Septimus—*De unitate Matrimonii*

Monogamia duplex: una *imperfecta*, quæ habetur si inter virum unum, et unam tantum mulierem societas conjugalis instituatur—alia *perfecta*, quæ habetur si neutri conjugum concedatur, postquam per mortem unius partis conjugium dissolutum fuerit, ad novas nuptias convolare—Monogamiæ opponitur polygamia—quæ dividitur in polyandriam, et polygyniam—Polyandriam simultaneam absolute prohiberi patet ex Apost. (Rom. VII.)—Nullam esse paritatem inter polygyniam simultaneam, et polyandriam concinne ostendit S. Augustinus—Polygamiam successivam ut illicitam damnaverunt Montanistæ, et Novatiani—eam licitam esse semper docuit Eccl. Catholica—de disciplina Eccl. Græcæ circa trigamiam, et tetragamiam quædam indicantur ex decreto Nicolai I. P. C.—Polygyniam simultaneam esse etiam nunc in N. L. licitam Lutherus propugnavit—quem secuti sunt inter alios Protestantes Anabaptistæ, et novissime Mormones—Calvinus docuit eam semper illicitam fuisse—ideoque veteres Patriarchas crimine adulterii reos fuisse—Theologi catholici, paucis exceptis, communiter docent polygyniam adversari juri naturæ—ita tamen ut dispensatione divina possit aliquando licita fieri—quomodo autem hoc fieri possit explicat egregie S. Thomas. 247–253

THESIS VII.—Secundæ et ulteriores nuptiæ, quæ fiunt soluto per mortem conjugis matrimonio prius inito, per se licitæ sunt; quamvis, vi præsentis disciplinæ, apud Græcos tertiæ nuptiæ nonnisi in quibusdam casibus, et quartæ numquam ob impedimentum ecclesiastico jure inductum valide contrahantur.—Pluralitas vero uxorum simultanea, seu polygamia simultanea omnino in lege evangelica divino jure prohibita est; immo polygamia hæc præceptis legis naturæ secunda-

riis repugnat, et nonnisi ex divina concessione post diluvium usque ad legem evangelicam licita fuit 254

Prob. 1. p.—*a*) *Ex Script.* Apostolus (I. Cor. VII. 8. 9. 39.) licitas declarat iteratas nuptias—S. Aug. in verba Apost.—*b*) *Ex Trad.*—Tertull., S. Ambr., S. Hieron., Clem. Alex., S. Basil., S. Greg. Naz., S. Epiph.—*c*) *ex RR. PP. auctoritate*—Innocentius IV., Eugenius IV.—*d*) *Praxis* universalis Ecclesiæ hoc comprobat—*e*) *Ratio* in iteratis nuptiis nullam per se malitiam deprehendit—*Prob.* 2. *p.*, i. e., polygamiam simultaneam esse jure divino in lege evangelica prohibitam ; quæ veritas definita fuit a Conc. Trid.—*a*) *Ex Script.* Christus (Matth. XIX. 2–9.) matrimonium ad primam institutionem suam revocavit, quæ excludit polygamiam simultaneam—Item, Christus (Matth. V. et XIX., Marc. X., Luc. XVI.) declarat eum mœchari, qui dimissa uxore aliam ducit—*b*) *Ex Trad.*—Athenagoras, Clem. Alex., S. Chrys., S. Aug., et alii—*c*) *Ex Decretis RR. PP.*, qui polygamiam ut omnino proscriptam a Christo damnaverunt—S. Innocentius I., S. Nicolaus I., Innoc. III.—*d*) *Ex natura conjugii christiani*, utpote quod unionem inter Christum et Ecclesiam repræsentat—*Prob.* 3. *p.*, i. e., polygamiam repugnare præceptis legis naturæ secundariis—*a*) *arg. desumpt. ex S. Thoma*—*b*) *Ex Patribus*—S. Hieronymus, Ven. Beda, Theophilactus, S. Nicolaus I., Innocentius III., B. Gregorius IX. —*Prob.* 4. *p.*, quæ spectat permissionem de pluralitate uxorum a Deo concessam post diluvium—*a*) *Script.* hoc subindicat—*b*) *Patres* superius in hac thesi citati id testantur, et præsertim hoc docet Augustinus—In Scriptura etiam legitimæ uxores aliquando dicuntur concubinæ, et vice versa ; ex. gr. Gen. XVI., Gen. XXV., Judic. XIX.—Ætate S. Leonis M., unio domini cum serva non erat verum matrimonium, et hoc vi juris ecclesiastici—Prædicta dispensatio facta fuit a Deo per internam inspirationem Patribus—probabiliter non Hebræis tantum, sed omnibus gentibus pluralitas uxorum concessa fuit—Post Christi adventum hæc concessio revocata est 254–266

Art. Octavus—***De indissolubilitate Matrimonii***

Non agitur de dissolutione *improprie dicta* matrimonii, quæ habetur ipso vinculo perdurante ; sed de dissolutione *proprie dicta*, quæ tunc locum habet cum vinculum ipsum conjugale solvitur—sejunctim loquendum de matrimonio *legitimo*, quod in naturæ officium contrahitur ; *rato*, quod est sacramentum a christianis celebratum ; *consummato*, quod per perfectam carnalem copulam completur 266–267

§ I.—***De indissolubilitate Matrimonii in se inspecti***

Communius docetur matrimonium esse natura sua indissolubile (sent. opp. damnatur in Syllabo Pii IX., prop. 65.), at non ita ut a Deo dissolvi non possit—dissolutio hujus matrimonii, debitis conditionibus, permissa fuit in casu matrimonii inter duos infideles, quorum unus convertitur ad fidem ; ut patebit in thesi—de hoc postremo Janseniani quidam dubitaverunt. 267–268

THESIS VIII.—Matrimonium ex primitiva et naturali sua institutione est indissolubile :—illud vero quod a duobus infidelibus contractum fuit, etiamsi ab eis fuerit consummatum, divina auctoritate dissolvi potest, si alterutro conjuge ad fidem converso et baptizato, alter cum eo vivere renuat, vel cohabitare cum eo non consentiat nisi cum Creatoris contumelia, aut ut conjugem pertrahat ad peccatum 268

Prob. 1. p.—*a*) *Ex Script.* Christus (Matth. XIX. 3–6.) verbis Adami, quæ naturalem matrimonii institutionem referunt, probat ejusdem matrimonii indissolubilitatem, dicens: "*Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*"—Verba sequentia (vers. 7. 8.) aliud argumentum suppeditant—Chrysostomus in verba Christi—*b*) *Ex doctrina Ecclesiæ*—Bonifacius VIII.—Concil. Trid. (sess. 24. in proemio)—*c*) *Ex ratione*—facultas dissolvendi conjugium repugnat tum bono prolis, tum amicitiæ inter conjuges et naturali æquitati, tum bono sociali et bonis moribus—Verba egregia S. Ambrosii—*Prob.* 2. *p.*, quæ spectat *casum Apostoli* (ut canonistæ loquuntur), seu *Privilegium Paulinum* —*a*) *Ex Script.* Apostolus (I. Cor. VII. 12–15.) concedit facultatem solvendi vinculum conjugale pro casibus indicatis—*loquitur* enim *de solutione quoad vinculum:* quod constat non solum ex eo quod Apostolus voluerit privilegium quoddam concedere infideli converso; verum etiam ex oppositione inter matrimonium fidelium (vers. 10. 11.), et matrimonium contractum ab infidelibus quorum unus ad fidem conversus sit—nec obstant Apost. verba: "Ceteris ego dico, non Dominus"—*b*) *Ex RR. PP. declarationibus, et ex praxi Ecclesiæ*—Innocentius III., Gregorius XIII., S. Pius V., Benedictus XIV. 269–277

NOTA 1.—Tunc solum *vinculum conjugale solvitur vi privilegii Paulini*, cum conjux conversus ad fidem et baptizatus, interpellato conjuge infideli et renuente pacifice et sine Creatoris contumelia cohabitare, novum iniit matrimonium—quod si interpellatio fieri nequeat, alii affirmant conversum posse, interpellatione omissa, ad alias nuptias convolare; alii necessariam putant dispensationem Summi Pontificis........................ 277–278

NOTA 2.—Juxta quosdam theologos, tempore legis, *dato libello repudii* (Deut. XXIV. 1–4.) vinculum conjugale intactum manebat—alii id negant—verba ipsa legis huic interpretationi favent—Christus (Matth. XIX. 8.) videtur hoc indicasse.. 279–280

NOTA 3.—Non constat apud theologos, an durante lege vetere repudium licuerit etiam gentibus.. 280

§ II.—***De indissolubilitate Matrimonii christianorum consummati***

A pluribus retro sæculis, Græci contendunt vinculum hujus matrimonii dissolvi posse propter adulterium alterius conjugum—hujus doctrinæ et praxis apud Græcos origo a legibus imperialibus repetenda est—Novatores ulterius progressi sunt—quorum errores Conc. Trid. damnavit—Cajetanus—Catherinus—Launojus—Can. 7. Conc. Trid. est doctrinalis—verum non omnino constat, illo canone definitam fuisse ut dogma fidei indissolubilitatem vinculi conjugalis etiam pro casu adulterii........................... 280–286

THESIS IX. — *Matrimonium christianorum consummatum dissolvi nunquam potest quoad vinculum*.. 286

Prob.—1) *Ex Script.*—*a*) Christus (Matth. V. 32.) ait: "Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat" ubi sermo est de dimissione quoad thorum tantum et habitationem; verba enim "et qui dimissam duxerit, adulterat" accipienda sunt universaliter, quum secus melior esset conditio fornicariæ quam innocentis uxoris—consonat contextus—*b*) Eodem pacto explicanda

sunt similia verba Christi (Matth. xix. 9.)—verba Christi ita intellecta congruunt quæstioni Judæorum—*c*) Indissolubilitatem conjugii etiam in casu adulterii apertissime declarant ea quæ leguntur apud Marc. (x. 10–12.), Luc. (xvi. 18.), Paul. (I. Cor. vii. 39.)—2) *Ex Patribus*—Clem. Alex., S. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus clare ostendunt veritatem catholicam ; eamque comprobant referentes loca Scripturarum citata—S. Basilius, S. Ambrosius—3) *Ex Conciliis*—Eliberitanum, Carthag. (anno 418.), Arelatense I., et alia—Declaratio Eugenii IV. in Decreto pro Arm.—4) *Ratio a priori :* Christus per hoc matrimonium significari voluit sui per incarnationem cum Ecclesia conjunctionem—*Ad solutionem difficultatum* hæc tenenda : ex illis quæ objiciuntur quædam sunt spuria—quidam Patres ad leges civiles solum alludunt—non obstant testimonia in quibus dicitur matrimonium adulterio rumpi, dissociari ; eæ enim locutiones ambiguæ sunt—subinde hac de re quibusdam in locis abusus fortasse irrepserunt.......... 286–297

§ III.—***De indissolubilitate Matrimonii rati, sed non consummati***

THESIS X.—Matrimonium, quod ratum est tantum, solvitur quoad conjugale vinculum per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem ; et etiam per dispensationem a Summo Romano Pontifice, gravi id exigente causa, concessam.. 297

Prob. 1. p., quæ (ex can. 6. Conc. Trid.) est *de fide—a*) *Ex RR. PP. declarationibus*—Alexander III., Innocentius III. ; qui dicunt se id quod tradunt a suis prædecessoribus accepisse—*b*) *Ex praxi Ecclesiæ—Prob. 2. p.*, quæ, licet olim controversa, nunc tamen *certa* est—*Ex praxi Ecclesiæ :* nam RR. PP. sæpe usi sunt hac potestate—Martinus V., Eugenius IV., Paulus III., Pius IV., Pius VII., Gregorius XVI., Pius IX.—Responsa quædam Alexandri III., et Innocentii III. rem præsentem non attingunt............. 298–300

Scholion—Circa *jus quo matrimonium ratum per solemnem religionis professionem dirimitur*, triplex datur sententia theologorum. Prima, quæ est S. Th., illam dissolutionem repetit ex jure naturali—Secunda, quæ est Suaresii, eam repetit ex jure ecclesiastico—Tertia, quam Benedictus XIV. propugnavit, docet solutionem vinculi matrimonii rati ob professionem religiosam repetendam esse ex jure divino—Duæ priores sententiæ magnas patiuntur difficultates, tertia est communior et probabilior................. 300–302

Art. Nonus—***De potestate Ecclesiæ in Matrimonium***

Vi potestatis sibi commissæ in contractum matrimonii ad dignitatem sacramenti evectum, Ecclesia potest tum impedimenta sive prohibentia sive dirimentia statuere ; tum judicare de iis quæ matrimonium quocumque modo spectant—quam potestatem declarat contra Novatores Concil. Trid. canonibus 3. 4. 12.—Initio sæc. XVII., Marcus Antonius de Dominis asseruit ad solos principes sæculares pertinere leges ferre quæ matrimonium dirimant—quam sententiam defendit Launojus, asserens canones 3. et 4. prædictos esse tantum disciplinares—Doctrina Novatorum asseclas invenit sæculo elapso non paucos—eam professi sunt Pistorienses, quorum propositiones damnavit Pius VI.—Pius IX. damnavit, in Syllabo, errores aliorum qui Ecclesiæ auctoritatem in matrimonium impugnabant—thesis sequentis tres priores partes de fide sunt.................................. 302–306

THESIS XI.—Ecclesia, ex potestate qua pollet in matrimonium, jus habet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et judicandi omnes causas matrimoniales quæ conjugii vinculum respiciunt. Hæc autem potestas Ecclesiæ competit jure proprio ; immo tam propria ipsi est, ut ei soli competat, nullatenus vero supremæ auctoritati civili 306

Prob. 1. p., in Ecclesia nempe esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia—*a) Ex rei veluti natura*—siquidem Ecclesia potestatem habet ea omnia statuendi quæ pertinent ad rectam sacramentorum administrationem —nec ullo pacto mutatur substantia sacramenti per impedimenta statuta ab Ecclesia ; sed tantum determinatur quinam sint inhabiles ad hoc sacramentum conficiendum—*b) Ex praxi Ecclesiæ*, quæ hac potestate frequentissime usa est saltem a sæculo IV.—quam praxim ostendunt tum Conc. Neocæsariense (an. 314.), Carthaginense IV. (an. 398.), Trullanum (an. 692.), Romanum (an. 743.); tum Patres et Pontifices, inter quos afferuntur S. Basilius (sæc. IV.), S. Leo Magnus (sæc. V.), S. Gregorius Mag. (sæc. VI.), S. Zacharias (sæc. VIII.), S. Nicolaus I. (sæc. IX.)—*Prob.* 2. *p.*, i. e., causas matrimoniales quæ vinculum conjugale respiciunt tribunali Ecclesiæ subjectas esse—*a) Ex prima parte thesis*—ad Ecclesiam enim pertinet statuere conditiones quibus servatis validus est contractus matrimonialis—*b) Ex rei natura*—Ecclesia namque habet jus decidendi controversias quæ sacramenta spectant eorumque validam administrationem—verba gravissima Pii VI. hac in re—*c) Ex praxi Ecclesiæ*, quæ constat ex testimoniis allatis pro prima parte thesis—*Prob.* 3. *p.*, quæ statuit hanc potestatem competere Ecclesiæ jure proprio—*a) Ex parte secunda*—jus enim statuendi ea quæ pertinent ad rectam sacramentorum dispensationem Ecclesia non accepit a potestate civili—*b) Ex praxi Ecclesiæ*—nam ea potestate semper usa est independenter a potestate civili—*Prob.* 4. *p.*, contra nonnullos theologos et canonistas qui etiam potestati civili auctoritatem tribuerunt statuendi impedimenta dirimentia—*a) Ex declarationibus Pontificiis et ex praxi Ecclesiæ*—Pius VI., Benedictus XIV.—Conc. Trid., sess. 24., decreto "*Tametsi*"—*b) Ex consectariis doctrinæ oppositæ*—vinculum matrimoniale posset simul, secundum idem, esse validum et non esse—potestas laicalis posset contradicere statutis ab Ecclesia circa impedimenta dirimentia — *c) Ex Matrimonio ipso*—etenim nulla prorsus auctoritas inest in principe laico circa sacramenta—a ratione sacramenti in contractu matrimoniali christianorum præscindi non potest—sed etiamsi præscindatur a ratione sacramenti et spectetur contractus matrimonialis qui non sit sacramentum, nullam principes sæculares in eum habent auctoritatem: quod patet considerando hujus contractus originem, naturam, relationes ejus cum societate civili et cum Deo—quæ tamen extrinseca sunt connubio, possunt a legislatore civili attingi—Conc. Lateranense I. in hanc rem—Doctrina S. Thomæ 306–318

Nota—Enumerantur impedimenta matrimonii 318

Art. Decimus—*De præstantia cœlibatus*

Conc. Trid. (sess. 24. can. 10.) definivit contra Novatores veritatem quæ in thesi sequenti vindicatur 318–319

THESIS XII.—Statu matrimoniali præstantior est virginitatis status, aut cœlibatus 319

Prob.—1) *Ex Script.*—Christus (Matth. XIX. 12.) cœlibatum, amore virtutis susceptum, præ conjugio commendat—Apostolus (I. Cor. VII. 25–28.) docet virginitatem matrimonii statui esse anteponendam—præmium singulare promittitur (Apoc. XIV. 3. 4.) eis qui virginitatem coluerunt—2) *Ex Patribus*, qui maximis laudibus statum virginitatis cumulaverunt—S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Cyprianus, et alii—Difficultates contra thesim solvuntur verbis S. Thomæ, Summa contra Gentes, l. 3. c. 136 319–326

APPENDIX—Litteræ Leonis Papæ XIII., datæ die 1. Junii 1879. Archiepiscopis et Episcopis Prov. Taur.. Vercell., et Genuen., matrimonium christianum et potestatem Ecclesiæ in illud spectantes 327




DATE DUE

